



Medicin: ⁴⁹ 59.

24
Op. med. B. 50

86 Med:

1. H. 18. 21.
S. 5.

MEDICINA CATHOLICA,

Seu

MYSTICVM ARTIS ME- DICANDI SACRARIVM.

In Tomos diuifum duos.

IN QVIBVS

*METAPHYSICA ET PHYSICA TAM SANITATIS
tuende, quam morborum propulsandorum ratio
pertractatur.*

AUTHORE

ROBERTO FLVDD; ALIAS DE FLVCTIBVS,
Armigero, & in Medicina Doctore Oxoniensi.

Non est viuere, sed valere, Vita.



FRANCOVRTI,
Typis CASPARI RÖTELII, Impensis WILHELMI FITZERI.

Anno M. DC. XXIX.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



VIRO GRAVISSIMO DOCTISSIMO QVE, ET
amico meo singulari, Collegæque fidelissimo,

GVLIELMO PADÆO
EQVITI, REGIOQVE IN
MEDICINA DOCTORI
SALVTEM.

SI imperfectam & plane mancã illam veterum tam Græcorum & Arabum quam Latinorum medicinam (ab Ethnicis mere inuentam atque exaratam) nouo quasi nixu reficere, ipsius veritatis fluctibus abluere, & sancto tanquam Sophia Opobalsamo restaurare hoc in loco aggrediar, nã tibi (Doctor tam in medicinæ quam Theosophiæ mysteriis versatissime) mirum (prima tametsi fronte admiratione fortasse dignum) videatur obsecro, cum trito illo Prophetæ rudimento siue axioma ad Baruch. 3. moneamur, quod minime nobis Christianis conueniat fontem omnis sapientiæ 2. Reg. 1. 16. deserere, uti faciebant Agareni & qui erant in Theman, quippe qui viam veræ sapientiæ ignorauerunt, & cum Azakia rege, Balzebubo, aut pseudo-prophetis suis (Deo deorum Jehoua neglecto) pro sanitate aut tuenda, aut recuperanda consulere.

Cum ergo morborum Inuasiones ægritudinumque vexationem non incerta gentilium horum aut conjectura, scientiæ, male stabilita, sed virtute sancta & veritate diuina sensi diluendas atque propulsandas, sterilem eorum in medicina doctrinam & famelicam incertamque in arte medicandi scientiam tandem aliquando erasi, vt post erroris tam seui ac diuturni seductionem, & in infidelium de re medica fabularum serie defatigationem, optato tandem veritatis myrothecio, Scripturarum (inquam) sacrario, sapientiæ sacrosanctæ ditissimo, me redderem: Quis enim nudas rerum naturalium causas proferre potest, qui diligens & syncerus non est veræ sapientiæ indagator? Nobilissima & profundissima medicinæ, imo vero & naturæ vniuersæ arcana nos docet Sophia, vnica & sola scientiarum genitrix, quippe à qua (teste Scriptura) docemur omnia. Anne quicquam inter mortales ratione haud destitutos absurdius excogitari potest, quam cæcorum more in tenebris palpando, ea ex figmēti illius caliginosi sterquilinio querere, quæ reuera in lucis & veritatis gremio sunt solummodo reperienda, atque ex eo haurienda? Deum igitur, casta imprimis contemplatione fideque immobili respiciamus qui, lineam cognitionis rectam, viamque medicandi & prognosticandi directam & non fallacem, bono suo spiritu assistente, nobis Christianis indicare atque reuelare haud dedignabitur: Vtpote sine directione cuius nihil cognoscitur, quoniam eius

est so-

est solius omnia in omnibus siue sit salutis, siue morborum causa operari. Hanc ergo Christianitatis normam, quoniam Ethnici isti ignorarunt, ideo ea creaturis falso quæ soli creatori conueniunt, spurio suo more attribuerunt. Atque hinc erat, quod ipsi, in profundum Idololatriæ cœnum quasi submersi, seu ignorantie luto firme inherentes, tota errauerint via, & sic euauerunt in imaginationibus suis: Vnde factum est, ut creaturam in omni fere opere, imo vero in ipsa religionis praxi, loco Dei sui creatoris acceperint. Hæc ergo erat ignorantie vniuersalis origo, hoc vnitatis in multitudinem distractionis initium: organum (dico) ab interno æternoque principio agente exagitatum, pro ipso principio centraliter mouente & exagitante, & consequenter vmbra, pro subiecto, figmentum (dico) pro veritate incongrue accipientes. Literis ergo mandarunt medici gentiles, quod prima morborum causa sit vel calidum vel frigidum, vel humidum, vel siccum, minime quidem mente magis seriè considerantes, ipsum Deum (vt Scriptura habet) hæc omnes in cœlo seu aere suo afflatu efficere, atque producere. Quandoque vel ignem, vel aerem, vel aquam, vel terram sed frequentius choleram, pituitam, sanguinem corruptum, aut melancholiam seu fletus infirmitatum effectores posuerunt. Nonnunquam ventorum macrocosmicorum aliquam, vel aeris inclementiam, vel malas syderum infortunatorum influentias, pessimosve ipsorum aspectus (vel ipsorum nonnulli altius adhuc speculantes) angelum percussorem, seu Spiritum quendam malum fertentem morborum causam primitus efficientem finxerunt: minime interea percipientes quod harum omnium creaturarum sit nulla quæ alteri vel salutem vel morbum per se afferre queat, sed solus Deus, vnicus Jehoua, omnium creator & operator, cuius est (mediante organo suo vel angelico vel stellari, vel elementari, vel ventoso) centraliter agere, quando & ubi vult. Non enim mouet aut operatur angelus, sed Deus per angelum, nec angelus in stellam, sed Deus mediante angelo & per angelum in stellam: & sic in cæteris. Vnde certum est, quod iuxta irreprehensibile Apostoli testimonium Deus operatur omnia in omnibus, vtpote qui teste Propheta voluntatem suam facit tam

1. Corint. 12. in cœli virtutibus, hoc est angelis & stellis, quam inhabitatoribus terræ, & non
Dan. 4. est qui resistat. : Denique ab eo, in eo, & per eum sunt omnia: à creatura vero
Rom. 11. nihil: nisi operante eo qui dixit: Ego facio omnia, extendo cœlos solus, stabili-
Esai. 44. 28. tio terram & nullus mecum. Hoc est nulla assistente creatura, sed ego solus omnia quæ sunt, facio & ad exitum produco.

At quid pluribus opus est ei verbis, qui tam in scholasticis Theologiæ controversiis, medicinæ atque Philosophiæ arcanis admodum est versatus, imo vero vix cuiquam postponendus, scio ego te (miles dignissime Doctoreque excellentissime) in istis omnibus non modo esse politissimum, sed etiam longe ipsis altiora in lucem edere, atque in publicum proferre posse. Imo quidem optatum tui laboris fructum impressioni (vti audio) paratum auide expectant atque inhiant literatissimorum haud pauci. Tractatum igitur hunc nostrum, non te erudiendi gratia, sed vt de ipso directe iudices, per cæteris lubenter libenter dedicaui, quoniam animum tuum natura & virtute adeo generosa & nobili stipatum atque ditatum percepi, vt (calumniæ stimulis, maleuolentiæue chara-
steribus,

teribus, ab eo in exilium relegatis,) suum cuique sine detractioe aut inuidia (mundanis fere omnibus infestissima) tribuere recusauerit nunquam. Nec non & diuturna illa nostra, & ab eo tempore, quo simul in Collegio Diui Joannis Oxoniensi Conuictores, more quidem nobili & generoso viximus, incepta familiaritas, atque etiam praesens in Collegio Londinensi societas, fraternalisque inter nos amicitia, vt aliquid perpetuum quasi, praesentis tuae existimationis & honoris trophaeum siue monumentum, non lapidibus mortuis, sed characteribus viuis (etiam defunctos aeternae virtutis alis ad sidera vehentibus) tuo nomini conderem, me ardentem persuadebat.

In bonam ergo (precor) Medicinam hanc nostram (qualis qualis est) partem accipias, eamque oculis vigilantibus (iudicio tuo solito comitante) percurras, cuius intentio est tota, mundo publicare, & cuiuslibet tam gentili quam Christiano annunciare, ipsum Deum, rerum omnium creatorem, esse unicum & solum tam vitae & salutis, quam mortis & morborum authorem, actorem, & principem, & quod in eius manus non modo nos, verum etiam ^{Iob. 9.} ^{Deut. 32.} ^{4. Reg. 5.} creaturae omnes existant, quoniam ipseus est solus vulnerare & mederi, percutere & sanare, occidere & viuificare, vt hoc contra Ethnicorum doctrinam, mundanis Christianis explicato atque sedulo ab ipsis ponderato, ipsis unicum hunc rerum omnium authorem actorem & operatorem, corde magis sincero timeant & venerentur, pro salutis suae beneficio gratias agant, idque sine intermissione, ingentes, ac denique in afflictionis & infirmitatis maleficio, spiritu magis contrito & poenitente, pro fauore & assistentia ipsius suppliciter orent, cuius est solus non herba neque malagmate, sed suo solo verbo (sanare omnia) & consequenter curare infirmos: Quomodo denique Deus iste voster (cuius nomen sit aeternae benedictum) in & à se ipso per organa angelica, caelestia, & elementalia gradibus quidem subalternatis, in haec interiora vel ad salutem, vel morborum procreationem operari soleat, hoc in tractatu nostro luculenter expressum reperies; Interea valeas (Doctor mi Excellentissime amice & Collega fidelissime) eumque amare ne desinas, quem iuuenies semper

Tui observantissimum atque
amantissimum

ROBERTVM FLVDD,

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.


Faint, illegible text, possibly a title or section header, also appearing to be bleed-through.

Faint, illegible text, possibly a name or reference, appearing as bleed-through.

MEDICINÆ CATHOLICÆ SVBIECTVM:

Prior sanitatis & morborum rationem reddit estque in Tractatus diuisus duos. Quorum	Primus in Sectiones ordinaturbinas. Atque harum	} Prima vitæ & sanitatis originem discutit. } Secunda Catholicam salutis tuendæ, & præseruandæ rationem docet.	
			Secundus habet Sectiones tres: Quarum
Medicina hæc Catholica in duos diuiditur Tomos: Quorum	Posterior curandi Methodū tractat: & in tractatus duos distinguitur. Quorum curare docet	} Prior obseruatione	} Supercælestium. } Cælestium. } Elementarium.
	} Secūdi; Sectiones variæ per medicamenta	} Diuina & supercælestia. } Cælestia. } Elementaria.	

EMBLEMA HIEROGLYPHICVM TOTIVS
Medicinæ Catholicæ Myſterium explicans,



Ego occidam & vivere faciam, percutiam et ego sanabo & non est qui de manu mea possit eruere. Deut: 23.

Deus est qui Vulnerat & medetur, percutit et sanat. Iob: 5.

Vitæ et mortis habet Dominus potestatem qui deducit ad portas mortis & reducit: Sap: 16. 13.

In Em-



N Emblematis descripti fastigio, seu summitate; omnium rerum caput, siue radix tam in suæ unitatis simplicitate, quam proprietatis generalissimæ duplicitate, exprimitur. Vnus (dico) Deus, vnum, Ens summum, vna essentia, seu Mens diuina, vel volens, vel nolens. In proprietate sua nolente cōtrahit se in se, nec se a se emittere vult, verbi gratia: Vnica adest homini diuina mens, proprietates vero gemina: cum modo ipsum velle, modo nolle animaduertitur, & quæmus eius voluntas seu negatio petenti malum fortassis insigne videatur, neganti tamen non malum, sed bonum erit: nemo enim mente radicitus mouente vel negat vel affirmat, nisi quatenus talis negatio vel affirmatio ab ipso bonum, commodum aut cōueniens iudicabitur. Sic quidem quicquid Deus, vel vult, vel non vult, bonum est, quoniam in eo nihil mali. Eius ergo voluntas multis tam à Philosophis grauibus quam scriptis factis, explicatur modis: Et primum *M. Trismegistus* rem istam nucleote ^{Pim.} hus sic videtur explicare. *Monas generat Monadem & in seipsam reflexit ardorem:* hoc est sibi ipsi, & non aliis reluxit. Hanc Pimandri seu mentis diuinæ proprietatem vocauit ipse *potentiam diuinam*, quæ actui diuino (non aliter quam tenebræ Luci) opponitur. In proprietate vero volente, non contrahit se in se, sed è regione, emittit vitæ radios & illuminat omnia. Has duas in vnica essentia proprietates sic optime in Textu sacro explicatas inuenimus.

Deo emittente creaturis spiritum suum, recreantur bono: abscondente faciem suam conturbantur: recipiente spiritum eorum, expirant; & in puluerem suum reuertuntur. ^{Psal. 104. 29. Deut. 31. 17. Psal. 13. 1. & 11. 16. & 311. 6. Iob 10. 12. Psal. 17. 13.}

Deus malos relinquit, & abscondit faciem suam ab iis, ut obuenant iis mala multa.

Quousque abscondes vultum tuum à me, inquit Dauid, Exhilara me vultu tuo: ostende vultum tuum seruo tuo. Visitatio tua conseruat spiritum meum. Si tu illustres lucernam meam, Iehova Deus meus, splendentes efficit tenebras meas.

Atque infinita alia testimonia ex scripto sacro, de hoc subiecto proferre possimus. Ratio cur pessimum erit creaturis; voluntas seu absconditio faciei, seu contractio radii diuini in se est: Quia tunc spiritus maligni tenebrarum, ibi sunt fortiores vbi Dei abest præsentia.

Cōcludimus ergo, quod licet Deus in se cōtractus videatur obtenebrari, tamen idem sunt ei Tenebræ & Lux: quia (teste Propheta) *Tenebræ non sunt tenebræ Deo: non enim possunt ipsæ ita obtenebrari, quin præuideat. Est enim ei vt dies, & tenebræ sunt ei vt ipsa lux.* ^{Psal. 139.}

B.

B. est effectus potentia, seu voluntatis diuinæ, in quo statu omnia erant informia; & in sola ad actum potentia ante mundi creationem. Estque reuera B. hieroglyphica Dei simpliciter adhuc nolentis imago, in cuius medio Deus est in vera sua essentia lucida in se, sed non emittens se ex se. Tale erat primordialiter Chaos, ex cuius visceribus materia mundana originaliter est orta. Hinc Hermes: *Erat umbra infinita in abyssu; aqua autem & spiritus tenuis in abyssu inerant.* Sic etiam ^{Pim. 3.}

Iehova fassus est se habitare sub caligine.

Deus reuelat profunda & abscondita; nouit in tenebris constituta, & lux est summo. ^{1. Chron. 6. 16. Daniel. 2.}

Fecit tenebras locum suum secretum: & aquis nigerrimis ac nubibus dens circumsepabat tabernaculum suum: vt velamenti loco ipsi inservirent. ^{Psal. 18. 11.}

Tenebræ fuerunt super faciem abyssi. ^{Gen. 1.}

Concludimus ergo, quod istiusmodi sit potentia diuina vid. sedes Dei radios suos in se ante creationem retinens, actumque suum in potentiam post mundi creationem, & in mundi creatione contrahens: quam potentiam

);(3

tiam

tiam diuinam, seu proprietatem contractiuam, tenebræ, chaos, informitas, quies, frigiditas, priuatio, mors, morbi, tristitia, metus, melancholia sequuntur: eiusque in mundo radix magis principalis est flatus Septentrionalis, minus vero, Occidentalis, quorum effectus est, in naturam terream vel aqueam inspissare.

C.

E regione, habemus proprietatem C. illi B. summopere contrariam: vt illa erat in voluntate & potentia posita: ita quidem hæc in voluntate & actu consistit. Vt ergo B. erat hieroglyphicum Dei latentis, siue (vt cum Cabalisticis loquar) *Aleph tenebrofi*: Ita quidem C. est character gloriosæ ipsius emanationis ad mundi creationem: Quæ quidem Emanatio est ipsa *Sapientia*, cuius fons (vt testantur Scripturæ) est *Verbum*. De qua Textus sacer.

1. Ioh. 1.
Sap. 7.

Deus est Lux & tenebræ non sunt in eo vlla.

Sap. 8.

Est candor lucis æternæ & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncera: & speculum sine macula virtutis Dei; & imago bonitatis illius! splendore suo speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luce comparata, inuenitur prior: vnde in actu suo est omni remobilior, attingitque à fine vsque ad finem fortiter, disponitque omnia suauiter.

Vt ergo potentia diuina materiam potentialem ad mundi creationem præbet: ita quidem actus hic diuinus formam administrat, mediante qua, dicta materia informetur, & in mundi dispositionem suauiter & cum ineffabili harmonia adaptetur.

Hinc Textus sacer.

Psal. 104. 24
Eccl. 1.
Proverb. 8.
Prov. 3.
Iob. 28. 25.
Isa. 42. 5.

Sapientia omnia fecisti. Ipsa ab ore Omnipotentis prodiens rotunditatem cælorum circuiuit sola, in profundo abyssi ambulauit, eamque effudit super omnia opera sua. Aderat, quando Deus præparauerat calos, quando certa lege & gyro velabat abyssos, quando athera firmabat sursum. Nam ipsa fundauit terram, stabiliuit cælos, erupit abyssos & nubes rore concrefcere faciebat: Ipsa aptabat pondus aeri, & appendebat aquas in mensura, faciebat pluuiam statuta, & vias fulgetro tonitruum: cælos creabat & extendebat eos, firmabat terram & qua germinabant in ea. Denique hæc est spiritus ille sanctus, qui à patre luminum, ad voluntatem suam faciendam descendens, ponebat Tabernaculum suum in Sole.

Ephes. 4. 8.
Eccl. 3.

Concludimus ergo, quod ista Emanatio sit *Verbum Dei*, verus *Christus* spiritualis omnia implens: spiritus incorruptibilis in omni re, in quo solo est vita. Sapientia æterna, prior omnium creata seu emissa. Dei radicalis affirmatio, positio seu actus: centralis & radicalis rerum lux, dies, vita, forma, concordia nexus, purus amor & beneuolentia, pax, sanitatis fons & præseruator solus *Iesus*, vtpote qui mittitur non ad destruendum, sed ad saluandum mundum. Denique ipsius est grossa rarefacere, impura depurare, deformiaque reddera pulchra. Quam paucis hisce carminibus ad materiam subiecti & triplicem nominis istius Omnipotentis explicationem expressimus.

I nter cuncta micans. Igniti sydera cæli I
E xpellit tenebras Et toto Phœbus vt orb E
S ic cæcas remouet I E S V S caliginis vmbra S
V iuificansque simul V ero præcordia motu V
S olem Iustitiæ S ese probat esse beati S.

D. E.

Ex duobus hisce vnicus conflatur mundus ad imaginem Vnius qui particeps est tam positivæ quàm priuatiuæ proprietatis. Huic ergo, vt B. ab vnus
entis

Emblema.

entis radicalis potentia & C. ab eiusdem actu procedunt vno & eodem numero, manente ipso: Ita quidem ex duobus illis oppositis, vnus conflatur Pim. 3.
 Mundus ad creatoris radicalis Exemplar. *Erat* (ait Hermes) *umbra infinita in abysso. Aqua autem & spiritus eius in abysso inerant.* Floruit autem splendor sanctus qui sub arena & humida natura, elementa deduxit, grauiaque tenebris submersa, sub arena humida refederunt.

Cali inquit D. Petrus & Terra erant prius de aqua & per aquam assistente Verbo. 1. Pet. 3.
 Et Sapiens. *Mundum ex materia informi creauit Deus.* Deniq; Iob. *Reuelat fundamenta è tenebris & educit in lucem umbram lethalem.* Sap. 11. 18.
Iob. 12. 22.

Hinc ergo concludit Hermes: quod Mundus in viuacitate *Æternitatis* agitetur, & quod mundi locus sit in ipsa vitali æternitate. *Nam* (inquit) *uiuificatur ipse extrinsecus ab æternitate, viuificatque ea quæ intra se sunt, omnia differens numeris & temporibus statutis & præfixis.* Quare alibi *Mundana omnia in mundo sunt.* *Mundus in Deo*, inde concludens quod locus mundi sit increatus, ipsum vero partim creatum, partim increatum. *Natum, si creaturæ opificium respiciamus, non natum, si opificis.* Ob istam ergo rationem, alibi, *Mundi Pater, Deus: eorum quæ in Mundo Cosmus.* Denique alibi concludit. *Mundum secundum Deum, fecit primus Deus ad imaginem suam: Hominem vero ad imaginem Mundi.* Aselep. 10.
Aselep. 7.
Pim. 9.
Pim. 8.

Denique colligere fas est, quod lux ista diuina sit *Lapis angularis* tam Cælorum quam Terrarum. *Nam in Cælo posuit Tabernaculum in sole terrarum.* vnde Iehoua ad Iobum: *Quis iecit lapidem Terræ angularem?* Quare, si in ore discreto Terram aperire queamus, proculdubio lapidem lucidum angularem, qui est omnis creaturæ fundamentum, in ea inuenire possimus, vt hac ratione eum ad salutem nostram applicemus.

F. G.

Iuxta mysticam Orphei, Hesiodi, Euripidis & Æschyli Theologiam (qui fabulis inuoluunt mystica ea quæ à personis diuinis didicerunt) *Solem* diuinum in Archetypo, à quo omnis ornatus & pulchritudo numerosam vitæ harmoniam comprehendens deriuatur) esse agnoscit. In cuius dextra est pietas & beneuolentia, in sinistra seueritas & punitio. Huius solis diuini mysterium soli visibili & creato ascribunt, quæ *Apollinem* dicunt, quem gratiam, vitam, & salutem à dextra, arcum vero & sagittam in sinistra portare asserunt, Similiter alio respectu eum *Bacchum* & *Dionysium* dicunt, quatenus nempe seipsum & alias creaturas ab ipso factas nocte dilacerare creditur: at vero dicunt ipsum, diurno tempore *Apollinem* dici, siue *Phæbum*, qui Dominium habet in diem & vitam, componit ea quæ nocte sub nomine *Dionysii*, idque in septenario numero dilacerauit & destruxit: nam per eundem numerum processit Apollo in compositione, sua natura: Inde arguens quod idem Deus sit tam destructionis quam compositionis, hoc est ita corruptionis quam generationis author & actor: & quod quatenus per numerum 7. componit: ita viceversa per 7. destruit. Nam numerus 7. auctori vitæ attribuitur.

Nocte ergo, hoc est, in priuatiua & tenebrosa sua proprietate seu ipso nolente, sub nomine *Dionysii* dissipat membra rei genitæ, siue compositæ: Die vero, hoc est in positiua, lucida & benigna sua proprietate, ipso volente & concedente, creatur, generatur & præseruatur creaturæ naturâ. Hinc ergo est, quod Athenienses *Apollinem*, *Ἀλεξίκαλον*, mali pulsatores: & Veteres *Apellin*, loco *Apollinis*, vtpote, malorum discussores & Homerus *Ἰλιον*, hoc est sanitatis authorem dicitur, iuxta illud Dauidicum: omnes creaturæ à Deo habent expectationem. *Deo ergo dante ipsis, colligunt, aperiente manum suam satiantur bono, abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum eorum, expirant, & in puluerem suum reuertuntur, emittente spiritum suum recreantur &c.* Psal. 104. 19.
Iob. 34. 13.
 Et Iob, *Hominem constituit Deus super terram, apponens ad eum, animam suam: si spiritum seu flatum seu animam eius, ad se reciperet, vel traheret, deficeret &c.*

Emblema.

ret & expiraret omnis caro simul, & homo in cinerem reuerteretur &c.

Quibus liquet, quod sit Dei vnus vitam vel volentis sua præsentia, quippe qui est ipsa vita, vel nolentis sua absentia, quoniam eius absentia est mors ipsa & priuatio, tam occidere quam viuificare, tam vulnerare quam mederi, tam malo percutere, quam bono afficere: vtpote cuius est, sua voluntate & præsentia seu actu, generare & præseruare, quam reductione actus sui in se, priuare & destruere.

Istiusmodi ratione commotus ego *Emblematis* istius *Hieroglyphici* pedes geminos constitui, *Diem* scilicet, & *Noctem*, *Lucem* & *Tenebras*, *Bonum* & *Malum*. Denique eos varia *vite* & *Mortis* statuimus *Mundi vnus Tabernacula*. Quorum vnum, *Deum* se de vnica natura in aliam secundum *Lucis* & *Tenebrarum* dispositionem mutatum, *Principem*, cum dictis Poetis effinximus: Quem in *Hemisphærio* diurno *Apollinem*, *Phæbum*, & *Solem* lucidum nuncupamus, qui in eo *Hominem* ex partium 7. vnione conflare, creare & generare operatur. In nocturno vero *Hemisphærio* *Dionysium*, *Principemque Tenebrarum* effecimus, iuxta bene formatam veterum Poetarum inuentionem, dictitamus: vtpote, quorum amborum vnio, nihil aliud est, quam *Deus vnicus*, vel *volens*, vel *nolens*, qui (Apostolo teste) operatur omnia in omnibus.



SANI-

SANITATIS MY-
STERIVM,

Seu

TOMI PRIMI TRACTA-
TVS PRIMVS:

MYSTICVM SALVTIS PROPVGNA-
CVLVM DESCRIBENS.

In quo

*Supercaeleste, Caeleste, & Elementare Sanitatis Mysterium, eiusque tuenda &
conseruanda ratio, sacrorum Bibliorum testimonio, verorumque
Christianorum ritu, explicatur.*

Cui, in fine, Appendicis loco, Responsum ad Marini
Merfenni calumnias annectitur.

):():(

Tracta-

Tractatus huius primi contenta,

<p>Prima vitæ & sanitatis originē tractat. Estq; in partes distincta tres: Quarū</p>	<p>Duæ primæ supernaturalia & radicalia vitæ & sanitatis mysteria pertractant. Nam Partis</p>	<p>Primæ Liber</p>	<p>Primus; actus & potentia diuinæ mysteriū indicat in mundo</p>	<p>Archea typico. Typico.</p>
<p>Tertia, Principia naturalia, & à radicalibus orta describit: nam explicat Liber eius</p>	<p>Primus, Cælestem & Astrologicū sanitatis ortum in genere. Secundus, Planetas in specie ad sanitatem tuendam ordinatos. Tertius, salubrem Vëtorum proprietatem. Quartus, Elementa & meteora vtriusque mundi salutaria. Quintus, mixtiones & temperamenta varia in vtroq; mundo, ex ventis seu elementis facta.</p>			
		<p>Prima in supercælesti sanitatis tuendæ ratione versatur. Tractat enim eius Liber</p>	<p>Prima in supercælesti sanitatis tuendæ ratione versatur. Tractat enim eius Liber</p>	<p>Primus, supercælestem sanitatis acquirendæ ac tuendæ rationem. Secundus, Orationis mysterium. Tertius, Praxin in sanitatis præseruatione Oratoriam.</p>
<p>Secunda cælestē sanitatis tuendæ methodū respicit: obseruatione sani</p>	<p>Complexionis & ipsius Constellationis. De qua Lib. 2.</p>			
		<p>Tertia circa Elementarem salutis præservandæ methodum versatur: quæ consistit in obseruatione</p>	<p>Aeris. Ventorum. Meteororū.</p>	<p>De quibus Lib. 1.</p>
<p>Secunda sanitatis tuendæ rationem ostendit. Estque in partes tres diuisa; Quarum</p>	<p>Cibi & potus. Inanitionis & Repletionis. Motus & Quietis. Somni & Vigiliæ, &c.</p>			

Tractatus iste primus in sectiones diuiditur duas: Quarū

HIERO.

HIEROGLYPHICA MYSTICI SALVTIS Propugnaculi descriptio,



AD meliorem Hieroglyphici istius Propugnaculi mystici Emblematis explanationem, in primis sciendum est iuxta Sapientis intentionem, quod Deus creaverit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suae fecerit illum: Invidia autem Diaboli, Mors & Morbus introiuerunt in orbem terrarum. Nam ut iustitia Dei (quae est ipsa Vita & Veritas) est perpetua, immortalis & interire nequit, ita eam homini impertiuit in creatione sua, ut mediante ea, non modo ad imaginem eius qui eum creauit, esset factus, verum etiam, sanabilis, nullo medicamento exterminii (ut Salomonis verbis utar) eliminandus. Creauit (inquit) omnia, ut essent, & sanabiles

):():(2 fecit

Hieroglyph. propugnaculi mystici sal.

Sap. 1. 14. v. fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminii, nec inferiorum regnum in terra. &c. Concludit ergo quod non esset aut morbus aut mors ex parte Iustitiæ diuinæ, quippe quæ omnibus dedit æternum esse: est enim illa Verbum Dei cuius nota quidem, perit vnquam, sed tam infirmitas quam exitiū & destructio ex parte Iniustitiæ procreantur: quæ est illud Tenebrarum figmentum quod iustitiæ (quæ est verax illa Lucis filia) omnimodo opponitur. Hinc Sapiens *versu sequenti: Iniustitia autem, mortis acquisitio: Impii manibus & verbis illam accersuerunt, & estimantes illam amicam, defluerunt. &c.* Quocirca necesse est, vt qui sano more in hoc mundo viuere exoptat, iuste coram Deo suo viuat, & iuxta Apostolicam normam, orare ne cesset: hoc est (iuxta Prophetæ Regii sensum) *in lege Domini delectetur, & in ea die & nocte meditetur: ipsum sincere timeat, & à peccato seu iniustitia abstineat, in cubili cum silentio contempletur, & sacrificia innocentie sacrificet, speretque in Domino.* Quod Moses sic expressit: *Colito Iehouam, Deum tuum, qui benedicet pani tuo, & aqua tua, & amouebit è medio tui quemuis morbum &c.* Ob istam igitur causam imprimis Hominem munimento seu propugnaculo quodam petroso Angelica virtute pleno aduersus hostes Diabolicos, sanitatis suæ tuendæ gratia includi finximus. *Induite* (ait Appstolus, *armaturam Dei, vt possitis stare contra Diaboli insidias, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in caelestibus: propterea, accipite arma Dei, vt possitis resistere &c.* Quo sermone non modo intendit inuasiones spirituales, verum etiam corporales.

Hæc ergo petitio Daudica, viri iusti, & Deum timentis animo semper fixa maneat, non solum pestis tempore grassantis, sed etiam omni hora & momento in corde & memoria sua, imprimatur & reuoluatur, immo vero & vocaliter cum summa corporis & spiritus humilitate proferatur, vid.

Luceat facies tua super seruum tuum: Serua me benignitate tua.

Sap. 7. Deut. 30. 10. Psal. 30. 6. Psal. 36. 9. Psal. 90. 14. Psal. 10. 12. Psal. 4. 7. Psal. 15. 29. Psal. 27. 1. Psal. 30. 4. Psal. 84. 12. Psal. 106. Pron. 3. Sap. 16. Psal. 91. 4.

Nam vt Verbum seu sapientia diuina est claritas emanationis omnipotentis & candor lucis diuinæ: ita quidem Salus & vitæ præseruatio, aderit eius præsentia. Hinc ait Moses, *Ipsè Iehoua Deus tuus, vita tua est, & longitudo dierum tuorum.* Et Daud, *Vita adest beneuolentia Iehouæ. Vita fons penes te est.* Vitæ enim elongatio est benignitas Dei. *Visitatio tua* (inquit) *conseruauit spiritum meum. Lucem faciei tuæ attolle super nos, & efficiet vt videamus bonum.* Nam si tu illustres lucernam meam, Iehoua Deus meus, splendentes efficis tenebras meas: Et alibi. *Lux salus iustorum & robur animæ meæ. In luce Iehouæ saluabimur, nam Deus est Sol, vitam & gratiam dans: Quare quem visitauit ipse, luce atque salute sua, fruetur bono & fælicitate electorum eius. Quoniam in dextra Sapientie eius est dierum longitudo: & in sermone eius Sanitas: quippe qui omnia sanat.* Non ergo inconsulte dixit Rex, *Luceat facies &c.*

Deus vero dicitur exaudire ipsos qui nomen suum fideliter pænitenter & cum humilitate inuocant. Quare iuxta sermonem illum quem Spiritus sanctus dicti prophetæ ori indidit: *Ne timete à timore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine peruadente, à luce vastante in Meridie, vel (iuxta Hieronymi interpretationē) ab occurssu demonii meridiani. Cadent à latere tuo millia & decem millia à dextris. Non autem ad te accedet malum & flagellum non appropinquabit tentorium tuum. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Super aspidem & basilicum ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem. Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & exaudiam eum: cum sit in tribulatione, eripiam & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum &c.*

Quibus

Descriptio.

Quibus luce clarius est, quod à solo Deo sit Sanitas: deinde quod illam per Angelos suos perficiat & præseruet, tertio, quod per malos Angelos, quorum virulentiam per aspides, basiliscos & dracones denotat, hominibus sanis mors inducatur: quarto rationem cur sanum tempore pestis seruet, duplicem profert, quoniam scilicet, speravit in eum & clamavit ad eum, & (quod est efficacissimum) cognouit nomen eius: hoc est verbum & sapientiam mysticam intellexit. Hinc ergo sano, in tribulatione precanti, sic respondit Iehoua è Sanctis suis cælis: *Plaga non appropinquabit tentorium tuum, quoniam Angelis meis præcepi de te, qui conseruabunt te in omnibus viis tuis.*

Notandum ergo est, quod vt Deus essentialiter omnia & in omnibus, operari dicitur: Ita quidem eius Angeli sunt causæ primi ordinis instrumentalis per quas agit: quorum quidem caput est Iesus Christus siue sapientia æterna, quæ erat prima emanatio ante omnia creata, genita. Quod quidem ex his Apostoli verbis luculenter colligimus. *Dii quidem sunt qui dicuntur in celo & in terra, nobis tamen vnus Deus à quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum, &c.* Inde arguendo quod omnes aliæ in mundo, emanationes angelicæ sub hac vnica radicali ceu summo Angelorum imperatori comprehenduntur, vnde & mediator dicta est inter Deum & creaturam. Concludit enim Cabalistarum atque etiam Peripateticorum schola (teste Reuchlino) ipsum angelum tanquam inter Deum & naturam virtus media, à qua fiunt operationes, in rebus, quas natura earum non faceret, vel sic faceret, quas alii dicunt prouenire à proprietate occulta: &c. Quibus patet quod Deus operatur per Angelos, quasi Instrumenta, quorum vita est Iesus spiritualis seu sapientia æterna, quæ est splendor, candor & emanatio lucis æternæ: Quam Cabalistarum nonnulli credunt fuisse magnum illum angelum Michael, qui victoriam in Draconem, ac angelos suos obtinuit, & consequenter cui omnes Angeli nocentes redduntur subiecti & obedientes. Quare sine controuersia, hic erat Archangelus ille magnus qui ab ortu solis ascendens imperauit 4. illis ventis super 4. terra angulos, quibus stantibus datum erat nocere terræ & mari, vt non nocerent terræ, mari, arboribusue, quousque signauisset seruos Dei in frontibus: quoniam Michael (Cabalistis) animæ & vitæ amicus reputatur, quod arguit eius contra vitæ & animæ humanæ hostem Draconem, concertatio: Porro etiam ab ortu solis ascendebat: At Rabbi Tedacus Leui (teste Reuchlino) libro de 10. Numerationibus post explanatos 4. ventos Aquilonarem Meridionalem, Orientalem & Occidentalem, asserit, quod illis 4. ventis creauerit 4. angelos, qui præfecti sunt super eos in die & in nocte: Michael autem qui est ex parte clementiæ & miserationum, constituitur Mamona, idest præfectus super ventum Orientalem: regitque Occidentalem Raphael, qui etiam est ex parte clementiæ. Tum Gabriel, iudicii & seueritatis præfectus est in ventum Borealem: ac denique Noriel seu Vriel Austro præsidet. Hæc ille. His ergo clarum est, quod Michael sit ille Angelus qui Dominium habet in Sole, & consequenter virtus cuius posuit Tabernaculum suum in sole: qui non aliter cæteris angelis virtute, quam ipse sol visibilis cæteris in cælo stellis luce excellere & præesse dignoscitur. Hinc dixit Apostolus: *Deus Pater à quo radicaliter omnia in sua sapientia: & Iesus Christus per quem omnia & sine quo nihil,* mediantibus Angelis Catholice sibi subditis. Atque hæc est istiusmodi Cabalistæ sermonis ratio: ne quis vana superstitione ductus ab angelis omnia humanæ mortalitati cælitus cõferri putet, ac non potius per angelos ab ipsa Dei Maiestate omnia fieri, etiam in angelis: iuxta illud Prophetæ: *Secundum voluntatem suam fecit in exercitu Celi & habitatorib. terræ.* Sed & hoc optime expressit Propheta Regius. *Angeli Domini validissimi robore facientes verbum Dei, ministri eius efficientes placitum eius. &c.* Qua orationis serie indicat, quod vt Deus per suum ver-

Ecc. 1.

Cor. 8.

Reuchlin.
Lib. 3.

Sap. 7.

Apoc. 7. 1.
Reuchlin.
L. 3. de Cabal.

Reuchlin. l. 3.
de arte
Cabal.
Psal. 103.

Hierogl. Propugn. mystici Sal.

bum agit: Ita verbum quidem per Angelica organa voluntatem suam tam in cælis quam in terris exequitur. Ergo, cum *Angeli* distinguantur in *bonos* seu spirituales Lucis filios, & *malos*, seu tenebrarum soboles, sciendum est quod Deus tam per *hos*, quam per *illos* faciat voluntatem suam: per malos nempe, vindictam suam erga impios; per *bonos*, præferuat iustos in cunctis viis suis: per spirituales *tenebrarum filios* leuere agit; per *hosce lucis*, clementer. Exempli gratia.

In seueritate sua.

- Psal.* 78. 47. *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos Angelos.*
- 2. Sam.* 24. 6. *Angelum Domini vidit Dauid inter cælum & terram cum gladio suo stricto, in manu extenso contra Ierusalem. Atque hic Angelus dictus est, Angelus deuastans.*
- 2. Reg.* 19.
1. Sam. 16. *Angelus Iehovæ percutit in castris Assyriorum 180000. Malus spiritus à Iehova perturbabat Saul.*
- Iob.* 2. 7. *Diabolus (iubente Iehova) percussit Iobum ulcere pessimo à plantis pedis vsque ad verticem. Spiritus potentia & spiritus virtutis stabit contra eos, & tanquam procella vel turbo venti iactabit eos.*
- Sap.* 5. 24. *Spiritus potentia Dei ventilans & iustitia persequens iniustos.*
- Sap.* 11. 21.
Ier. 30. 23.
Isai. 29. 9. *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens super capita impiorum quiescit.*
- Baruch.* 4. 35. *Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non ex vino: mouemini, sed non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis spiritum soporis.*
- Exod.* *Diu à demoniis habitabitur illa ciuitas.*
- Psal.* 35. 5. *Destructor, seu vastator Iehovæ percussit omne primogenitum Ægypti.*
- Ecc.* 39. 33. *Fiant sicut puluis vento expositus Angelo Domini iactante eos: sint via eorum obscura & lubrica: Angelus autem Domini urgeat eos.*
- Isai.* 54. 16. *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt & in furore suo confirmauerunt elementa sua & in tempore consummationis effundunt virtutem & furorẽ, eius qui fecit eos confundent. Ignis grando, fames, omnia hæc ad vindictam sunt creata; Bestiarum dentes, vt scorpium & serpentes, & rhomphaa vindicans ad exterminium impios. In mandatis eius epulabuntur, & super terram in necessitatem præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum.*
- Ecce ego Creauit fabriuum sufflantem in igne prunas & proferentem vas in opus suum, & ego creauit interfectorem ad disperdendum. Et infinita alia in sacro codice passim reperire est.*

In clementia sua.

- Gen.* 19. *Angeli cogunt Lot ad suam salutem.*
- Gen.* 32. *Angelus bonus benedixit Iacob.*
- Exod.* 23. *Angelus mittitur ante Israelitas vt in via per desertum eos custodiat & in terram promissam introducat.*
- Reg.* 19. *Angelus Domini dedit Eliæ ad comedendum & bibendum in magna eius angustia.*
- Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis.*
- Angeli in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Angelus

Descriptio.

Angelus Domini sanctus Raphael mittitur, ut curet Tobiam & expellat demonium. Psal. 19. 11.
Psal. 19. 12.
Tob. 3. & 12.
4. Sed. 4.
Math. 18.
Marc. 1.
Marc. 13.

Angelum Uriel misit Dominus ad Esdram.

Angeli pusillorum istorum semper vident faciem patris mei qui est in caelis.

Angeli Christo ministrabant habitanti cum bestiis.

Angelos suos mittet & congregabit Electos à quatuor ventis.

Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam; & aquam mouendo reddidit ipsam medicabilem. Ioan. 3.

Angelus Domini liberauit Apostolos incarceratos.

Angelus Domini Petro in liberatione sua adfuit.

Angelum suum misit Dominus & eripuit me de manu Herodis.

Angelus ascendens ab ortu solis signauit Electos in suis frontibus ne ab Angelis nocentibus in 4. Terra angulis stantibus caderentur. Apoc. 12. 1

Plaga non appropinquabit tentorium tuum, quoniam Angelis meis præcepi de te, qui conseruant te in omnibus viis tuis: &c. ut antea. Psal. 91. 11.

Et quamplurima alia loca è Textu sacro proferre possim, quæ (breuitatis causa) omitto.

Quales autem sint 4. illi Principes, qui sunt Ventorum Cardinalium præfecti, supra ex Rabbi Te daci Leui sententia, loco supra citato explicauimus, vid. Michael Orientis, Raphael Occidentis, Gabriel Aquilonis & Uriel seu Noriel Meridiei, & quamuis sint Angeli quidam nocentes teste Reuelatore in quorum potestate sint ventorum vires: tamen hi boni principes ipsis ideo potestate & dominio (nutu diuino) præponitur, quoniam Draco cum malis suis Angelis ab ipsis (duce Michaelē) est deuictus: Quare nihil possunt nocentes mali nolentibus & non permittentibus istis bonis principibus: nam *Angelus ab ortu ascendens imperauit iis ne nocerent quousque &c.* qui ipsi fuerunt statim obediente sed hoc optime explicauit Reuchlinus ex doctrina Cabalistarum, dicens quod ut sint inter nos mortales ut Angeli sic Diaboli vexilla quique sua. In exercitu Dei quatuor Antesignani, Michael, Gabriel, Uriel, Raphael, instar Elementorū quatuor secundum quatuor situs, aut iuxta quatuor numerationes spirituales, ut quondam filii Israel quatuor vexillis proficiscebantur: ad Orientem Iudæ, ad Meridiem Ruben, ad Occidentem Ephraim & Dan ad Aquilonem: In exercitu pariter Satanae latissima gerunt signiferi vltiores vela: *Samael Azazel, Azael, Mahazael* cum turmis suis & legionibus tartareis. Num. 1.

Quare euidentis est, quod boni duces sunt illi Dei lucis seu actus diuini qui est Lux Mundi & cuiuslibet Creaturæ vita: in qua (teste Ioanne) non sunt tenebrae vlla: Alteri, qui mali, respectu nostrum dicuntur, sunt illi Dei occultati & in se contracti, hoc est, imperatoris tenebrarum vid. potentia diuina, quæ non aliter respectu nostri videtur opponi actui diuino, quam ipsæ tenebræ luci.

Quare ut vna Dei proprietates videtur alteri contrariari, ita etiam spiritus lucidi natura sunt illis tenebrosis oppositissimi: utpote quorum hi ad morbum & mortem siue priuationem & corruptionem, illi ad salutem, vitam, generationem & positionem à Deo lucis sunt destinati.

Et quamuis hæ proprietates nobis qui patimur videntur omnimodo contrariari, tamen in sempiterna Dei radice & essentia diuinæ Vnitatis primordiali, cuius est tam occultare se contrahendo se in se, quam manifestare se, seipsum ex seipso dilatando, hæ non nisi vnum & idem sunt à quo omnia.

Hieroglyph. Propugnaculi mystici sal.

Psal. 139.

Nam quid interest inter essentiam mentis meæ petitionem concedentis vel negantis? Hinc ergo est, quod licet Deus contrahendo se in se omnia reddat tenebrosa & mortua, ita quidem emittendo vultus sui radium, vniuersa lumine iucundissimo informat: & tamen idem sunt ei Tenebræ ac Lux; idem nox ac dies: Quare *Tenebræ non sunt Deo Tenebræ, quia non possunt ipsæ ei ita obtenebrari, quin prouideat*, vt Psalter regius testatur. Non ergo vniuersitate radicali sunt spiritus lucis filiis nocentes mali, sed tam boni, quam ipsi Lucis spiritus, quoniam ambo ipsi inseruiunt in ministerium, sed nobis qui patimur vel boni vel mali esse putantur. : Nam angeli tenebrofi, tam Deo in proprietate *Dionysii* vid. seueritate sua necessarii sunt, quam ei in proprietate *Apollinis*, hoc est in sua clementia. In proprietate enim clementiæ emittit creaturæ spiritum beneuolum: & hunc lucis spiritus ibi Dominium habebunt in iracundia seu seueritate sua auertit faciem & vultum suum se in se contrahendo, & creaturam tenebris immergit & in spirituum tenebrosorum & crudelium potestate eum relinquit, in quo actu eum *Dionysium* dictitarunt Antiqui. Hinc est, quod à Deo lucis, hoc est, æterna sapientia seu emanatione docemur nos qui sumus vitæ & lucis filii vt in luce ambulemus & vt vias tenebrarum euitemus, vt à principe tenebrarum Diabolo & malis seu tenebrosis Angeli seure viuamus, sin minus, inter tenebrarum filios enumeremur, & cum impiis Angelis Domini se à nobis occultantis, tenebrosis male agitemur.

In hoc ergo Emblemate habemus in quolibet Munimenti quadrati Propugnaculo versus venti cardinem disposito bonum & principale *Archangelum*, prauos & malignos *spiritus* vitæ humanæ infestissimos à quatuor ventis per angelos quatuor nocentes emissos stricto gladio propulsare. His autem angelis quatuor qui vim habent in ventos Doctores Hebræorum sagaciores nomina naturis ipsorum conuenientia imposuerunt. Nam angelum venti *Orientis* vim habentem, *Orientem*, seu *Vrientem*: Venti *Occidentis* *Paymonem*, *Septentrionis* *Egynem*, & *Meridionalis* *Amaymonem* nuncupauerunt. Ad quorum flatus *Dæmones* illi, qui Elementorum sunt principes & legionum illarum duces, cum suis cohortibus ad nocendum terræ, mari & fructibus, seu arboribus, & ad aerem in suam naturam conuertendum mouentur & exagitantur: suntque quatuor ante dicti qui lata Satanæ vela gerunt. vid. *Samael*, qui cum igneis suis spiritibus (quatenus ab Hebræis pro Elementi *Ignis* duce habetur) laxante *Vriente* *Euri* habenas super *Dipsada* equitans, *Aerem* in igneam suam naturam reuertit: Ipsumque super *Dipsada* equitantem finximus, quoniam ista serpentis species immensam generat in vulnerato sitim cum æstu intolerando. Hinc febres sitim & morbos æstuentes & siccos secum diuturniori suo in Aere Dominio afferre aduertitur. Huic resistit *Raphael*, qui est naturæ huic oppositæ: utpote in *Occidente* Dominium suum habens. Porro *Michael* impedit hunc ne cum suis ingrediatur salutis iustorum Propugnaculum: iuxta Textus sacros sequentes.

Deut. 28.

Percutiet te Iehoua à calida & æstuante & vrente febre & siccitate & vrigine & morbo regio. &c.

Ion. 4. 8.

Gen. 41. 6.

Et cum ortus esset sol, præcepit Dominus vento calido & vrenti, & percussit sol super caput Iona, & æstuabat & petiuit anima sua vt moreretur.

Iob. 6. 4.

Eurus adurit fructum, segetes & gramina.

Sagite omnipotentis in me grauiorēs sunt: virus earum ebibit spiritum meum & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt, oppugnant me.

Iob. 20. 23.

Cum impius esset impleturus ventrem, in eum Deus æstuantem eius irā emittit quam impluit in eum loco cibi eius. &c.

Vnde

Descriptio.

Vnde patet, quod Deus æstuantem febrilem & siccum reddit aërem mediante Euri afflatu: non enim Sol erat sufficiens, sed Ventus calidus & vrens, quem alii Eurum interpretantur.

Secundus Satanæ Antesignanus, ab Hebræis *AzaZel* dicitur, qui quatenus Elementi *Aeris* madidi est Dux, cum aereis, madidis, & corruptis suis spiritibus, laxante Angelo *Amaymone* Venti Australis habenas, super Basiliscum equitans, & vndique cæteris venenosus stipatus Propugnaculum munimenti salutiferi Australe aggreditur, eumque super Basiliscum equitare fecimus, quoniam vt Basiliscus oculo solo de longe inficere & interficere dicitur: ita quidem pestis morbi que pestiferi ad instar afficiunt. Hinc ergo pestis, morbilli, variolæ, phthisis. &c. Hocque hi insequentibus Textus sacri confirmant.

Ne, timeto à peste in caligine peruadente: à luce vastante in meridie, vel vt Hieronymus ab occurſu Daemonii meridiani. Psal. 91. 10.

Percutiet te Dominus febre, ardore, & æstu & aere corrupto donec pereas. (Iehoua de Austro veniet, operuit celos gloria, ante faciem eius ibit mors, seu vt remellius interpretatur) *Pestis, & Diabolus ante pedes eius.* Deut. 28. 32.
Habacuc. 3. 8.

Quibus patet quod morborum pestiferorū Radix sit in meridie: quod etiam Hippocrates *libris suis de morbis Epidemicis & Aphorismorum*, & Galenus super eos commentans expresse videntur agnoscere.

Tertius Satanæ Antesignanus dicitur *Mahazael*, qui quatenus dicitur Elemento *Terræ* præesse, cum spiritibus suis trigidis & siccis (laxante Angelo *Egyne* Boreæ habenas) vndique aërem constringentibus, aquasque coarctantibus, in munimenti salutis propugnaculum Septentrionale se hostiliter dirigit. Hunc super Salamandram ascendentem & lucifugis suis spiritibus vndique circumseptum ideo depinximus, quia frigiditate sua calorem extinguit naturalem, mortificando seu congelando: & morborum etiam melancholicorum & contagiosorum quandoque est Author, præcipue ex parte Aquilonis qui ad Cæciam accedit: vid. Lepram, Psoram, Alopeciam, scabiem pruritem &c. Hinc morbi melancholici, stupidi, tristes &c. iuxta hæc sacre scripturæ Testimonia.

Flante Deo concreſcit gelu & coarctantur aqua. Contra frigora eius quis conſiſtit? Percutiet te Dominus frigore & rubigine donec pereas: &c. Venti aquilonares producant frigus. Iob. 27. 9.
Psal. 147. 17.
Deut. 28.
Iob. 37. 9.

Quartus Satanæ signifer dicitur ab Hebræis *Azael* qui (vtpote Elementi *Aquæ* præfectus) madidis & aqueis spiritibus aërem afficit, pluuiasque grossas, frigidas, & humidas procreat, Angelo *Paymone* venti occidentalis habenas relaxante, viriliterque & malitiose propugnaculum salutis occidentale aggreditur: Quod bonus ille Angelus Raphael (annuente Deo) mascule defendit. Huic Catarrhus, defluxio, Hydrops, Epilepsia, Apoplexia &c. de quibus passim Pagina sacra,

Testimonia Biblica humiditatis huius Venti in Macrocosmo, à quo Microcosmus.

Transtulit Austrū de celo & reduxit in virtute sua Africū, & pluit super eos. &c. Psal. 77. 126.
Exod. 10. 13.
Psal. 77. 26.
Num. 11. 13.
Iob. 37. 36.
26. Gen. 41. 6.
Exod. 14. 21.
Exod. 15. 8. 10.
Psal. 10. 3.
Psal. 14. 8.
Ephes. 2. 17.
Quomodo vero operetur Deus in aere mediante hoc vento: Quomodo per Eurum & per Aquilonem & quod venti dicantur *flatus narium Iehouæ*, & qua ratione Deus fecerit afflatu suo Angelos ventos, & quod per hosce Angelos robore validissimos, placitum suum tā seuerè, quam clementer efficiat, vnde propheta, *Ventus procellosus efficiens verbum Dei*: copiose in literis sacris demonstratur. At vero vt *Sapientiam aeternam* quæ, est spiritus benignus & suavis

Hierogl. Propugn. mystici Sal. descriptio.

suavis posuit Deus in cælo principem ad benedicendam creaturam & influen-
tias vitæ in terram impluendas : ita quidem in aere statuit Satanam princi-
pem, virtute tamen Sapientiae Iesu, ubique præsentis inferiorem & subdi-
tum ut in vindictam (Creatoris nutu) paratus sit : de quo Apostolus : *Vos vi-
uificavit Deus qui fuistis mortificati in peccato, in quo temporibus præteritis ambulastis
secundum cursum mundi & secundum vias principis illius qui dominium habet in aere.*
Cōcludimus ergo quod sanitas humana à Deo Angelis suis bonis commen-
datur, qui idem faciunt quod Deus vult : hoc est, Deus per ipsos est muni-
mentum fortissimum salutis humanæ. Quare David Rex ait : *Deus Iehova, iusti-
petra, propugnaculum, liberator, rupes robusta ad quam se iustus recipit, clypeus & cor-
nu salutis, editus & munitus locus, robur, &c.* Hic, sanitatis basis, hic
morborum radix, & consequenter totius operis
huius fundamentum.

Psalm. 18. 34.



EXOR-



EXORDIVM, SIVE PROOEMIVM, IN QVO
 Author in stricta Monadis æternæ inquisitione, difficultatem
 & profunditatem, hymni more explicat: ad tantum myste-
 rium enucleandum, Verbi Sapientiæque diuinæ auxilium im-
 plorat: & tandem Monadis paternæ auxilium inuocat, ipsius
 omnipotentiam non sine admiratione canit, gra-
 tias denique agit immensas pro be-
 neficiis suis,



*Nimadvertite ô Munde sanctæ æternitatis imago: audite ô cælum
 & terra diuinitatis splendore ac gloria adornata, attendite vos
 preciosa ô Cosmi membra, creaturæque in eo cunctæ obstupescite
 admiratione, immensam enim Creatoris existētiam ante omne
 tempus & priusquam auum suum accepisset initium, ab ipso æter-
 nitatis puncto vobis canere atque ebuccinare exordior. Adsit
 mihi testis lux illa increata splendorque sanctus Verbum diui-*

*nium seu ipsa æternitas, quatenus in principio erat ipsa apud Deum, imo vero ipse
 Deus, sacrosanctæque sermoni huic meo astipuletur Sapiencia à fonte verbi æterno
 emanans, & à primo æui momento (utpote ante omnia creata) ortum suum de-
 ducens, quippe quæ aderat Iehovæ in principio viæ suæ, fuitque ipsa ante o-
 mnia eius opera, ante vllum tempus, ante seculum, ante terræ primordium,
 antequam aptaret cælos cum nullæ adhuc essent abyssi, invncta atque ordi-
 nata. Testes (inquam) mihi veri & fideles adestote, obtestor vos, O Numina excelsa,
 suprema entium entia, æternaque rerum omnium principia, animoque meo tenebris
 obfuscato in cæpto tam arduo duces & conductores estote. Quis enim ad occultam patris
 cognitionem, quid scilicet, qualis & ubi sit, pertingere queat, nisi eius filius & cui filius
 eum reuelare placuerit.*

*Ioan. k.
 Ecc. i.
 Ecc. i.*

*Luc. 10. 23.
 Matt. 12. 27.*

*O quam profundum & abditum mundo iam propalare me accingam, & quanto
 stupore atque pauore scintilla mentis meæ exiguitatem considerando, in opus hoc im-
 mensum incomprehensibile atque abstrusum enucleando & explicando me concussam
 atque vibratum sentio. Et nisi mentis humana nobilitatem mecum serio reputassem, nisi
 ipsam in verbo ut verbum seu æternitatem in Deo comprehensam, sedulo consideras-
 sem, nisi immensam eius virtutem atque in subtili abditorum inquisitione atque reue-
 latione potestatem paulo accuratius mecum essem contemplatus, nisi diuinam Sapien-
 tiam (cuius est omnia docere arcana) delectationem, familiaritatem atque conuersati-
 onem cum hominum filiis (mediante ipsa mente) habere intellexissem, ita ut ipsi hæc Dei
 natura fulti, intelligentia sua cuncta quæ in terra sunt & quæ in mari, & si quid est præ-
 ter ea supra cælos, compleri queant atque adeo se ipsos erigant ut ipsum quoque patrem
 bonum & pulchrum per tenebras perque lucem intueantur, in tanta profunditatis Oce-
 anum & tam altam & abstrusam tenebrarum abyssum me immergere atque præcipita-
 re inconsultum fore, & alioquin temerarium nimis existimarem.*

*Trismeg. 19
 Pimand.*

*En ergo & ecce O sempiternæ Pater ad excelsam tuam maiestatem Filio tuo lucido
 ducente, mentis meæ radios, insignem tuam gratiam & misericordiam imprimis, in
 cæpto tam arduo implorando, humiliter conferre gestio, qui cum sis Vnus, omne tamen
 & in omnibus tua existit Vnitas: nihil enim in tota natura est, quod ipse non es, & ni-
 hilominus Nihil tu dici potes, utpote qui pariter es quæ minime existunt. Tu immobilis &
 stabiliter permanens, cuncta in proprietate tua patente mouere compellis: in illa vero
 occulta, & latente quietis vinculo ea (monadis tuæ infinitæ virtutem in se contrahendo)
 constringis & ligas. Et tamen (ô stupendum inter mortales miraculum) tu vnus tu
 idem*

12

Prooemium de Monadis Amplitudine.

idem, tu simplex, in te, per te & circate plenus, perfectus atq; sempiternus persistis, inde
luculenter creaturis tuis arguens te esse infinitum incomprehensibilem & admirabilem,
qui cum omnem amplectaris existetiam, ultra quam nihil, tu nihilominus extra ipsum
nihil, essentia tuae potentiam extendis.

M. Trismeg.
Pimand. 10.
Pimand. 5.

Ex unitate ergo tua tanquam unico & solo principio dependent cuncta, & tamen
tu unum & idem (ab unitatis gradu minime recedens) prestare soles: In natura enim tua
patente tu omnia omni temporis momento agere & perficere gestis, videlicet in caelo, in
aere, in terra, in mari, in toto denique mundo, & in qualibet eiusdem particula: & non
solum in eo quod est, verum etiam in eo quod non extat, quatenus tu, quae sunt, e tenebris
deduxisti in lucem, quae non sunt, occultasti in teipso: Deus ergo tu occultus, tu rursus o-
mnium manifestissimus. Quare tu solus es sola monas, unica & primaria unitas, prin-
cipiorum binorum radix & origo. Tu tenebrarum lucisque fons, non aliter quam nu-
merus binarius ab unitate suum accepit ortum atque initium. In laude ergo tua o tene-
brarum quiescentium atque luminum viventium fons & pater, quid satis digne profer-
re potest mens mea? Cantabone ego & concinam ego gloriam laudemve tuam in eis quae
e tenebris in lucem eruisti? an in eis quae adhuc latent & arcano tenebrarum seu caliginis
sinu recondita? O ens entium, summa mea & vita virtus laudabit te ipsum unum & omne.
gaudio metis mea lumine tuo sancto fulgentis in te exultare nunc gestio, Constantia mea
mecum tuos promulgabit honores. Iustitia mea per me te iustum & verum canet. Per
me aeternam veritatis tuae famam enarrabit mea veritas. Verbum tuum per me & in
me te laudabit: per me mundus verborum recipiet sacrificium hoc: clamabunt mea vi-
res, cantabunt, voluntatem tuam perficere tentabunt: Bonum quod a te dono accepi, ca-
lorum verticem ultra, tuam eleuabit bonitatem. Nam a te o mortalium vita, o rerum
creatarum bonitas & pater, o unica mundi pulchritudo, omnis in me ceterosque morta-
les benedictio infunditur ac liberaliter impluitur. Quare gratias ago tibi pater actus
omnium potestatum, gratias ago tibi dignissimus Deus, omnium potestas actuum. Esto
mihi obsecro propitius, ut de admiranda tuae unitatis, in occulta inprimis atque latente
natura potentia, verba faciam veritati tuae abstrusae atque occultatae minime dissenta-
nea, ut tandem clariore intuitu ad proprietatis tuae manifesta & patentis leges atque
ineffabiles mundi creandi ac ipsius decore pulchritudineque ornandi actus mundo publi-
candos & propalandos progrediar. Quoniam tibi soli est regnum, actus, po-
tentia, atque sapientia in perpetuum.



TOMI



TOM. I. SECTIONIS I. PART. I.

LIBER PRIMVS,

DE

RADICALIBVS
TAM VITÆ ET SANITA-
TIS, QVAM MORBORVM ET
mortis principiis.

CAP. I.

In quo dispositio Diuina in tenebris occultata & delitescens pertractatur, atque tenebrarum ortus & origo proponitur.



T Arithmeticae peritiores nihil *Vnitate* prius, aut antiquius excogitare potuerunt, (vnde illam simplicem & solam numeri ac multitudinis radicem esse agnouerunt) Ita quidem ipsam in se & per se absolute sumptam, nullum ad numerum quemcunq; respectum habere, aut magnitudine, siue dimensione aliqua terminari, aut numero vlllo includi, aut in partes diuidi quascunq;, aut deniq; substantiae quidditate definiri animaduertent. Vnde ipsam, principium esse omnium primarium & vetustissimum; omnia tam substantialia, quam quantitativa, imo vero & ipsas qualitates proportionem debita in se comprehendens, paulo accuratiori intuitu atque obseruatione perceperunt. Non aliter quam Geometriae punctum in natura sua nuda atque syncera consideratum, indiuisibile, vix perceptibile & quasi nihil terminabile esse videmus. Quod tamen nihilominus cuiuslibet lineae aut alterius dimensionis Mathematicae initium ac origo infallibilis existit, quatenus videlicet, ipse punctus magnitudines omnes, à nulla ipsarum comprehensus amplectitur & continet.

Hæc ergo duo inuenerunt in Mathesi sapientiores tam Numerorum quam Dimensionum omnium Principia, ordine dignissima & diuturnitate antiquissima, ad imitationem siue imaginem interni & centralissimi Diuinitatis puncti, seu *Monadis* Sacrosanctæ lucidæ, in qua non sunt tenebræ vllæ, in seipsam ante Mundi creationem contractæ atque occultatæ, & in absoluta sua *Vni-*
A *tate*

tate & Simplicitate permanentis, nulla plane siue ad rem creandam, siue ad creaturam in actum productam consideratione præeunte. In quo quidem statu & conditione, neque pro Deo haberi, quatenus nullam adhuc produxit creaturam, à qua tanquam Deus adoraretur; nec Pater dici potest, quoniam de prole siue ideali & archetypica, siue typica & mundana, minime adhuc visa est cogitasse: nec pro Bono æstimandum, quatenus de sua Bonitate tenebrosa siue occultata, Mundi materia seu *hyle* caliginosa nondum gustauit: nec Pulchrum dici queat, quippe quæ nihil adhuc sua pulchritudine decorauit; nec Æternitas, quatenus captui humano minime visa est existere, & consequenter nec æternitate, nec æuo, nec tempore associari, nec Principij nomen sibi vindicare videbatur, quatenus nullam adhuc ad aliquod principiatum relationem habere dignoscebatur. Denique tam occulta & obscura est *Monadis* istius sacrosanctæ in se reconditæ natura, ordineque ac antiquitate tam incognita, tamque imperceptibilis atque incomprehensibilis eius essentia, ut neque quid, neque quantum, neque quale esse videretur; sed Ens quoddam conciperetur transcendens, in se reseruatam & sibi ipsi solummodo constans, in cuius potentia, tanquam in Loco locata, existerent hæc omnia. Unde in Sapientiæ veræ legibus versatissimi concluderunt, quod Infinitudo ista; cum esset in abyssu tenebrarum contracta otiosaque immanens, vel (ut aiunt) ad nihil respiciens, idcirco *præ* id est *Nihil* siue *Non-Ens* & non finis esset nuncupata: quia nos tam tenui erga res diuinas ingenij paupertate mulctati, de eis quæ non apparent, haud secus atque de iis quæ non sunt, iudicamus.

Reuchlin.
de Arte Cabalistic.

Hinc ergo est, quod ut *Vnitas* hæc impartibilis qua creatione iam extant, deduxerit sua proprietate manifesta in lucem, ita quidem occulta & latente sua dispositione, quæ non sunt, occultauit in seipso. Quibus sat liquido declarari videtur, quod stupenda atque numquam satis admiranda hæc Virtus vnica, seu Natura ista centralis, radiorum suorum in seipsam contractione, quæ sunt, in nihilum conuertere, hoc est, ea tenebrosa & deformia relinquere solet; in quibus nihilominus inest potentia diuina, mediante qua, ut ad actum pro voluntate Virtutis istius seipsam occultantis, reducantur, est possibile. At vero, nihilum, tenebræ, inania, & vacua dicuntur, quatenus minime formata aut luce diuina ditata: nam forma cuiuslibet rei nomen & esse fertur attribuere. *Aquilonem* (ait Iob) *extendit Deus super inane & vacuum; & suspendit terram super nihilum.* Et Moses vocat *ta-* *le, terram inanem & vacuam.* Et Salomon ait, *Mundum ex informi materia creari;* vel ut Hieronymus interpretatur, *inuisa.*

Ex quibus liquet, quod ut *Monas* ista Imperatoria omnem existentiam sua manifestatione, seu dilatatione ac radiorum emissionem, amplectitur, detegit, creat, & efformat: ita quidem extra istam existentiam nihil, ut & extra nihil sincera est hæc *Vnitas*. Quare ex istis incomprehensibilis & infinita Naturæ istius Excellētia Sole luculentius declarari videtur, quæ cum sit *Vnum*, omnia tamen potest; cum intra existit omnia, extra nihilominus omnia regnare solet: ac denique cum sit summum lucis ac vitarum Numen, est tamen vnus & solus tenebrarum rector, atque Imperator. Ita ut (iuxta Psalmistæ Regij sententiam) *sicut tenebræ eius, sic & lux eius.* Quibus verbis *Monadem*, omnium occultissimam, ac rursus omnium manifestissimam arguere videtur. Atque hinc est quod viri Cabalæ peritiores, *monadem* siue vnitatem istam primordiale in abstrusa & occulta sua dispositione *Aleph* dixerunt *tenebrosam*: *Aleph* autem pro vnitate Arithmetica vsurparunt Hebræi, quam *tenebrosam* dixerunt, cum in caligine se immergendo, hoc est, radios suos in se contrahendo, ad nihil quasi respicere videatur: ut è regione, ipsam, lucem suam emittentem *Aleph* quidem *lucidum* vocauerunt, tunc asseuerando *Aleph* quidem

tene-

tenebrosum esse in Aleph lucidum conuersum; vti inferius erit clarius explicatum.

Percipimus ergo ex his quæ iam dicta sunt, ipsas tenebras nihil aliud esse quam lucis seu radiorum monadis simplicis atque increatæ in seipsam contractionem, quando videlicet Creatori faciem suam lucidam à recreanda & informanda detinere aut auertere placeat; in quo eius actu, Tenebræ dominium in vniuersam Abyssis rudis faciem habere videtur. Quare vt in contracta hac Monadis dispositione, dicatur ipsa quiescere in se, & ad nihilum habere respectum & in re nulla agere, sed sibi solummodo ipsi adesse: Ita quidem deformis illa hylæ dispositio, quæ ob id, tenebræ & caligo nuncupatur, inclinationem parem acquirere videtur, vtpote quæ lumine orbata, caligine & tenebris obducitur; nam ob ipsius lucis diuinæ absentiam, tenebræ & caligo producuntur & traduntur fuisse super faciem Abyssis. Porro etiam quiescente Monadis actu in se, hoc est, dum contrahitur, & in se continentur eius radij, ipsa etiam materia deformis seu hyle tenebrosa forma lucida & actiua penitus destituta, naturali quodam appetitu ad quietem & stabilitatem est procliuus. Nam vt ipsa caliditatis (quæ est lucis effectus) est expers; ita quidem deest illi actus quibus ad motus calefaciendo agitur. Quin &, in hoc imitatur Monadis radicalis naturam, quatenus illa est in se semper immobilis, stabilis & fixa atq; constanter permanens in se, tametsi in dilatata sua conditione nihil ipsa est mobilis aut velocius, vti *infra* latius. Denique frigiditate in eo gaudere videtur hæc tenebrarum massa, eamq; pro qualitate sua innata amplecti; quippe quæ qualitas dominium ibi præcipue habere dignoscitur, vbi caliditas abesse obseruatur. Quid igitur vltiori hac in re moueamur dubio? cum ab ipsius Tetragrammati ore, ab istius (inquam) *Monadis sanctæ* Oraculo accepimus, *se habitare in caligine*. Aut quid absurdius est existimare ipsam (quæ omnia potest) pro suo beneplacito, è tenebris sanctam suæ voluntatis emanationem emitte-
re; eamque (sic iubente Monade radicali) à caligine emergere non posse? cum à pagina sancta sit statutum & memoriæ sempiternæ mandatum, quod tenebræ nequeant eam ita obtenebrare, quin præuideat; vtpote cui nigra & densa obscuritas & nox tenebrosa sint tanquam lux & dies meridianus. Nam quamuis dicta sit hæc Diuinitatis radix posuisse in circuitu suo latibulum, tamen tenebris non erat ipsa taliter impedita, aut obuoluta, quin præ fulgore in conspectu eius, nubes caliginosæ in carbones ignis succenderentur.

Habetis ergo hic Extremorum duorum vnicum, illud videlicet *tenebrosum*; cuius author, potentia atque summa Imperatrix est *Monas* radicalis omnium antiquissima, in se ipso more abstrusissimo occultata atque recondita, ita vt *tenebræ* istiusmodi ipsius *Dei vehiculum*, *densum eius tugurium*, atque *tegumentum* haud impertinenter & quam rectissime à Veritatis sacrario dictitentur, ac si quis cum Philosopho diuino diceret; quod *Monas ante Mundi exordium si- bi ipsi & non aliis reluxerit*: in quo nihilominus statu, probabimus ipsam in simplici sua Natura omnia posse; omnia tam creata quam increata in se comprehendisse; idque luculenter, demonstratione hac consequente. Nam ex diligenti numerorum Cossicorum obseruatione docemur, *omnia quæcunque sunt, esse vel Radices, vel Quadrata, vel Cubos, aut ex ipsis conflata*. Radicibus referuntur omnium rerum principia: *Quadratis*, principiata simplicia & spiritualia: *Cubis*, composita ex principiatis simplicibus (cuiusmodi sunt corporea) Pari etiam ratione in Geometrico respectu, *Linea* quæ est trinæ dimensionis initium, *Radici*: *Superficies*, *Quadrato*; quod *lineæ* partes in se ductæ producere solent: & *Corpus*, *Cubo*; multiplicatione *Quadrati* in *Radice* parto, respondent. Iam vero si *Monadis*, siue *Vnitatis* in seipsam contractæ naturam

respiciamus, inueniemus ipsam sine vlla altitudinis suæ centralis seu punctualis egressu, istos tres terminos, & consequenter omnia ad amussim in se comprehendere. Nam ducendo seu multiplicando vnitatem in se, non nisi Vnitatem, hoc est, seipsam producere animaduertitur; ac denique in tui operis periodo, nil præter vnitatem reperire, quæ sibi est vnitas radicalis, & vnitas quadrata, & vnitas cubica; qui tres termini licet proprietatis formula differre videantur, re tamen & essentia veritate non sunt nisi vnum & idem: videlicet, Vnitas in se contracta; quæ nihilominus omnia in se, idque more abstrusissimo comprehendit: Et quamuis nobis hominibus fragilibus, res omnes in Vnitate & Monade, more tamen Mystico contentæ atq; occultatæ, in potentia solummodo esse existimentur; tamen, quatenus Monas hæc diuina, vnitasque vnitatum prima, sit vnicus & solus actus, formarumque atque essentiarum futurarum fons & origo; certissimum est res apud ipsum, & in ipso in actum ab omni æternitate fuisse productas, tametsi ante actualem & realem lucis faciei istius Monadis in Materiam tenebrosam & deformem emissionem minime comparuerint; & consequenter nobis fragilibus mortalibus haudquaquam ante tempus fuisse existimantur. Quod etiam & his paginæ sanctæ testimoniis confirmatum habemus.

Eccles. 23.
4. Esdr. 6.
Dan. 2.

Deo (inquit Sapiens) omnia sunt cognita antequam crearentur. Et alibi: Dei potentia ante omnia creata finis & initium omnium est. Et iterum: Deus reuelat fundamenta & abscondita, nouit in tenebris constituta, & lux est cum eo. Vnde patet, quod quicquid iam creatione extat, in tenebris erat ante vllam creationem, apud Deum; seu ipsam Monadem centralissimam, quæ est in se, Rerum omnium Radix, Quadratum & Cubus; & tamen ipse ab Vnitatis & Monadis suæ limitibus recedit nunquam: Nam ille est solus Deus absconditus; faciens omnia, extendens cælos, solus stabiliens Terram, & nullus secum; vt testatur Propheeta: hoc est; hæc omnia per se facit solus, & omnia comprehendit; & in se quasi in Mundo Ideali, seu Archetypico; habuit, priusquam extarent: Quæ quidem Diuinitas cum dispositione & proprietate sit trina; est tamen in rei veritate, atque suæ Essentia sinceritate non nisi vnica & eadem; quemadmodum Capite sequenti fufius declarabitur.

Esa. 24.

C A P. I I.

De Mundo Archetypico, seu Intellectuali, & quod ipse per numerum ternarium esset à Monade, & in Monade sacratissima ordinatus.

VT ergo ante omnia fons iste lucidus & mere formalis, suam habuisset in se, & ex se Existentiam; vtpote in se, ex se, & per se, æternum permanens atque constans; sequitur quasi ex concessis, ipsum esse solum & vnicum illud Principium simplex & absolutum, à quo, in quo, & per quod, omnia alia, siue sint principia, siue principiata, deriuantur. Nam quod Monas ista sit principiorum omnium Radix, origo atque initium; in eo præcipue explicatur, quoniam absque vero principio nihil: non enim est vllum absoluti principij initium, sed principiati. At vero Monas seu Vnitas declaratur etiam stulto esse illud principium, quod omnem in se comprehendit numerum, & à nullo comprehenditur. Simile etiam priuilegium ipse punctus Geometricus in trina Quantitatis dimensione sibi vindicare videtur. Quare id sane quod auge-

Aselep. 12.

auge-

augetur siue in Quantitate, siue in Qualitate, Virtute Monadis augetur; & viceversa imbecillitate propria videtur euanescere cum vltius Monadem ^{Pimand. 4.} capere nequeat. Hinc ergo est, quod neque rudis indigestaque tenebrarum moles, neque lux illa creata, ei dispositione oppositissima Principia absoluta recte vocari queant: quatenus & ipsæ suum habent initium vnde oriuntur, non minus quàm numerus binarius suum, quatenus ab vnitatem deriuatur: vnde Numerus iste binarius Vnitatum confusio, à Pythagora haud inconsulte dicitur. Et tamen tam tenebras quam lucem vocamus Principia, comparate; siue respectiue; quatenus de bifaria Vnitatis siue Monadis proprietate, natura, & qualitate variante (vtpote quæ consistit in Monadis radicalis dilatatione & contractione) participare videntur. Ita vt tota istorum duorum initiorum vis diuersa, atque fortitudo in oppositum enitens, in vno comprehendi cernamus, quo absolute hac de causa summus vocatur rerum Pater vnicum & solum Bonum, in quo omnia bona: complete pulchrum & perfectum; Cætera vero videlicet creata, quæ ab istius Monadis perfectione oriuntur, comparate & per participationem de bonitate & pulchritudine eius formali, dicuntur bona, pulchra, perfecta. Sic etiam plura statuuntur in rerum natura principia ab vnica hac pura sincera & reuera simplici atque radicali origine prouenientia: videlicet, Lux, Tenebræ, Aquæ, quasi immediate à fonte *Ensofph* scaturientia, & secundaria dici possunt similiter quatuor Elementa, quæ mediate à Monade & immediate à secundariis procedunt tertiana; & sic in cæteris: Quæ omnia vt sunt creaturæ, ita quidem constat, quod necesse esset vt Creator ad ipsarum Existentiam, ^{Pimand. 10.} ipsi, suæ Æternitatis ordine præcedat, atque præsupponatur; qui Creator nec genitus, quatenus comprehendit in se ipsam Æternitatem, nec quicquam ante se; aut sibi ipsi, siue tempore, æuo, vel æternitate, siue dignitate, bonitate & pulchritudinis excellentia æquale admittit. Hinc ergo est, quod vt ipsa dicitur principiorum quorumcunque principium & caput; ita quidem necesse est vt ipse tam principia, quam quæ à principiis deriuantur, in se comprehendat: quare tam Hermes quam ipse Apostolus Hermeti hac in re astipulans in hanc vnicam videntur coincidere sententiam, videlicet: *Deum esse omnia non modo quæ sunt, sed etiam eorum quæ minime adhuc existunt. Cantabone* (inquit ille) *laudes tuas, in eis quæ in lucem è tenebris eruisti? an in eis quæ latent adhuc arcano sinu recondita?* ^{Pimand. 5.}

Monas ergo (quæ etiam & ipsa Æternitas est) æternitatem; æternitas mundum, mundus tempus, & tempus generationem continet: Quibus videre licet, quod vt æternitas seu Verbum à monade radicali quasi filius à patre procedit: ita ab illo verbo (quod & ipsa est æternitas) sapientia siue æuum (quæ ante omnia fuit creata) processit; à qua tum postea mundus suæ vitæ virtutem atque animam hausit, tempusque suas ordinationes accepit.

His ergo, Sapientem laterenequit, quomodo Deus cum sit vnus & vnum, omnib. tamen inesse dicatur, & omnia tanquã locus locatû complectatur. Nam in tēpore est augmentatio & diminutio, siue generatio & corruptio, in mūdo & à mundi anima statuitur gubernatur atq; numeratur cōmetiturq; tempus. In æuo existit mundus; in æternitate æuum; nãq; Sapientiæ fons est ipsum verbum. Deniq; in ipsa Monade cōsistit æternitas, nō aliter quã vita in ipsa anima. Monadis diuinæ imago est ipse mundus, Monas aut nullius. Monas mere in se & per se formalis, entiumq; ens admirabile est ipse Deus creator: mundus mere in se & per se materialis, monadis occultæ & formalis virtute existens, ab ea vitæ bonitatem, claritatem & pulchritudinē per viam participationis accepit.

Hæc ergo illius icon atque simulachrum, vt numero sit vnum, quatenus Monas illa primaria siue Deus patens emissione radiorum suorum illud à re inani vacua & quasi nihilo sic effecit, ita quidem ipse illud sua bonitate viuifica, claritate & decore adornauit.

Habemus ergo hic mundum increatum, archetypicum nempe, & intelligibilem, qui solo ipsius mentis intuitu, dignoscitur esse incorporeus, quippe natura cuius rei alicui corporali permisceri nequit; cum nec quantitate, nec qualitate, nec numeris mundanis discerni queat: vtpote, in quo nihil tale existit, sed illis tantum mensuris & qualitatibus atq; numeris, qui sunt & supernaturales & mere formales, atq; in monadis diuinæ voluntate occulte & more mystico depicti atq; figurati, describitur; de cuiusmodi intendit Sapiens quidam; vbi ait, *Numerum fuisse principale in animo cōditoris, condendorum exemplar*: progressionē autem numeri in numero formali cōpletissimi, ab ipsa monade seu vnitatem radicali. In hunc modū Hermes. *Monas* (inquit) *ante mūdi sensibilis creationē genuit monadem & in seipsum reflexit ardorem*. Ac si quis dixerit cū pagina sancta: A patre processit filius & reflexit vitam & esse sui filij in seipsum, medianre spiritu igneo, ab vtroq; procedente. Atq; ita confirmatur illud Euangelistæ; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et viuificans illud Verbum dixit, *A patre veni, & vado ad patrem*. Et quamuis hi tres termini, à patre in se stabilissimo in filium rerū omnium mobilissimū ab Alpha quasi in Omega emissum, atq; iterū reditus seu reflexio per tertiam proprietatem, à termino nempe ad quem, vsq; ad illum à quo ab inuicem officio differre videantur; tamē istæ tres dimensiones seu numeri formales nō nisi vnicā intendunt naturam seu essentiam maxime formale & lucidam, in se integram atq; indiuiduam quæ est ipsa Monas: vnde mundi Saluator seu Verbum & Æternitas seu Emanatio illa sancta dixit; *Ego & Pater vnum sumus; pater in me, & ego in patre: & pater in me manens ipse facit omnia*: Qui etiā Pater dixit: *Ego solus feci omnia & nullus mecum*. Est enim vnitatis (vti dictū est) sibi radix, Quadratū & Cubus, & cōsequenter in eius potestate sunt omnia: hoc est, Vnitas & Trinitas. Hinc igitur est, quod numerum ternarium præ cæteris elegerint Theosophiæ patres, volentes Deum esse primam omnium formā indicare; vtpote qui numerus est totius perfectionis radix: similiter figuram in Geometriam nullam ex duabus conflari lineis rectis cernimus; ex tribus autem ad minimum formatur superficies illa quæ *Triangulus* appellatur; qui est omnium figurarum angularium caput. Hinc ergo completa est mundi idealis seu intelligibilis perfectio, qui in Deo & ipse Deus est, ad cuius tum postea exemplar factus est mundus iste typicus quem Hermes vocauit *sensibilem*, quatenus est omnium sensibilibium specierum qualitarum atque corporum receptaculum, de quibus *infra* copiose; vt hoc in loco ad mundi formalis membra procedamus.

In abscondito (ait Æternitas) *à principio locutus sum, ex tempore antequam fieret mundus, ibi eram: & nunc Dominus meus misit me, & Spiritus eius*: Et alibi: *Dei potentia ante omnia creata, finis & initium est*. Quibus patet, quod proprietates hæ tres ab vnitatis absolute formalis radice essent ante omnia creata (volūtate vnica diuina sic iubente) abstractæ & productæ; vt ad earū similitudinē in Monade præfiguratā nō modo mundus tum postea sensibilis, sed etiā omnia in eo creata formā & effigiem ipsius diuina prouidentia ante eum ordinatā induerēt. Nam Deo (vt dictū est) omnia sunt cognita, imo vero depicta & arcano modo delineata antequam crearentur. Atq; hæc videtur esse ratio, quod *post creaturarum perfectionem, respiciat eas*. Ratio autē ordinis & progressionis harū diuinarum proprietatum in mundi formalis genitura, est istiusmodi, videlicet, fons luminis & monas pulcherrima, quasi vnica & sola veritas in tenebris cōstituta & ab-

Asclep. 12.

Odo Abb.

Pimand. 10.

Ioan. 1.

Ioan. 16. 28.

Ioan. 13. 10.

Isaias.

Asclep. 12.

Isai. 48. 6.

4. Esdr. 6.

Ecol. 23.

& ab-

& abscondita lucem faciei suæ olim absconditam & in seipsam contractam iam tandem emittit, ac è tenebris reuelat, atque hac ratione monas editur secunda; & denique emanationis illius in suam radicem reflexione procreatur virtus tertia, mediante qua in vniformem suam radicem factus est numeri ternarij reditus. Atque hinc orta est inter naturam Dei latentis atque patentis vnio inseparabilis; virtute scilicet proprietatis tertiæ, cuius est amoris nexu dualitatem in vnitate confirmare. Has igitur tres in Archetypo monades non nisi vnica conflare in sua essentia monadem videmus, licet proprietatis discrimine variare videntur; non aliter quam Vnitatem eandem in se ductam proprietatem Radicis Quadrati & Cubi sibi vendicare obseruamus; cum tamen in fine nihil præter vnica essentia vnitatem inuenimus; quæ est *principium, medium & finis*; & consequenter omne quod est; *Alpha & Omega, Circulus omnia includens*, cuius est redire in id quod erat, & nihilominus semper in se permanēs omne illud quod fuit, quod est, & quod erat. Nam ista Monas quatenus est ipsa Æternitas continet in se tria Æternitatis tempora, atque etiam pluralitatem personarum cum vnitate naturæ. Hinc erat quod Deus cum Moses peteret ab eo; *quodnam esset eius nomen?* respondebat; *Ego sum qui fui, qui sum, & qui ero.* Quare & alibi dixit, *Ego Dominus & non mutor.* Hinc ergo dicitur *יהוה* Ehieh: quod vocabulum more Myttico comprehendit in se omnes trium verbi substantiui temporum differentias, *Sum, fui, ero*: vt ea ratione sempiternitatem stabilitatem & permanentiam Dei declararet, & consequenter ipsius sanctæ *Trinitatis* mysterium argueret; quæ non est in sua radice Essentiali nisi vnicus Deus, vnica mens summa, vnum principium & caput. Quibus, iuxta illam Synesij sententiam perspicuum est, quod *diuina & vnica ista natura sit ex se & per se sola natum & ortum principium.* Concludimus ergo ex iis quæ dicta sunt, quod *Monas* ista sit *Principium* sine omni alio præcedente initio, sancta vnitatum vnitas, vnitate prior, monadumq; monas prima, pater omniū, ingentis simplicitatis simplicitas, quæ super cælorum potentialium cacumina occultata gloria constanter sedens, simplicitates summitatum peperit supersubstantiali partu, easq; sibi reflectendo adiunxit. Nam hæc ipsa Vnitas profiliens per primigeniam formam ineffabilem in modum diffusa trinam est adepta virtutem siue proprietatem. Coronatur ergo supersubstantialis hic fons pulchritudine prolis lucidissimæ & formalis quæ ex ipso puncto seu vnitate seu tenebrarum centro effluxit & circa punctum & centrum voluitur. Vnus ergo fons, vna radix à qua illustris filius, manifestus viscerum secretorum partus, sapientia, mundi vtriusq; opifex conciliatrixq; lux sancti elucet Spiritus; triunū in vno, radix tenebrarum & matrix aquarum, radix lucis, radix mundi intellectualis, radix mundi sensibilis, radix (vtpote in qua Æternitas) præsentium, præteritorū & futurorum eorum quæ in vtroq; mundosunt, diuinorum numerorum origo, mundanorum typus omniumq; perfectio & existentia; imo vero omne in omni, non aliter quam omnis numerus nihil sit reuera aliud quam Vnitas, quatenus Vnitas sit numeri cuiuslibet initium, vnitas eius medium, vnitas eius finis, vnitas denique eius Totum.

At cū ex Vnitate consistant omnia, sequitur quod Vnitas sit omne quod est, quippe & ex qua, & per quā, & in qua sint omnia, quæ numero pōdere & mensura considerantur: ex *monade* (dico) tanquā causa efficiente per potētiam quæ *Patri* appropriatur per monadē tanquam causam exemplarē ac disponentem per Sapientiā quæ appropriatur *Filio*; & in ipsa *Monade* tanquā in causa finali & cōseruante per bonitatē quæ appropriatur *Spiritui S.* & nihilominus mediante sola vnica monade (quippe quæ est indiuisibilis & semper in seipsa permanens) omnia

Exod. 3.

Malach. 3.

Synes.

Synes.

omnia tam in mundo Archetypo, quã isto Typico sunt creata atq; conseruata. Sic quidem videmus quod sancta, sancta, sancta, Vnitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus Vnitas in secreto & mystico Mundo Archetypico in se prius contracta, ipsa (dico) nunc in Trinitatem dilatata; Mundi mere formalis effigiem in se ipsa delineauerit, vt secundum illius exemplar, Mundus tum postea materialis materia quasi ex luto informi & potentia in lucem ederetur; atque ad imaginem Trinitatis proportione triplici ordinaretur. Nam vt secundum Quantitatis dimensionem *Mundus* in *Regiones* tres natura differentes distinguitur, videlicet in *Empyream*, *Ætheream* & *Elementarem*: Ita quidem Harmonia illa ex qua Mundi compagines concordi concatenantur pace, ex consonantiis tribus; videlicet *Diapafonte*, quæ in sua perfectione Spiritui Empyreo refertur & *Diapente* quæ Spiritui Æthereo in minori sua perfectione appropriatur, & *Diatessaron*, quæ vt est omnium consonantiarum magis - imperfecta, ita quidem recte Spiritui Elementari quam aptissime in suo Tono comparari videtur. Sed totum hoc pauco videtur Hermes (diuinus ille Antistes) sermone in hunc modum commemorare. *Ex vno (ait) principio cuncta dependent; Principium ex vno solo. Et; Principium mouetur vt rursus extet Principium, ipsum tamen vnum præstat; nec recedit ab Vnitate.* Hæc ille. Ad horum autem imaginem ibi narrat mundum & hominem tum postea esse factos atque formatos. Ostendam vero iam quomodo ad prædictarum Mundi formalis seu archetypici proprietatum Exemplar, ille materialis & sensibilis sit formatus. Voluntas Monadis diuinæ radios suos in se adhuc contrahentis perfectio est illa suprema quam ipsa Necessitas sequitur. Necessitatem autem comitatur effectus. Vt autem natura ipsius *Monadis* seu *Principij* radicalis atque antiquissimi fertur esse eius consilium, voluntatis vero eius natura summa bonitas: ita certum est voluntatem istam Sacrosanctam consilio nasci, atque ipsum velle esse ex voluntate, neque aliquid vult impense qui est omnium plenissimus; & ea quæ vult, habet, quatenus in eo omnia.

Pimand. 10.

Asclep. 4.

Mundum ergo sensibilem ad exemplar illius Archetypici, seu intelligibilis fabricare in animo erat, & confestim effectus voluntatem est sequutus; nam dixit *Fiat*, & protinus emanatio vocalis (lumine immenso & iucundissimo comitante) est facta: assistente qua Lux à Tenebris est diuisa, & aquæ informes in tenebrarum voragine olim occultatæ sunt reuelatæ; & reflectendo se in materiam deformem, vnio formæ diuinæ cum materia informi est facta per proprietatem tertiam, vnde Lux creata dicitur ortum suum accepisse. Atque hac ratione conuersa est ad mundi sensibilis creationem dispositio & proprietates trina in Mundi vnitate, quo modo Mundus iste sensibilis Monadis æternæ seu Mundi Archetypici filius est factus, vtpote cuius pater est ipse Deus. Hanc igitur ob causam *mundus* iste ab Hermete *Deus* appellatur *secundus*, non absolute, sed per eius participationem cum bonitate Diuina quæ est ipse Deus. Est enim in Æternitate, seu Verbo non aliter, quam Æternitas in ipsa Monade antiquissima, seu in patre filius.

Sed quoniam hæc in sequentibus habetis clarius explicata, ad Dei parentis siue Emanationis diuinæ naturam, pro nostri ingenij exilitate, explicandam properabimus.

C A P.

C A P. III.

In quo secundæ Unitatis seu Dei patentis dispositio pro ingenij Authoris possibilitate discutitur: vbi etiam probatur, quod secunda hæc Vnitas non minus à Monade primaria differat (cum vnus & idem Essentia sint ambæ) quam radius à Sole. Denique quod sit mundi lux, Creaturarum Vita, & principium posituum.

Cum ergo Monas ista sacrosancta sit in se, & per se sibi ipsi Radix, Quadratum & Cubus, & tamen Ens vnum & Idem indiuisibile & mere formale, Monadis suæ latitudinem minime excedens, à qua Mundus intelligibilis, archetypicus & mere formalis initium suum ducit, & est nihil aliud quam ipse Deus, à se in se, & per se ortus; tamen cum ad exemplar sui ipsius, in animo erat mundum creare sensibilem, voluntatem suam protinus sequutus est finis atque effectus; nam vnitatem suam radicalem non in se contrahendo, sed in Vnitatem secundam dilatando ad fabricam mundi sensibilem producendam progressus est Deus, & tamen ambæ hæc vnitates non nisi vnica & indiuidua est Essentia, eademque rerum omnium radix; ita vt à Patre profiliens Filius maneat in Patre: & rursus extra, quæ Patris sunt, gubernat. Nam Radix paterna est Quadrati filialis fons, & Patris radicalis forma est filij Quadratum; & licet hi ambo nulla continentur quantitate, tamen proportionis finalis numerique proprietatis diuinæ ratione, Vnitates istas ad terminos illos Geometricos, idque haud absurde, referre possumus.

Pater ergo seu Vnitas radicalis est Filij seu Vnitatis primogenitæ potentia; Filius vero, est Patris pulchritudo. Vnitas ergo secunda vna cum eius Sapientia (quam illa primaria ex abstruso & ineffabili effudit sinu) in sua radice manet, ab ipsa quamuis deriuata, vt creata ab eo omnia sapiente moderetur spiritu; nã prolis vnio inseparabilis est in genitore; & genitor est in prole: Sic ergo proles ineffabilis lumine iucundissimo resplendescens per partum admirabilem consilio patris ineffabilis, & in occulto delitescens, ad occulta Mundi manifestanda, in lucem editur; imo vero ipsa est maturum apud suum patrem consilium; ipsaque Patris quasi voluntas à Patris exiliens sinu; cuius ortum nec tempus, nec æuum cognouit, aut comprehendit vnquam; vtpote quæ est illa ipsa Æternitas, in patre consistens & vna cum patre apparens, perpetuum nata quæ nascitura erat. Hoc ergo modo in Filium splendidissimum infusa est Monadis paternalis virtus, ipsum Consilium diuinum est natum, media natura ineffabilis, quæ est ante naturas omnes, partus sacer, ineffabilis fœtus, verbum lucidum, sermo sanctus, æternitas infinita, natura patris viua, in principio existens, in Deo & cum Deo, & ipse Deus; æternum permanens. Atque ita orta est Sapientia illa inclyta, rerum omnium radix, fecunditatis & generationis semen, mundi vniuersi opifex, emanatio (inquam) claritatis Dei vnusyncera, candor & splendor lucis æternæ & speculum sine macula Maiestatis Monadis primariæ iam dilatatæ atq; imago manifesta bonitatis & pulchritudinis illius occultæ, claritate & lucis perfectione stellis & Soli infinitis gradibus anteponenda. Quare vera est ista mundi lux, omnia in mundo tam intellectualiter, quam sensibilibus illuminans, dispositione vnica & simplex, & proprietate, & operatione multiplex, virtutem in se omnem habens, omnibus mobilibus mobilior, & tamen sine, & firmiter suæ radici, & fonti immobili à quo est orta, adhærens: omnia penetrans & permeans Entia, quatenus vbique propter suam munditiam & acuitatem pertingit. Solus in mundo actor, creaturarum motor, rerum omnium informator & illuminator, tenebrarum sua claritate propulsator,

B sator,

fator, frigiditatis viuifico suo calore domitor, ac repressor; ac consequenter vnicus vitarum author, mūdi animator, vnitatis materialis in partem seu multitudinem diuisor, motus vniuersalis illustratione sua viuifica procreator, calorisque ratione motus, excitator, rerum densarum caloris excitatione, subtiliator, contractarum dilatator, viuientium fotor, homogenerum congregator, heterogenerum discussor, rerum frigore constrictarū atq; congelatarum relaxator, deniq; omnium factor, quippe mundi vnus vniuersi ad suæ vnitatis positivæ imaginem creator: vtpote mediante qua, vnitatis paternæ consilium, stetit & stabit; & voluntas eius integra perficietur; vt testatur Propheta: & tamen ab vnitae patris non magis diuiditur quam Solis radius ab vnitae Solis. Vnde etiam factum est, vt de vtraque eius natura seu vnus essentiae proprietate participare videtur: vti *infra* clarius demonstrabitur. Concludimus ergo quod ista Emanatio primogenita, seu proprietas & monas secundaria à prima sua origine minime distincta seu diuisa, sit Ignis intellectualis non habens in se formam, cum ipsa sit in se, ex se, & per se, forma simplicissima, sed in se transformans omnia, seque rebus omnibus & res omnes sibi assimilare gestiens, vnde videtur liquet, quod ipsa in eo respectu sit omnia, ab ea omnia, & eius voluntate omnia. Atque (vt cum Apostolo loquar) ex ipsa per ipsam, & in ipsa sint omnia; videlicet multiformes qualitates, & quantitates vtcunque magnæ, & omnes mensuram excedentes magnitudines & omniformis species; denique vniuersus mundus sensibilis, & quæ in eo sunt à mundo superiori & mere formali quasi vestimento lucidissimo erant contexta & vndiquaque imbuta. Atque hæc est ratio, quod à nonnullis in Sapientiae mysterio versatissimis, virtus ista increata & lucida vocatur, *Circulus intellectualis, cuius Centrum est omne illud quod est, Circumferentia vero extra omnia*; quam, ob istam rationem Hermes vocauit, *Locus in quo mundus continetur*; inde concludendo, continentem mundi locum minime esse natum, vtpote quem cum Deo æternum facit: atque etiam vt mundum agnoscit esse quodam respectu genitum seu creatum, materialem opificij naturam considerando: ita quidem ipsum opificium non natum, sed æternum facit, ipsius veritatem respiciendo, mediatione & præsentia cuius, mundus erat talis, qualis nunc est. Hyla enim & spiritus mundanus & vis ista diuina per omnia means atque diffusa in reali mundi opificio non erant, sed in eo iam nunc erat, vnde nasci debuerunt, hoc est, in Monade radicali sancta; in cuius potentia quamuis sit vnica, est tam mundi materia quam eius forma; materia (inquam) humida seu aquatica, in Dei, seu Monadis sanctæ occultatæ, & in se contractæ, seu *Aleph tenebrosi* potentia reseruata; forma vero, in Dei seu Monadis sacrosanctæ se dilatantis & è suo fonte lucido emissæ, seu *Aleph lucidi* verbo, actu, emanatione viua siue sapientia æterna existens: Quæ quamuis sit vnica & eadem cum sua radice, in multitudinem nihilominus se diffundit; mirum in modum: cum re vera non minus diuiditur massa mundi aquatica à suo toto, quam forma à suo fonte lucido: nam licet spissitudine & raritate differre, & in particulas infinitas diuidi videatur, non aliter quam genus in suas species, speciesque in sua indiuidua sibi subiecta, tamen in rei veritate continuæ sunt spiritus mundani partes cum suo toto; non aliter quam aquæ guttæ cum integra maris congerie; aut Aeris portio cum spiritu mundi immenso: Nam quicquid in hoc mundo vel rarum vel spissum reperitur, illud à spiritu mundano minime potest diuidi, aut separari; quoniam si hoc vnquam accideret, sequeretur tum postea, quod Vacuum in rerum natura admitteretur, quod est impossibile.

His igitur accurate consideratis, omnia videbimus esse vnum; & vnum omnia; videlicet, materia vna ad exemplar Dei, seu monadis vnus in se latentis, forma vna ad imaginem monadis patentis; quare cum materia tum
forma

Isai. 46.10.

1. Corinth. 15.

1. Cor. 8.

2. Cor. 5.

Asclep. 12.

Rom. 12.

Asclep. 7.

forma hoc idem esse videntur ad imaginem vnitatis seu monadis abstrusæ & radicalis in se sola & per se considerata, videlicet, vt ad nihil videtur habere respectum. Atque hac ratione videre fas est, quomodo vnum sunt omnia & omnia vnum; & quamuis omnia per numerum distingui videantur, tamen si mentis intuitu acutiori rem introspeciamus; ipsum numerum nihil esse percipiemus præterquam Vnitatis eiusdem lucidæ dilatationem in Materiaz profunditatem, & consequenter quod vnum continere omnia haud inconsiderate dicatur: Exempli gratia; quod Vnitas omnem numerum sua simplicitate penetret, omnemque numerum in se coniunctum continet, similiter quod sit omnis multitudinis fons & origo; semper eadem & immutabilis, ex his sat liquido declarabitur. Inprimis notandum est, quod ipsa in se multiplicata nihil producat nisi seipsam: indiuisibile enim est, quatenus partium omnium expers: Si vnitas vnitati addatur; non inuenies nisi Vnitatem: similiter Vnitas tertia secundæ adiunctæ nõ nisi Vnitatem pariet: atq; ita inuenietis vnitatem nihil esse præter rem vnicam, quæ se dilatando numeros videtur omnes concatenare & vnire; vnde Vnitatem alij *concordiam*, alij *pietatem*, alij *amicitiam* vocauerunt, & Martianus atque Aristoteles eam *veram mundi Cupidinem* nuncupauerunt; vtpote cuius est vnum & solum esse; se quæri atque desiderari, semper volens & vltra se nihil inueniens, proprios ardoris sui in se retorquet radios. Hinc ergo omnium rerum principium & finis hæc est *Alpha* (inquam) & *Omega*, neque initium neque finem habens, quatenus vno nihil prius, vno nihil posterius: quo quidem arguitur, ipsum esse omnium rerum principium, & quod vsque ad vnum sint omnia & vltra ipsum, nihil. Et quod omnia quæ sunt, ipsum vnum desiderant, quia omnia ab vno processerunt, de vno participant, in vno consistunt, sustentantur; & in suo esse tam materiale quam formale permanent; ac tandem in naturam vnitatis redire summopere contendunt, quatenus ab ipso primum emanarunt. Nam iuxta verus illud Axioma; *Quale erat rei initium, talis erit ipsius finis*; quod quidem optime perficietur, multitudinem & numerum paulatim deponendo, & vnitates omnes in suum Centrum pedetentim contrahendo; nam vt à Monade diuina omnia sunt deriuata multiplicando, ita quidem vice versa, omnia tendunt ad Deum subtrahendo, videlicet, eorum in radicalem suam vnitatem resolutione. Sic mundus & omnia quæ in mundo sunt orta & creatione producta, sic omnia in mundo & rerum natura existentia dissoluendo & diminuendo in monadis primariæ periodum finaliter reduci atque resolui necesse erit; idque operatione vnitatis lucidæ diuinitus à fonte totius Entitatis atque Existentiæ emanantis atque emissæ, ac tandem lucis illius adeo emissæ contractione in suum centrum.

Ecce hic duas proprietates humana imaginatione omnimodo oppositas ab vnica vnus Monadis essentia, fonteque æternitatis inscrutabili ortas atque deriuatas; *tenebras* videlicet, primarium materiæ informis & hylæ in sola potentia existentis tegumentum & *lucem*, cuius est pariter materiam mundi informem & caliginosam forma imbuere lucida & vniuersa creata, hoc est, in actum eius præsentia reducta, lumine quasi vestimento tegere atque comprehendere. Restat iam vt à Monade ad Dyadis conditionem descendamus, quæ vt à duabus vnitatibus conflata, ita quidem earum quælibet est alteri natura admodum opposita.

C A P. I V.

*In quo Dyadis natura discutitur: & quod de Radice vnica
oriatur, lucide declaratur.*

OMnem siquidem admirationem superat & Mortalium sensum transcen-
dit abstrusæ & inscrutabilis istius Monadis primariæ natura atque con-
ditio, quæ cum sit vnica & eadem, tamen semine, operatione & qualita-
te tam varia imprægnata, partum viuum essentia & proprietate tam im-
maniter inter se differentem Tenebras videlicet & Lucem proferre po-
tuit. At si consideratione paulo maturiori rem animaduertamus, eam non
adeo esse menti impossibilem percipiemus nos lucis & vitæ filij, in me-
moriâ nostram serio reuocantes, quod vt est monas & vnum, ita qui-
dem omnia potest & est omne in omni; & consequenter cum tam tene-
bræ quam Lux existant atque ortæ sint, necesse est vt immediate ab eo,
tanquam vnico rerum omnium principio deriuentur: & quod illæ ambæ
respectu radicis, quæ est vna eadem atque æterna, sint vnum & idem, li-
cet nobis mortalibus immaniter qualitate & natura variari videantur.

Psal. 139 12.

Hinc igitur sequitur, quod Deus seu Monas primaria sit omnimodo &
sola bona, & ipsum Bonum: ita quidem duplex eius hic partus coram eo à
Bonitatis meta & perfectione errare nequeat, licet eorum bonitas sit diuerso
respectu apud ipsum. Atque hoc videtur Psalmista Regius agnoscere, vbi ait,
quod, Tenebrae sunt ei sicut ipsa Lux: ac si dixisset, Omnia vnum respectu Dei, qui
est idem & vnus à quo omnia.

Sap. 1. 14.

At vero quoad nos qui sensibili multitudinis distinctione sumus multati,
quoad nos (dico) qui Adami lapsu de arbore Boni & Mali gustamus assidue,
bonumque à malo ratione diuersorum effectuum distinguere putamus,
quoad nos lucis increatæ filios, qui errore tenebrarum seduci atque aber-
rare solemus, nobis (inquam) & quoad nos, quibus oculi interiores & men-
tales ob priorum parentum inobedientiæ peccatum fuerunt clausi; ita vt
oculis iam externis omnia superficie tenus iudicamus & respicere solemus,
quoad nos (inquam) res ideo malæ putantur, & male nobiscum operari cre-
duntur, quæ reuera à Monadis & Vnitatis siue Dei latentis & parentis
essentia & natura vnica (quæ est absolute bona) minime discrepare viden-
tur: Quare nec mortem nec malum fecit ipse, nec est delectatus in affli-
ctione & perditione viuientium; nam omnia creauit vt essent, & de sua
bonitate, Creaturis impertiuit vt bene essent: vnde nationes orbis terra-
rum salutes fecit, in quibus non est medicamentum exterminij, neque
inferorum regnum super terram: quare omnia viuientia & actu existentia
creauit ipse suæ proprietatis lucidæ propagine; hominesque inter omnes
alios ratione & intellectu ornauit, vt ipsi considerantes se esse principij lu-
cidi filios, in luce possint syncere ambulare, ne principij tenebrosi obue-
lamento in errorem abducerentur & à veræ lucis semitis distraherentur:
quam quidem differentiam inter lucem & tenebras ante suum lapsum mi-
nime expertus est Adam; vtpote qui bonitatis monadis æternæ luce viui-
fica benigniter fulgurantis erat raptus, ita vt circa multitudinem minime
esset versatus, at vero inobedientia sua à dispositione Monadis in nume-
ri binarij sphæram est lapsus; vnde particeps est factus actionis & passionis
vtriusque Extremi; videlicet, tam Tenebrarum quam Lucis.

Hinc ergo erat, quod verus filius lucis tenebrarum & principis illa-
rum passionibus primitus subiiceretur, ita vt ille qui antea sine timore De-
um seu Monadem & Ens Vnicum alloqui, & cum eo familiaritatem ha-
bere

bere

bere soleret, iam tenebrarum stupore percussus faciem & vocem Dei fugit, seipsum nudum animaduertit, conscientia iam percitus læsa, se peccatorem agnoscit, & tenebrarum insidias experientia doctus persentiscit.

Hinc ergo orta est prima generis humani ab vnitatem in dualitatem distractio; hinc (inquam) vnica & diuina hominis natura (vtpote ad imaginem Monadis increatæ facta) numerum binarium, numerum (aio) confusionis induebat; cum ipsum corpus tenebrosum vilissima hominis portio quatenus non est nisi domus veri hominis lutosa & terrea, in eius Dominum lucidum, Cœlum videlicet ipsius, *Animam* dico pulcherrimam verum Vnitatis in Trinitate simulachrum, dominium habere cœpit. Atque hac ratione præcipuus inter mortales lucis seu proprietatis Dei patentis filius, seipsum cum illa proprietate ipsius Dei latentis confudit, atque ita iam nunc morti & malo tam animæ quam corporis obnoxium reddidit, qui primitus cum ipsis stellis & Angelis immortalitate erat ditatus: particeps (inquam) factus est boni & mali, lucis (dico) & tenebrarum, qui antea de sola lucis, seu fontis lucidi bonitate gustabat.

Hinc ergo est, quod licet Lux & Tenebræ sint res eadem in Monade omnium antiquissima, vtpote à qua immediate sunt partæ & deriuatæ, quatenus ipsa est vtriusque sexus fecundissima, (nam ab eius proprietate occulta & tenebrosa materia, vniuersalis fœmina est orta, vt vice versa à patente & lucida forma, vniuersalis Masculus.)

Ita quidem postquam partu ineffabili sunt editæ, omnimodo natura sunt facta oppositissima, quippe quæ duo cum Lux, videlicet fortiter illuminando pellit & resistit tenebræ alterius conditioni; atq; Tenebræ iterum resistendo, Lucis radios sua caligine obscura commaculare tentant, illa motu ineffabili in huius viscera agit & penetrat, hæ reagendo & resistendo eius impulsus propellere conantur. Illa velociter tetras illius vmbas persequitur; hæ ad extrema quietis loca fugere, & in eis se cōtrahere & aduersus ipsius insultus se opponere aggrediuntur: Illa materiam humidã in tenebrosa massa absconditam præparare, illuminare atque à suis sordibus deformibus abstergere atq; mundificare: hæ illã rapere, & amplexu forti retinere, summa ope & conamine nituntur: Illa creare informare viuificare, generare, calore fouere, atque in esse retinere: hæ destruere formam priuatione, tollere, interficere, corrumpere, frigore vitæ & sanitati obesse, spirituque viuifico præditos aut languescere, aut morti succumbere faciunt: Illa positionem salutem & vitam tam momentaneam quam æternam affert & suis filiis beatitudinem offert: Hæ priuationem infirmitatem, mortem æternam, & ad mere nihilum reductionem minantur.

At quid hæc omnia nisi vnica Monas primaria omnia vel volens, vel nolens? vnde neq; Tenebræ neq; Lux ei malæ, quatenus sunt eius vel Noluntatis vel Voluntatis actus? nam cum omnia nō vult, necesse est vt desinant omnia esse quoniam in instante sui ipsius Noluntatis contrahit se, id est, Lucē suam in se; & Omnia in Nihil deforme & tenebrosum sunt conuersa: Et iterū volente ipso, in nictu quasi oculi Emanationis emissionem quæ fieri voluit, sunt facta. Hinc videntium, vitæ, sanitatis, gaudij, amoris, pietatis, spei & saluationis bona. Hinc iterum ipsorum mortis, morbi, doloris, peccati, timoris, aliarumve animi passionum mala; videlicet, à duplici vnus Monadis actu diuerso, proprietate scilicet, vel positiva seu affirmatiua & volente; vel eiusdem priuatiua negante & nolente. Sic quidem videmus in actu mentis humanæ quæ in se est indiuisibilis, & semper essentia eadem atq; sibi stabilis vtpote indiuiduæ ipsius Monadis scintilla, quod videlicet, quandoq; vult, & iterū, ei minime velle est proprietas, vnde factū est quod si aliquis alius quicquã ab ipsa petat aut quærat admodū sibi necessarium & cōueniens; si mens prioris deneget rogantis petitionem

dolere videbitur qui petit & contristabitur; unde hoc est roganti malū at non neganti: Si vero mens prioris ei sit beneuola & concedit quod ille optat, bonum ipsi videbitur, & gaudio & lætitia affectus euadet: Hic ergo proprietatem negantem ac etiam affirmantem in eadem & vnica Mente, Monadis æternæ portione, quarum hæc est positiuā; illa vero negatiua; hæc spem auctam confirmat; illa depriuat & tollit expectationem, atque spei auctæ vitam auferit. Ex his ergo, Emanatione videlicet siue Dilatatione, salus, diuitiæ, sapientia, vel doctrinalis instructio acquiri possunt; vt si æger à medico, pauper à diuite, ignarus à prudente, peteret & acciperet. At ex contractione negatiua, morbus, mors, desperatio, paupertas, ignorantia, & doctrinæ seu rei petitiæ cognitionis defectus quærenti accidere solent. Et tamen & vnum & alterum menti hominis vnica, vel dantis vel negantis idem videntur esse, quatenus à Monadis latitudine minime recedentia; nam tam vnum quam aliud ei bonum videbitur, vtcumque alteri fortasse, malum apparebit. Siquidem quod nos æstimamus bonum vel malum, *non est Monadi diuina nisi vnum & bonum; ab ipso enim factore nihil malum, nihilque turpe*: hæc enim Passiones sunt creata sequentes opera; & tamen quatenus natura positiuā procedit à principio lucido; vt & illa priuatiua à principio tenebroso est orta; & hæc duo principia ab vno Deo, Essentia & Entitate quasi principiorum principio originali procedunt; qui solum atque vnice est bonum; eatenus tam illa positiuā quam priuatiua dispositio in se & sua ratione bonæ dicuntur; tametsi Lucis filij, hoc est Creaturæ, quæ à luce oriuntur, vitæque sunt præditæ, illud iudicant extremum malum, quod suæ vitæ & Esse est contrarium; atque aduersum.

M. Trif.
Pimand. 14.

Nam in Dei velle est tam corruptio quam generatio: at respectu generationis, corruptio & mors videtur esse nolle diuinum, seu negatio aut priuatio, vt vice versa, vita generatio & sanitas, respectu corruptionis, Monadis velle seu affirmatio atque positio dici posset: unde certum est, quod ambo in manibus vnus sunt, *qui vitæ ac mortis habet potestatem, & deducit ad portas Inferni & reducit*. Per priuatiuam enim proprietatem, *Deus increpat gentes, perdit quacumque vult, dolore & morbo afficit, perturbat filios lucis, eorumque animos emollit, &c.* atque tunc operatur in tenebrosa sua facultate. Nam hoc omne mortalibus inferre solet Monas illa diuina per proprietatem suam contractiuam videlicet, vitæ radios hominibus ab ipsa impertitos in seipsum paulatim contrahendo: Est enim Dei irascens consuetudo malos, id est, rebelles lumini relinquere; & paulatim abscondere faciem suam ab iis, vt obtingant iis mala multa & angustia. Nam vt Deus lucis ostendendo creaturis faciem suam, ipsæ reficiuntur bono; ita quidem abscondendo faciem suam, ipsæ perturbantur atque ægrotare incipiunt, recipiendo spiritum eorum & contrahendo atque recolligendo vitæ radios in se, expirant, & in puluerem suum seu nihilum reuertuntur.

Sap. 16. 13.
Psal. 9. 6.
Iob. 10. 8.
Iob. 23. 16.

Deut. 31. 17.

Psal. 104. 29.

Quibus liquet, ipsam Monadem sempiternam tam proprietate sua emissiuā & dilatata, vitam & sanitatem, & omnia fœlicia; quam radiorum vultus sui luminosi cōtractione, mortem & morbos atq; omnia infœlicia mundo impertiri atq; effundere: cum ipsa sit nihilominus vna & eadē bonitas: nec enim est vlla infœlicitas aut mors, aut corruptio in mundo nisi respectu viuentium quibus illud malum videtur, quod in sancto Dei consilio apparet bonum. Nobis ergo malum id dicitur, quod nobis malum videtur: Deo vero, (qui quatenus est summum Bonum omnia fecit bona) nihil malum esse potest. *Bona* (inquit Sapiens) *& mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Considera* (inquit alibi) *opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit; in die bona frueri bonis, & malā diem præcaue: sicut enim hanc, sic illam fecit Deus, vt nō inueniat*

Eccl. 11. 14.

Eccl. 7. 14.

niat

niat homo contra eum iustas querimonias: inde arguens quod nihil sit malum à Deo qui iustus est, & nihil iniustum quod bonum, sed totum hoc totaliter à patiente iudicatur esse qualiter in patiente persentitur. Lucis enim filiis, Tenebrarum effectus videntur mala & intolerabilia, ac vice versa: nam vt Lux in omni actione est Tenebris opposita & infestissima; ita etiam & Tenebræ atque earum filij in omnibus odio persequi videntur illos Lucis; quod in illo Bello, & pugna feroci inter Michaelem & Draconem lucide enarratur. Et tamen hæc omnia reuera in Deo vnum, & minime reuera ita terribilia, vtinobis videntur; sed ita à Deo erat hoc constitutum quod vt omnia ab vna processerunt origine multiplicando, ita quidem omnia ad vnum abstrahendo & diminuendo reuerterēt. Quare nihil in se malum, quia omnia reuera vnum quod est summum bonum: at quæ de veritate non sunt, præstigiola sunt & plane nihil. Sic quidem ipsa mors, omnium malorum mortalibus videtur esse extremus, & tamen si oculis intellectus rem nucleo tenus respiciamus; percipiemus quidem nil veritatis & consequenter rei veritate corruptioni esse subiectum. Sed appellationes quædam falsæ homines perturbant; neque generatio est vitæ creatio, sed latentis explicatio vitæ, quæ in Verbo & ipso Deo est, neque est mutatio mors, sed occultatio potius, quare nõ moritur in mundo quicquam, sed composita corpora dissoluuntur, non est autem dissolutio mors, sed *mistionis resolutio*: Soluitur autē vnio, non vt ea quæ intereunt, sed vt ea quæ inueterascunt; mors enim imaginaria est reuera nouæ vitæ initium: Quare quod patienti vel astantibus malum & pessimum esse videtur, reuera est Deo qui omnia operatur & bene, bonum: vtcunq; mortales mortalium more loquēdo ambas has vnus Monadis stabilis & firmissimæ proprietates in bonum & malum distinguunt: in bonum quia vitæ confert illa manifesta & lucida, & sanitati tam animæ quam corpori (quæ viuentibus sunt benedictiones summæ) in malum, quoniam mortem dolorem morbum & peccatum contra præcepta lucida videtur illa proprietates occulta & priuatiua mortalibus inducere. Hominem ergo inter omnia viuentia creaturam nobilissimam ex vtraque natura, videlicet, ex tenebrosa, corporea & terrestri, & consequenter mortali atque lucida spiritali cœlesti atque immortalis constituit Deus; vt ad Monadis primariæ vtriusque proprietatis participis imaginem sic effectus, vtrique origini suæ satisfacere possit; & mirari atque orare cœlestia, & incolere atque gubernare terrena; & vt vel menti diuinæ, seu lucido principio, mediante quo viuit, adhæreat fortiter & viuat per lucem, vel parti tenebræ se subiiciens & immergens in mortis & tenebrarum voraginem se inopinato præcipitet. *Contestor hodie contra vos cælum & terram (ait Moses) Deut. 30. 15. me vitam & bonum, item mortem & malum proposuisse vobis; eligitis vitam, vt viuatis.*

Hinc ergo est, quod vita præditis & viuifica lucis virtute ornatis, pessimi horribiles, atque vitæ auerissimi videntur tenebrarum effectus, cuiusmodi sunt materiæ potentialis occultatio, deformitas, nox, caligo, cæcitas, frigiditas extrema, tenebrarum princeps, malum quoad nos, Mors, priuatio, morbus, perturbatio, paupertas, peccatum, ignorantia, error, iniustitia, impietas, inuidia, malitia, & vitia omnia, quæ lucis propagini sunt aduersa, & mortalitati inimica; atque etiam timor, desperatio, cum similibus animæ passionibus, vitæ & filiis lucis infestissimis, & multi alij effectus quos hoc in loco enarrare tædium foret. At vero illi è regione lucis sunt ipsas tenebrarum adeo contrarij, & lux est tenebris; vtpote quæ in propria sua dispositione, benigna, viuifica, desiderabilis, & omnibus veræ lucis filiis propitia, cum ipsius effectus sint, actus formalis manifestatio, creatio, siue informatio, dies, claritas & dispositio creaturarum pacifica, opulentia, cognitio, siue scientia & sapientia, veritas, iustitia, pietas, amor, beneuolentia, & virtutes omnes, quæ

quæ Tenebrarum filiis sunt aduersæ & immortalitati inimicæ, vt sunt confidentia, fides, spes, verecundia, misericordia, cum similibus animi passionibus bonis tenebrarum filiis infestissimis & vitæ humanæ gratissimis.

Sed quoniam præcipuæ qualitates mediantibus quibus, hæc duo præcipua natura oppositissima hosce suos exequentur effectus, sunt frigiditas, illius tenebrofi propago, & Caliditas, illius lucidi; paucis de ipsis speciatim, hoc in loco pertractare decreuimus.

C A P. V.

*De binis qualitatibus omnium primis, à binis illis Principiis ortis:
Et quomodo binæ Dei vnius proprietates ex eis
clare eliciantur.*

QVamuis de qualitatū omnium primariarum, frigiditatis videlicet, & caliditatis ortu & origine, variis nostrorum operum præcedentium locis, videlicet c. 7. lib. I. De Physica Macrocosmi histor. & c. 4. sect. 1. port. 4. part. 1. lib. I. Meteorologici tractatus, & c. 12. lib. I. & cap. 6. lib. 3. sect. port. 1. Partis secundæ de Cabalístico nostro discursu. verba satis ampla fecerimus; Tamen sermonem de ipsis hoc in loco remetiri, & earū naturas paulo accuratius enucleare, valde necessarium existimamus; quo immanem inter naturas eorum differentiam, tametsi ab vnico eodemque fonte scaturientium, clarius percipiatis.

In primis ergo, sciatis velim, quod ipsa frigiditas innata esset massæ deformis atque tenebræ proles seu potius comes; quare ista qualitas materiam potentialem è viscerib. Chaos tenebrofi extractam minime nisi qualitate opposita (videlicet caliditate, ipsius lucis sobole) compellente, deserere aut relinquere solet; & tamen nihilominus recedente caloris effectū, iterum naturali quadam inclinatione in suum subiectum connaturale reuertitur, ita vt harum vna per alterius absentiam definiri soleat. Nec quidem est mirum, si harum qualitatū vnica ad suam in materia aquea existentiam, requirat alterius absentiam, cum ambæ sint sibi inuicem natura & conditione, more suorum parentum, oppositissima: Nam vt certum est & quotidiana experientia comprobatur, quod calida, ipsius principij lucidi proles, homogœna congregat, heterogœna disgregando calefacit, dilatat, subtiliat, seu rarefacit, digerit, maturat, exaltat, fixat, & ad perfectionis metam producit, fouet, vitæ creaturarum est beneuola, & in sua actiuitate admodum velox & viuax; ita vt penetrando & subtiliando consumere, seu potius in partes minutissimas dissoluere soleat: Ita quidem è contrario, frigida, principij tenebrofi soboles, in re omni, lucidæ illius propagini opponitur; vtpote cuius est tam homogœna quam heterogœna congregare, inspissare & densum facere, constringere & contrahere, deprimere & ad imum trahere; crudum, immaturum, & imperfectum reddere, mortificando destruere, vitæ creaturarum obesse, & ob stupidam obtusamque suam dispositionem, admodum lentam & ad quietem naturali inclinatione deditissimam existere, cum non moueatur, nisi caliditatis impulsu incitetur.

Ratio autem cur tanta sit inter has primarias naturas diuersitas facile ex variis suorum originibus seu principiorum conditionibus elici potest. Nam cum causa caliditatis immediata sit motus (neminem enim latere queat quod motus viuacitate excitetur calor) certum est ipsum originem suam duxisse à fonte lucido; videlicet, spiritu Sapientiæ sancto, seu Emanatione sancta, sole & stellis clariori, qui est omni mobilitate mobilior, omni re viuacior & penetrabilior.

Nam quatenus spiritus iste æternus virtute sua lucida ad rerum productionem

nem

nem & conseruationem agere solet perpetuum; verisimile est quod minime est otiosus, & consequenter quod actione sua constanti motum in Natura humida producit, motus velocitate calores excitat, calore subtiliat, attenuat, dilatat, & cætera à nobis allegata profert: Vice versa cum frigiditatis parens & fons sit tenebræ seu materia inanis & mere potentialis, & cum istius principij tenebrosi punctus primordialis sit Monas occulta, seu Deus latens (quem *Aleph tenebrosum* dictitarunt Cabalistsæ, quoniam radios siue actus suos in hac proprietate reflectebat in se) ideo necesse est quod Abyssus hæc, (super faciem cuius ob dictam rationem erant tenebræ) luce primum, & consequenter motu, ac denique calore destituta, nec illuminetur, nec actum habeat, nec moueatur, nec calore alteretur, sed è regione, à luce, actu, motu, & calore sit in sua natura aliena: quare ab Antistite Mose haud inepte pro re inani & vacua æstimatur. Quibus, luce meridiana clarius redditur, cur Tenebræ & eius soboles Luci & lucis filiis tanta oppositione resistere atque obesse soleant, ita vt bellum tam immane & durabile à mundi primordio sit inter hæc duo opposita & inimica gestum: quod etiam ad vltimum vsque **P E R E A T** perduraturum, certum est.

Sed ne vltiori de manifesta harum duarum inter se naturarum contrarietate rapiamini dubio; ocularem hoc in loco Demonstrationem proferam, quæ immanem inter has duas qualitates discrepantiam explicare videtur.

EXPERIMENTVM QVODDAM OCVLARE,
quo Naturarum frigiditatis & caliditatis oppositio
quam clarissime indicatur.

Recipiat velim matraceam seu vitrum oblongo collo in hanc Figuram efformatum: quam seq. pag. appositam sub lit. a. vide.

Tum postea retinendo figuræ b. partem colli A. C. in manu, paulatim extendite eius caput B. ad ignem, ita, vt gradatim & non subito, ne frangatur & caleseat illud admodum: quo facto habeatur in promptu vas quoddam aqua plenum, in quod immergite seu imponite matræ orificium A. ibique per vnus horæ quadrantem retinete: & percipietis aquam paulatim & gradatim à C. versus D. ascendere, nec in ascendendo cessabit, quousque caliditate paulatim extincta atque absumpta frigiditas tale habeat dominium in concauitate B. quale habuit ante capitis matræ calefactionem: tunc enim cessabit aqua vltius ascendere; vnde certum est, quod quo magis seu intensius ascenditur & calefacitur B. eo altius ascendet priusquam aqua in suo ascensu & motu sursum, sistat: nec ad superiora scandere cessabit, quousque ad pristinum frigiditatis gradum pertingat. At vice versa, si iterum quicquam caliditatis adhibeatur matræ capite A. imo quidem si manus calida ei imponatur, statim ipsam aquam antea frigoris affectu & caliditatis absentia eleuatam paulatim & sensim deorsum remeare percipietis.


Ratio ergo huius rei in promptu haberi queat, si caliditatis in primis naturam dilatare subtiliando, atque dilatatione locum ampliorem requirere animaduertamus; quod quidem Chymix peritissimis vanum aut alienum minime videbitur, qui propter istam rationem sua vasa vitrea, ingenti cum strepitu dissipare atque rumpere solent. Cuius rei ratio est, quoniam vnus terræ pugillus vt in decem aquæ pugillos, atque iterum vnus aquæ in totidem aeris, rarefaciendo reducatur, decies tantum loci requiritur.

Hinc ergo est quod ille aer frigore condensatus in capite seu regione B. quanto caliditatis actio durauerit; eo magis subtiliabitur, quo intensior erit caloris actus: Quo autem magis subtiliatur ipse, eo locum magis copiosum naturaliter appetit pro sua existentia; quare maxima aeris pars olim frigore in

C

cauitate

cauitate condensata, iam caloris insultu subtiliata, habitationem latiore in aere aperto quærendo per orificium A. egreditur, ita ut aer in B. remanens,



illamque cauitatem implens, est valde subtilis, & consistentiæ vel magis vel minus rare, & ad dispositionem igneam tendens pro maiori vel minori caliditatis dominio. Cum ergo frigiditatis sit contra naturam caliditatis ea dissipare & destruere incrassando, quæ caliditas subtiliando effecit: sequitur, quod ipsa absentia seu diminutione caliditatis paulatim accedens & accrescens aerem dilatatum iterum suo more & conditione contrahat, & constringat fortiterque eum suo modo constrictiuo aggreditur. At vero quoniam satis aeris in cauitate A. B. minimè inuenit, quo contractione facta, vacuum seu inane (quod natura abhorret) euitatur, aquam propter eiusdem cum aere continuitatem sursum eo magis eleuat quo magis in caliditatem præualet: ita ut quo magis aer inclusus, stiptica frigoris virtute condensatur, eo magis aqua pedetentim ascendit. Denique iterum paulatim adueniente calore, virtute sua rarefactiua, iterum subtiliatur aer: & aer subtiliatus locum ampliore requirens gradatim facit ut aqua illa eleuata iterum descendat ut locum aeri iam dilatato cedat.

Sic

Sic ergo creatus est Mundus: nam iuxta illud D. Petri: *Cœli prius erant* (dilatando scilicet, & separando purum à tenebroso, & spisso) & *Terra* (contrahendo impurum tenebrosum & densum) *assistente Verbo*: vnde patet quod tam manifesta seu dilatans Monadis virtus quam constrictiua & occulta concurrebāt ad mundi compositionem. Imo vero & talis virtute contraria erit eius finis; videlicet, materiam mundanam luce dilatando, in veram eius materiam purificando: hoc est; figmentum & inutile in suum nihilum primarium contrahendo: nam omnia hac ratione in vltimo PEREAT renouabuntur (teste Scriptura sacra) quippe rectificatione quali, nouam habebimus terram cœlosque nouos, imo vero, & omnia quæ reuera sunt, noua efficientur.

His igitur rite cognitis, has duas qualitates more aperto & manifesto inter se discrepare & sibi inuicem opponi cernimus; & consequenter vtriusq; ipsarum natura & proprietates indicat aperte scaturiginem à qua deriuatur: nam cum frigiditatis sit, res raras condensare virtute sua constrictiua seu contractiua; lucide apparet, eam esse ex parte principij tenebrosi, seu proprietatis illius in qua Deus contrahit se in se, mediante qua eius operatione Tenebræ ortum ducunt suum. Sic etiam frigoris dominio ipsum Cœlum rarum, clarum videlicet, & lucidum aerem (verbi lucidi opus) in densam atque tenebrosam nubem cōtrahi atq; inspissari obseruamus, atque illam iterum in aquam densam & lapides opacos; cuiusmodi sunt illi Ceraunij (aquā in terram inspissando, & condensando minime diaphanam, sed obscuram: nam condensatione res raræ & pellucidæ seu transparentes vt plurimum densæ, nigræ opacæ & tenebræ fiunt.) Etenim vt videmus aquam valde profundam, ab oculis minime posse penetrari ob Diaphani multitudinem: ita quidem si tanta massa constringi & coagulari queat in angustiorē magnitudinem, necesse est vt minime maneat pellucida, sed opacissima, vt in densa & nigerrima nube videre licet. At vero è regione, obseruamus naturam caliditatis esse ea dissoluere & subtiliare quæ condensauit frigus; videlicet, Terram reducendo rarefactione in Aquam per primū gradum: Aquam in vaporem primum & deinde in subtilem aerem, per secundum: Atq; aerem tandem in Ignem per tertium: & consequenter Terram reducit subtiliando, in cœlum; opacū in diaphanum, densumq; in subtile.

Frigiditas iterum illud caliditatis opus superando atq; amoliendo; ignem in aerem condensando, aerem in nubem seu vaporem, nubem in aquam, ac deniq; aque consistentiam in terram (vti in glacie & grandine videmus) alterare animaduertitur.

Atq; hæc est illa Elementorum vnus in aliud rotatio annualis, de quo toties loquuntur Philosophi: ita vt hyemali tempore præualet frigiditatis facultas; Æstiuale vero illa caliditatis: At vero ne completa foret Creaturarum extirpatio (quod quidem accideret, si frigus perseueraret) ita ordinauit Monas seu Vnitas illa æterna (quæ est harum proprietatum fons) quod ex vna parte non omnino præualet frigus, sed vt à Solis radiis ab Austro videlicet, à Capricorni sede eiaculatis mitigaretur ipsius stupida & mortificans operatio: nec ex altera regione videlicet, à Septentrione dominaretur Caliditas etiam in palatio Cancri regnante Sole, quin à frigido à polo Septentrionis afflatu quodammodo contemperetur; ne ipsam terram & aquas vniuersas subtiliando in fumum penitus conuerteret.

In hunc ergo modum, rerum in hoc mundo vicissitudines ratione contraria ab opifice magno stabilitas, omniaq; in eo per contraria temperari animaduertimus: quorum vnum extremum, à luce suum habet initium; aliud, à tenebris; & tamen horum omnium effectus ab vna egressiuntur Radice & Archetypo.

C A P. V I.

In quo probatur, quod aut Tenebrę & Lux, & consequenter frigidum & calidum ab vnico fonte, seu principio primordiali oriantur: aut quod duo admittantur in Mundo, Principia ęterna, vnde Vnitatem ę rerum natura tunc excludi sequeretur. Antam Malum quam Bonum à Deo procedat,

VT lux & tenebrę mediante materia communi humida, ad vnus mundi fabricã concurrunt: Ita haud admirandũ est, si illa duo contraria ab vna Monade ęterna procedant. Nam si Mundus ad imaginem Monadis, non modo numero vnus sit factus, sed etiam duas in se substãtias; lucem videlicet formalem & materiam seu abyssum tenebrosam, & consequenter duplices ipsarum proprietates; nempe frigiditatem & validitatem in se continet, verisimile videtur eas substãtias & proprietates contrarias ideo fuisse & esse potentialiter in Deo Monade seu vnico principiorum Principio, seu Mundo ideali & Archetypico, quoniam in ipso mundo: sin minus, Mundus hic Typicus minime foret Dei seu Mundi Archetypici Exemplar & imago. Quod quidem si à quopiam inconsulte negaretur, tunc hoc absurdũ & impossibile sequeretur, videlicet, quod duo essent principia coęterna; vnum nempe Tenebrarũ potentie priuationis, mortis, morborum, mali: Alterum vero lucis actus positionis vitę sanitatis & boni. At si dualitas sit sempiterna, inane & vanum foret credere ipsum aliquod habere principium, aut ab Vnitate ortum suum deduxisse. Nam illud quod est ante omne aliud, principium habere nõ potest; cum principium existimatur esse principiati non præexistentis initium. Hac ergo absurditate semel concessa seu data, maior immediate succederet, videlicet, quod ipsa Vnitas ę Nature societate & artium numeralium consortio extirparetur. At vero quoniam Dyas ex Monade seu Vnitate duplicata componitur, certum est ipsam Vnitatem, Dyadem tum ordine tum tempore præcedere: quoniam certissimum est quod simplicia rebus ex simplicibus compositis anteire debeant, non minus quam principia principiatis. Quare in hoc, opinio Manichæorum erronea duo ponens atque statuens principia ęterna, lucide refellitur, nec non & fabulæ illi de Demogorgone ęternitate & Chao respondetur, quæ hæc tria increata atque ab ęterno coęterna fuisse tradit: fingendo ipsum Chaos in ęternitate Dei Opt. Max. socium fuisse. Huic Poetæ assertioni astipulare videntur Platonici; sed ea tamen cautela, quod Chaos ęterna quadam generatione à Demogorgone processisse agnoscant. Nam tametsi ipsum Chaos ab ęterno Deo profluxisse fateantur, illud tamen eius confortem esse voluerunt; vtpote cum quo Deum tanquã maritus cum fœmina seu vxore, ad mundi rerumque in Mundo generationem seu creationem concurrere & quasi coire finxerunt. Quare concludere videntur, quod vt Chaos nullo intermedio existente à Deo productum fuit, ita reliqua omnia à Deo & Chao, quasi forma & materia primariis sunt orta atque primitus deriuata: Quare minime videntur ipsi iniuitiose Chaos Dei socium in hoc dictitasse.

Lib. 2. de Amore.

Hinc ergo ait Leo Hebræus, quod huic non repugnat, *hoc Chaos ab ęterno à diuino Numine produisse, non aliter quam Eua cum ex Adamo conformata fuisset: ei sociã & vxor semper estimata fuit.*

Quæ quidem Platonicoꝝ sententia ab illa nostra minime differre videtur; nam vt Verbũ ex vna parte (Dei patentis & lucidi partus) & abyssus tenebrosa seu materia deformis & potentialis ex altera (Dei patentis & occulti propago) ab eadẽ Monade seu Demogorgone nasci & procreari & sub nominib. ęternitatis

ęternitatis

nitatis & Chaos comprehendi videantur; Ita quidē haud inconsideratē dici potest, quod materia potentialis seu partus Dei latentis sit socius verbi formalis seu partus Dei patentis, qui & Deus est; & se habent (in effectu) vt mulier ad virum, Eua ad Adamum, ex latere cuius ipsa erat extracta; at verò vt duplex partus in vnico Adamo, videlicet, mas & foemina, ab vnico processit partu diuino, qui in se diuidi nequit: ita quidem ab eadem natura vnica mundi; tam Cupido ignea quā Psyche pulcherrima sunt ortæ; quarum vnione tam postea propagatur natura vniuersa PAN dicta: de qua *infra*, fusius. Deniq; vt necesse est aliquod patiens seu materiam potentialem præsupponi, priusquàm formæ actiue præsentia requiratur: ita quidem est supputandum, quod materia deformis seu abyssus tenebris involuta existeret in Monadis occultæ potestate priusquam Emanatio sancta ab ipsa exiret: vnde factum est quod materia ex qua, Patri refertur: Forma, per quam; Filio, & Gluten seu nexus amabilis ex vtroq; exiens, mediante quo & virtute cuius duarum naturarum vnio est facta, Spiritui sancto; qui nihilominus omnes termini seu proprietates ab inuicem discrepantes, non sunt nisi vnica Monas radicalis; Ens Entium vnum, Deus Deorum vnus & idem (vti antea demonstratum est) de quo Apostolus, *Vnus est Deus ex quo omnia, & vnus Deus Iesus Christus (vera mundi lux) per quem omnia.* 1. Cor. 8. Sed istas tres vnus Diuinitatis proprietates optimè exprimere videtur Propheta, in his verbis; *Quicquid vocatur in nomine meo, illud creauit, formauit, & fecit illud.* Et alibi: *Hec dicit Dominus creans cœlos, ipse Deus formans terram & faciens eam.* Abraham. Iezira. Quem quidem Prophetæ sermonem, Abrahamus in suo libello dicto Spheroth Iezira luculentur hisce videtur explicare verbis: *Creatio (inquit) prima, est materia tam vniuersalis, quàm cuiuscunq; indiuidui dispositio vnde postea forma educitur potentia. Formatio est ipsius formæ constitutio; siue exterius aut ex nihilo suscitetur & ad res ipsas adueniat; siue diuino imperio ad materia educatur potentiam. Faciendi vero operatio pertinet ad mutuam materia & formæ coniunctionem.* Dei itaque omnipotentia siue vnitas cogit, primo res ipsas in suam materiam siue vnitatem indiuidui, siue sit mundus, siue creatura peculiaris, in mundo quo est Patris actio magis in eo eminens, quam in Filio siue Sapientia. Formæ itaq; dispositio secundum quam latissime diffunditur naturæ humidæ potentia, ad sapientiam diuinam, quam nos Filium & Patris prolem vocamus, maxime spectare cognoscitur: summus deniq; affectus & amor à potentia primaria & sapientia seu actu procedit, qui cogit compositum formæ & materiæ in vnum & facit proprie omnia; vt sicut ab æterno procedit à Patre & Filio, siue à potentia & sapientia: sic etiam coniungit materiæ vnionem, quæ est à Patre cum formæ dilatatione quæ est à filio.

Quare rerum esse est tanquam materia & origo earum, essentia autem est instar formæ eductæ de materiæ potentia: sola autem Monas seu Deus vnus est in quo esse & essentia sunt idem; tertiæ itaque personæ cuius est vnire proprie formam cum materia, officium est facere. Hinc ergo erat quod Mercurius Trismegistus asseuerare haud dubitauerit, quod *operationes creandi & formandi essent partes Dei.* Pimand. 12. Ex materia ergo paterna forma filiali, & composito ad Spiritus sancti opus pertinente conflata est quælibet creatura, & præcipue mundus & homo.

His igitur rite consideratis, materiæ informis potentiam & formæ informantis essentiam & actum lucidum in vnica Monade occultatos, prius & in indiuidua Monadis vnus natura, radicaliter comprehensos; partu tum postea bino proprietate oppositissima ad mundi & creaturarum eiusdem edique produci certum est, vnde lux clarissima atq; tenebrosa materia seu abyssus in creationis instante apparebant; & consequenter patet, quod ipse Deus in latenti sua natura sit nihil aliud quoad nos quam tenebræ; vt è regione, in lucida & patente sua dispositione sit lux, quæ & verbum seu sapientia dicitur

tatur. Hinc ait Hermes; quod *hyle & Spiritus diuinus in mundi opificio non erant, quando nata non erant, unde nasci debuerunt*; hoc est; hyle tenebrosa & Spiritus Sapientiae lucidus erant in Monadis radicalis potentia.

At replicabit quispiam & dicet; Quid tum postea? Anne per consequentiam concludis, ipsum Deum seu Monadem radicalē esse authorem mali, qui totus est bonus, imo vero & summum Bonum? At vero omnia mala (vti supra explicauimus) à tenebris & tenebroso principio sunt orta; vt vbiq; literis sanctis est declaratum: Quid? Anne Deum statuis Diabolum? aut credisne Deum ordinasse vnquam aut substituisse sibi Angelum malum, qui malum & scelera in hoc mundo contra lucis filios patrare queat? Nonne nos filios lucis vbiq; Biblia sacra præmonere solent, vt ab operibus tenebrarum abstineamus; & vt nosmet ipsos lucis filios armis spiritualibus aduersus Principis tenebrarum insultus seu invasiones muniamus? Quid ergo est, quod tu his obiectionibus respondere queas?

Quibus ego quamvis succincte tamen clare & lucide responsum dare haud erubesco: mihi via petitionis & quaestionis iterum ab ipso liceat in primis quaerere atq; interrogare; pro prima dubij sui particula: *An aliquid creatum, Monadi diuinæ & radicali sit malum? quæ omnia creauit bona, quatenus in genere mundum vniuersum ad imaginem suam quæ tota & sola est bona creauit, & consequenter membra ipsius mundi, inter quæ homo est vnum ex præstantioribus? Dicimus ergo quod quatenus omnia sint in ipso Deo; non aliter quam numerus in vnitate; & Deus in omnibus & Vnitas in numero (vnde cuiuslibet rei centrū dicitur, cuius circumferentia est nullibi) ideo necesse est concipere, quod ipsi Monadi diuinæ nihil sit malum, quoniam ipsa est omne quod est; quæ vnice est bona, perfecta, pulchra, & Pater omnium: Quare & omnes eius propagines seu creaturæ participatiue statuuntur esse bona: nam sequitur quod, quæ talia sint facta, ideo & bona sunt, quia ille plusquam talis est, qui talia fecit: At Pater & factor creaturarum est summum Bonum; ergo & bona sunt ea quæ ab ipso procreantur, tametsi non in pari gradu.*

Non ergo sequitur, quod ea sint omnino mala, & turpia & imperfecta, quæ nobis filiis lucis talia videntur: nam teste Apostolo; ea filiis tenebrarū & mundanis pro bonis habentur, quæ nobis lucis filiis pro malis æstimantur. Nam opera lucis, illis tenebrarum omnimodo sunt opposita: vnde nihil videtur vnus conditionis bonum, quod alteri non apparebit malum. Respectu vero Dei vnus seu Monadis radicalis, in pari relatione sunt tam Tenebræ quam Lux; vtpote cui (teste Propheta regio) tenebræ ita se habent, vt ipsa Lux; tam enim familiare est ei seipsum occultare in se, quam emittere radios sui vultus lucidi; tam potens est ipse obdurare corda hominis & tenebris eum obsidere & in errorem ducere: ita vt more ebrij in tenebris palpet deficiente luce, quam beneuola faciei suæ luce eum beare atq; præseruare. Eius est etiam in Macrocosmo, ita cohibere aquas vt arescant; easq; iterum ita emittere, vt subuertant terram. Et quandoq; eas moderate dat, vt dent ipsi Terra fertilitatem: In eius manibus est sibi ponere tenebras latibulum, & fulgure à facie eius reuelare fundamenta orbis: atque increpatione sua mittere sagittas eius, & dispergere homines. Et iterum, eius est beneuole agere cum & in elementis: Eius est increpare homines quandoq; in lectulo per dolorem & omnia ossa eius marcescere facit: ita vt abominabilis sit eis in vita cibus. Nonnunquam eis & salus & vita præseruatur: Nam *visitatione sua præseruat Spiritum eius: & lucem faciei suæ attollendo supra homines, efficit vt videant lucem, & splendentes efficit eorum tenebras, ita vt in semitis eius eos ducat.*

Nonne ergo hic Deus tam boni quam mali, tum in Macro- tum in Microcosmo Author?

At

Job. 12.

Deut. 18.

2. Reg. 22.

Job. 33. 17.

Job. 10. 12.

Psal. 4. 7.

Psal. 18. 29.

At dices, iuxta friuolam illam Scholarum distinctionem: malum pœnæ, non culpæ:

Verum enimvero; quid culpæ commisit bonus ille Iob, *Vir* (vt ait Textus) *iustus*, qui tot imperatu diuino est passus? aut quis eum percussit & malorū tremendo afflixit? nonne eius Minister? Princeps ille in regno Tenebrarū? Quid? an erat ille percussor cœternus Deo? Vel potius ab ipso creatus: ei que ordine creationis subditus, qui factus est se nihil sine permissione creatoris in malum creaturarum lucidarum efficere potuisse: vti in eodem loco clarius explicatur. Iob. 1.

Denique aut Diabolus, qui dicitur Tenebrarum Princeps; est cœternus Deo, atque consequenter duo habemus principia cœterna, vnde aut Vnitas, seu Monas è rerum natura excludatur necesse erit; aut Deus monas est Author vtriusq; Extremi.

Nonne fatetur Sapiens, idque verbis expressis: quod *Bonum & Malum, Vita & Mors, Paupertas & Diuitia à Deo sint? Considera* (inquit) *opera Dei & quod nemo possit corrigere quem ille despexerit, in die bona fruire bonis; & diē malam præcaue.* Eccles. 11. 14.
Sicut enim hanc, sic illam fecit Deus, vt non inueniat homo cōtra eum iustas querimonias. Eccles. 7. 14.
 Nonne enim factus est vir ille patiens, omnia hæc siue ea dicamus mala, siue bona, manere in voluntate eius, qui est totus bonus, neque de operibus eius qui in se est iustus, fas est hominibus iudicare: videlicet, an sint bona vel mala: vtpote cuius est iuxta voluntatem suam, tam in cœli virtutibus, quam cum habitatoribus terræ quicquid vult, facere; & *non est qui resistat manibus eius; aut dicat, Quare hoc fecisti?* Iob. 23.
 Quare certum est, ea omnia esse bona, quæ Deus Dan. 4. facit, tam in cœlis quam in terra: & consequenter, respectu ipsius, non esse malum; sed respectu nostrū, qui patimur: Verbi gratia, cum Aurifaber aurum leprosum siue metallo quodam impuro contaminatum, ignis examine purificare atque mundare velit, aurum cruciare videtur igne, & tamen istud opus (quamvis cruciatu plenum) est bonum, quoniam ad optimum tendit finem: Non minus etiam dici potest de morbis, qui viam struunt ad mortem vel separationem partium compositi, seu puri ab impuro ad veritatis seu veri auri animalis dissolutionis & examinationis Exemplar, est nobis viuentibus, qui patimur, omnium res pessima, & tamen Deo videtur optimum & circa finem perfectū versatum: vnde, de malo non est nostrum iudicare, sed Dei solius. Nos (inquam) in hac vita degentes putamus ea mala & pessima, quæ vitæ & sanitati obsunt; Deo vero Creatori vnico, in cuius potestate sunt tam Tenebræ quam Lux, noluntas & voluntas, negatio & affirmatio, contractio & dilatatio, mors & vita, nihil malum, nihil turpe, nihil fædum, quippe qui cum omnia creauit, quatenus est principium vnicum & solum à quo omnia, atque ipsum Bonum, nihil malum fecit, vt antea dictum est; sed quod nobis malum videtur, ei proculdubio respectu proprietatis suæ negatiuæ pro Bono habetur, iuxta illud Hermetis antea allegatum; ab ipso omnium factore nihil malum nihilq; turpe; hæ enim passiones non sunt creatæ, sed sequuntur opera creata: quemadmodum Æs rubigo, animata corpora limus.

At neq; faber ferrarius induxit rubiginem, neque animali corporis generator cœnum: pari etiam ratione quoniam tenebræ abscondunt lucem à lucis filiis; ideo hoc ijs malum. Sic etiam Lucifugis lux clara malum videtur; tamen si tam Tenebræ quàm Lux sunt bona.

Dicimus ergo quod vt duo Monadis radicalis partus sint omnino natura contrarij, ideo vnus prædominantis & vincentis effectus reputatur pro malo, ab altero patiente: & tamen vnitatis originalis respectu, ambo sint vnus essentiæ in voluntate vel noluntate existentis: non aliter quam videmus eandem mentem humanam numero & essentia, esse quandoque dispositionis nolentis, & quandoque volentis: nonnunquam seueritate persistentem & negantem,

tem, utpote suæ benevolentia radiis in se reflectentem, & aliquando clementia & misericordia afficientem, & affabilitatis suæ radiis emittentem atque communicantem.

At replicabit quis proculdubio: quod si hoc sit verum; quid opus est tantis admonitionibus, partim à ministris Prophetis Dei, & partim ore ipsius Diuinitatis atque Christi prolatis? quibus ut à Tenebrarum cæno & vitiis ac Principis tenebrarum dolis atque infidiis præcaueamus, admonemur.

Sapient. I.

Quibus respondeo, quod iuxta Paginae sanctæ testimonium: *Deus omnia fecit, ut essent; & medicamentum exterminij non posuit super Terram.* Inde arguens, quod Deus in positiua sua proprietate omnia per Emanationem suam dono vitæ imbuens, ea ita ordinauerit ex hac sua dispositione positiua, seu elementi, ut existerent, & minime ut interirent. In qua quidem proprietate Iesus Christus vere Deus seu Verbum, *Lux vera mundi, in qua* (teste Euangelista) *non sunt tenebrae vlla, & in qua existit vita & veritas*, dixit, *Ego sum vita & veritas. Non venio destruere, sed saluare, &c.* Et alibi; *Vitam creauit Deus:* Et alibi; *Vita fons penes te est.* Et alibi; *Vita prolongatio benignitas Dei.* Et alibi. *Visitatio tua præseruauit Spiritum meum.* Et alibi; *Dierum vita numerum dedit Deus:* Et alibi: *Lucem faciei tue attolle supra nos, & effice ut videamus bonum.* Et alibi: *Si tu illustras lucernam meam, splendentes efficiet tenebras meas.* Et alibi: *Lux salus iustorum & robur vitæ:* Et alibi: *Luce faciei Iehoua saluamini.* Et alibi. *Iehoua Deus est Sol, gratiam & gloriam dans.*

Ioan. I.

Ioan. 4.

Sap. I.

Psal. 36. 9.

Psal. 93.

Iob 10.

Eccl. 1.

Esd. 4. 7.

Psal. 8. 29.

Psal. 80 +

Psal. 8 + 12.

Infinita alia ex facta pagina proferre possem, quibus Deum positiuum in proprietate sua patente & lucida esse vitæ atque existentia authorẽ beneuolum & creaturarum præseruatorẽ probetur. Hæc enim facit Monas in proprietate seu emanatione sua lucida, quo statu à Pagina sancta dicitur Verbum in quo vita quæ erat lux hominum. Similiter nuncupatur *Spiritus sapientia sanctus*, quem, *candorem lucis æternæ* vocat Salomon, cuius non est in sua dispositione, mortem, priuationem, morbos & malas passiones producere, sed vitam atque sanitatem non modo momentaneam, sed æternam. Hic Spiritus est modestus suavis, incoinquinatus, amans bonum, innoxius, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem (ut ait Sapiens) Et Apostolus affirmat ipsam esse pudicam, pacificam, modestam, plenam misericordia & fructibus bonis. In latente vero Monadis radicalis seu diuinæ proprietate seu dispositione, aliter sese res habet. Vnde dicit Propheta; *Tenebræ persequentur inimicos Dei.* Et alibi. *En destruit ut non ædificetur, occludet viro ita, ut non aperiatur: eius est errans, & in errorem inducens, qui facit ut consulti deueniant in dementiam & ludices stultos reddit, & validissimos peruertit; qui facit ut homines errent tanquam ebrii, & palpent in tenebris deficiente luce: qui ponens tenebras in circuitu suo latibulum, tonabat de cælo, & revelauit Orbis fundamenta increpatione sua, & ab inspiratione furoris eius; qui posuit caliginem inter Israelitas & Aegyptios; qui dixit se habitare in caligine: virtute cuius, tenebræ factæ sunt palpabiles in Aegyptiorum malum tenebræque in instante mortis Christi sunt per vniuersam terram dispersæ; qui indurauit cor Pharaonis; quo abscondente faciem suam, perturbantur creaturæ; & retractione seu receptione Spiritus eorum, expirant. A quo, denique sunt mors, morbus, malum, & paupertas; atque tenebræ: Imo vero & istiusmodi Dei proprietatis effectus alios expresserunt Biblia sancta, quæ Lectori vbique occurrunt.*

Sap. 7.

Num. I.

Iob. 12.

2. Reg. 22.

Ios. 26. 7.

1. Chron. 6.

Exod. 10.

Psal. 104. 29.

Iob. 34.

Eccles. 11. 14.

Psal. 104. 29.

Iob. 34.

At si dixeris; varias hæc Creaturarum passiones non ab vno fonte prouenisse; attendito, quid hac in re testantur dictæ Scripturæ. *Omnes creaturæ emittente Deo Spiritum suum, recreantur, atque satiantur bono: abscondente faciem suam, conturbantur; recipiente Spiritum eorum, expirant.* Quibus videre licet, quod ab vna & eadem numero Monade radicali, tam bona & mala, quam vita & mors; tam sanitas, quam morbus, & denique tam Lux, quam Tenebræ, deriuantur. Vnde loco antea citato, habetur; *Bona & mala, vita & mors &c. à Deo sunt.* Et alibi.

Vita

Vita & mortis habet Dominus potestatem, qui deducit ad portas mortis & reducit. Hic-
 ce ergo luce meridiana clarius explicatum habetis, in primis, quam contrariæ
 sint lucidæ & tenebrose qualitates, & quanta est inter eas, licet partu pari e-
 ditas, inimicitia: & tum postea, quod nihilominus ab vna atq; eadem radice
 oriantur ambæ.

Differentiam atque inimicitiam inter istas duas proprietates optime sic
 explicant Scripturæ Sacræ. Reuelat (ait Iob) fundamenta è Tenebris, & educit in
 lucem umbram lethalem, &c. ac si dixisset aquas deformes & tenebris obrutas,
 & consequenter quasi mortuas, & more umbræ lethalis præsentia & virtute
 lucidi Verbi, Monadis voluntate emanantis informatas atq; viuificatas esse.
 Vnde arguitur, quod vt primitiua & Monadis occultæ, seu Aleph tenebrofi
 potentia erat in nihilum reducere, & inane atque vacuum ac plane mortuum
 reddere; ita vice versa eius velle seu positiua virtus ex nihilo seu potentia, om-
 nia in actum reduxit, hoc est, ex deformi Chao, mundum integrum mira pul-
 chritudine ornatum ex vacuo & inani, Spiritum vndiq; radiis diuinæ Emanationis
 plenum, ex re plane mortua & inanimata, creaturam anima immensa &
 omni virtute tam viuificandi & generandi: quam multiplicandi & præseruan-
 di plenam produxit. Verbo (inquit Psalmista) Domini, firmati sunt Cæli, & Spiritu
 ab ore eius omnis virtus eorum.

Hinc ergo elicere fas est immanem horum extremorum ab vnico cen-
 tro seu puncto Diuinitatis scaturientium differentiam; quam etiam & confir-
 mare videtur Apostolus, qui dicit nullam esse tenebrarum cum luce communionem. 1. Cor. 6.
 Et hæc est ratio, quod Euangelista ait; In tenebris incredulitatis, si ambulemus, so-
 cietatem cum luce Christi non habemus. Vt enim locutus est Iob, loco antea citato; de
 reuelatione fundamentorum Macrocosmi è Tenebris seu umbris lethalibus
 mediante lucis emanatione: ita quidem de microcosmi fundamentorum re-
 demptione hoc idem intelligi potest. Nam scriptum inuenimus, quod *sedenti-
 bus in regione umbræ mortis lux orta est.* Quibus indicatur, quod vt in hoc mun-
 do sunt filij lucis; ita quidem innumerabiles sunt in eo filij tenebrarum: nõ di-
 co tenebrarum ex creatione, sed per peccatum & errorem; nam omnes, nati
 sunt lucis filij vt viuerent: quoniam *creauit Deus hominem in exterminabilem, &
 ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: sed ob ignorantiam, in tenebrarum abyssum
 nonnulli sunt lapsi, idq; astutiis principis tenebrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex
 parte illius.* Quo sermone innuere videtur Sapiens, tales filios tenebrarum
 nuncupari, de quibus Apostolus; *Tenebrarum filij, non sunt Christiani: sed filij lucis
 & diei.* Et Euangelista ait, *in tenebris infidelitatis si ambulemus, societatem cum luce
 Christi non habemus.* Porro dictus est ille *tenebrarum filius*, qui fratrem odio ha-
 bet. In horum etiam numero fatetur Paulus Apostolus se fuisse, eo loco vbi
 agnoscit se à tenebris errorum ereptum fuisse: Imo vero & istiusmodi homi-
 nes quandoq; dicuntur ipsæ Tenebræ. Nam asserit Apostolus, quod *Gentes
 Tenebræ erant ante cognitum Christum: Lux autem postea.* Nam Christus verbum
 Sapientiæ & Deus patens & in positiua sua proprietate, quæ Lux est, & tenebræ
 non sunt in eo, venit lucere in mundo: & dare sui cognitionem, vt in tenebris peccati non
 maneremus, sed in ipso Christo & Luce ambularem: vt societatem cum eo haberemus.
 Nam Dei est in proprietate sua lucida tenebras nostras illuminare: vt illa ra-
 tione, nos qui lapsu Adami, à lucido regno in illud tenebrarum sumus præci-
 pitati, iterum inter Dei lucidi filios, mediatione Lucis veræ numerari pos-
 simus.

Videtis ergo quanta hic differentia distet lucis filij ab illis tenebrarum:
 cum hi sint Dei latentis & in proprietate sua tenebrofa permanentis, filij: &
 consequenter Principi Tenebrarum (summo ipsius ministro) subiecti: illi vero
 Dei patentis & in proprietate sua lucida imperantis, & consequenter imperio
 magni Angeli, Sapientiæ videlicet, (quam Cabalistarum Metatron vocarunt) subditi.

D

Hi

Ioh. 15.

Iai. 5. 20.

Iai. 54. 16.

Eccles. 39. 33.

Hi ergo filij dicuntur mundi, carnis & diaboli; illi Dei viuentis, qui omnia creauit, & vt essent, effecit: quorum binorum contrarietatem in natura sic optime describit Lux & Saluator mundi in his verbis: *Mundani amantur à mundo, me autem odit mundus: illi de deorsum sunt, Ego & qui me sequuntur, de sursum. Ego à Deo processi: illi ex parte Diaboli sunt. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, &c.* Et Euangelista ait: *Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines tenebras magis quam lucem.* Ioh. 11. 9. (teste ipso) *erant enim eorum opera mala.* Atq; istiusmodi sunt illi, qui ambulant in nocte, & lux non est ijs: de quibus etiam Propheta: *Va dicentibus de malo bonum & de bono malum, ponentes tenebras pro luce & lucem pro tenebris,* hi (inquam) sunt tenebrarum filij &c. His ergo liquet quanta est dissensio inter lucis & tenebrarum in hoc mundo filios, & consequenter patet, quod inter illas duas proprietates extrema sit oppositio, tametsi ab eadem vnica scaturigine radicali, seu fonte diuino orientur. Quid igitur dicendum est? nisi quod eadem Vnitas sit primarium, tam tenebrarum vitij & mali principium, quàm lucis virtutis & boni? Aut cur vltioris habeamus dubitationis rationem; an Diabolus (qui dicitur tenebrarum princeps à Tenebrarum Imperatore (Aleph nempe tenebroso, vel Deo latente) non aliter ad opera tenebroso erronea & mala perpetranda: quam Princeps ille lucis, seu Sapientiae (quam pro mundi vita & anima habent Sapientes) à Lucis Imperatore seu Verbo, quod est Aleph lucidum & Deus patens: ad opera vitæ lucida, vera, & bona, vbiq; in mundo peragenda esset ordinatus, atq; à Deo seu Monade radicali creatus? Nonne hoc infallibili demonstratione à Propheta in persona Dei loquente confirmatum habetis? *Ecce ego creauit fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum: & ego creauit interfectorem ad disperdendum, &c.*

Et Siracides idem disertissimis verbis affirmat, dicens: *Sunt Spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua & in tempore consummationis effundent virtutem, & furorem eius qui fecit illos, confundent, &c.* Mediante ergo hoc suo ministro lethali destruit & corrumpit per viam priuationis formæ lucidæ: per illum vero lucidum viceversa, iterum generat atq; viuificat per viam ablationis velaminis tenebroso, vt hac ratione res nouæ producantur: iuxta illud: *Vita & mors, bonum & malum à Deo vnico, qui operatur mediantibus suis Angelis, vti libro sequente declarabitur.*

Hinc ergo erat, quod Sapientes antiquiores (inter quos Orpheum, Hesiodum & Proclum nomino) qui Mysteria sua diuina fabulis Poeticis obuelare & abscondere solebant, vnicum hunc mundi Deum & veram omnium Monadem radicalem ob binam istam suam proprietatem quandoq; Apollinem dictitarunt, & nonnunquam Dionysium: Apollinem (inquam) tempore diurno, eo quod crediderunt Apollinis esse iterum componere & in pristinum statum restituere ea, quæ à Dionysio sunt nocturno tempore dilacerata, & in partes septem diuisa. Dionysium vero tempore nocturno, cuius officium voluerunt esse, illud nocturno tempore destruere corrumpere & dilacerare, quod ab Apolline diurno statim erat compositum, & creatum: Quare dictum est istud Ens omnium radicale Apollo: quia generat viuificat & componit: idq; in numero septenario qui cõflatur à numero formali, qui est ternarius: & materiali, qui est quaternarius, qui simul iuncti in compositione faciunt septem. Quare omnis compositio est à numero septenario: atq; etiam illius destructio seu dissolutio per eandem metã retrogrediendo perficitur. Quibus clare ostenditur, quod luce & lucida Dei proprietate omnia creantur & constituuntur. Eius vero proprietate contraria, omnia destruuntur & deficiunt. At vero quoniam perceperunt lucem diuinã (quam Solem centralẽ esse agnouerunt) esse creationis generationis & compositionis authorem: ideo Apollinẽ & Phæbum istam proprie-

proprie-

proprietatē nuncuparunt; quem pro Sole intellexerunt Poetæ, qui in die habet dominium reficiendo, generando & viuificando omnia in terra calore suo viuifico: vnde Antiqui Solē loco Apollinis, nuncupauerunt *Apellin*, quasi maiorum propulsatorem & tenebrarum discussorem: Et Athenienses eum *Alexicacon* dixerunt, quasi malū pellētem: & Homerus ipsum vocauit sanitatis authorem. His ergo sat liquido declarari videmus, quod eadem vnitas radicalis non modo iuxta sacræ paginæ sensum, sed etiā veterū Sapientum Ethnicorum asseuerationem sit vtriusq; conditionis seu proprietatis particeps: vel scilicet tenebrorū: qua videtur se in se reflectere & mente priuatiua agere: vel retrahendo vitæ creaturæ radium paulatim & lente in se, vel auertendo faciē suam à creatura in parte, ipsam perturbando & ægrotare efficiendo: aut absolute & in toto recipiens & contrahens vitæ radium & spiritum in se: in quo statu necesse habet creatura, vt expiret seu intereat: nā *omnis creatura habet expectationem à Deo, quare dante eo, recipit vitam: emittente Spiritum suum, recreatur, & sanitate fruitur. Si vero Spiritum & flatum suum ad se reciperet vel traheret: deficeret & expiraret omnis caro simul, & in cinerē conuertetur.* Atq; hæc contractio vel receptio bonitatis diuinæ nihil aliud est, quam conuersio proprietatis lucidæ in tenebrorū: vnde ait Iob. *Semitis meis tenebras opposuit.* Et alibi dictum est, quod *Tenebra persequitur inimicos Dei.* Et in multis Scripturarū locis, Tenebræ pro morte & viuentiū plaga & malo, sepulchro atq; infelicitate habentur: at viceversa, Lux in se & per se, pro vita, salute, forma & felicitate summa æstimatur.

Hoc ergo punctum, mundo in primis enucleare per quam putauimus necessarium; eo quod permultos huius mundi, etiam vulgariter sapientes obseruauit istius mysterii ignorantia totaliter captos, vt duo fuisse principia cœterna strenue defenderent: Quorum vnum, fecerunt Deum, quem Lucis Principem & Boni principium & authorem dictitarunt. Alterum existimauerunt esse Diabolum quem Tenebrarum Principem & mali originem primariam crediderunt, minime creatam, sed ipsi Deo cœternam, atq; æqualem: minime comprehendentes Diabolum esse creaturam, non aliter ex lucis occultæ radio intrinsecus in se reflexo & quasi obstinato, nolente & peruerso, tanquam forma: & tenebroso externo quasi corpore aëreo, impuro, conflatum esse, quam ipse summæ lucis diuinæ Angelus omnia viuificans ex lucis patentis radio, & purissimo & limpidissimo Spiritu Emphyreo primitus ortus, atq; ante omnia creatus.

Nam hac praua eorum imaginatione omnipotentiam diuinam vnus & vnica Diuinitatis diminuere non erubescunt, qui teste Apostolo, *vt omnia in omnibus, & quicquid vult, facit in cœlis & in terra:* neq; est hominis iudicare, an facta eius sint bona vel mala: nec ideo mala, quoniā patienti, mala esse videntur. Nam licet omnium peccatorum pessimum sit infidelitas, vtpote quæ non aliter damnat, quam Fides saluare dicitur; tamen *Deus noster* (teste Apostolo) *conclusit omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.*

At vero hoc fecit Deus primum in proprietate sua negatiua, mediante eius ministro; principe tenebrarum, scilicet, vnde sic loquitur Paulus, *Ambulatis secundum Principem potestatis aeris, Spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiae.* Hinc inde arguens Apostolus quod proprietatis negatiuæ effectus, virtute illius positiuæ seu gratiæ, tandem sint auferendi.

Nec sufficit mortalibus suo more dicere hoc esse contra Paginæ sanctæ doctrinam: obiicientibus: cur admonitionibus diuinis, iubeamur fidem amplecti, si Deus omnia incredulitate concluderit? Quid possumus nos contra Deum? aut cur nos iubet Deus vnum facere, cum ipse aliud facit in nobis? Nonne expressis verbis contradicit huic Pagina sacra? Quibus respondere videtur Apostolus, admiratione quasi raptus, dicendo: *O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius! & imperuestigabiles via eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Aut, quis prior dedit illi? Et retribuetur ei: Quoniam per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

CAPVT VII.

Quomodo Deus in proprietate sua absolute latente, & contractiua, ad suam voluntatem priuatiuam complendam operari soleat.

MOnadem autem sacrosanctam in proprietate sua occulta, potentiam suam tam ante mundi creationem, quam in ipsius fabrica, & post fabricæ eiusdem complementum exercuisse, & assidue in hunc diem exercere dicimus. Nam ante mundi æuum dictum est à Mose, *Tenebras fuisse super faciem abyssi: & Hermes dicit: Umbra infinita erat in abyssu:* at necesse erat quod informis ista materia esset tenebrosa admodum & ultra tenebrarum palpabilium Ægypti rationem: ob dominium frigoris in ea; utpote, cuius est condensare. Lux enim caliditatis parens nondum à Monadis potentia effulsi: cuius rei rationem reddere videtur Hermes: quoniam licet Monas ab æternitate generasset Monadem proprietate emissionis: tamen iterum reflexit & contraxit in se ardorem suum per proprietatem tertiam, atque ita omnia sunt tenebris obuoluta, & consequenter pro nihilo habetur. Quare ait Iob. *Aquilonem extendit super inane, & suspendit terram super nihilum.* ubi per inane & nihilum intellexit materiam informem, ita dictam, quoniam nulla lucis presentia informatur; at formæ solius est dare nomen & esse. Et hoc idem innuere videtur Salomon, ubi sic loquitur: *Manus Omnipotentis mundum ex materia informi effecit;* ubi per materiam informem intelligere ipsum Chaos seu massam rudem atque indigestam videtur; quæ Moses *terram inanem & vacuam;* hoc est tenebrarum congeriem radiis diuinis destitutam, presentibus quibus omne plenum & bonum tum postea erat dictitatum. In tali ergo statu manebat materia potentialis, dum Monas in se ipsa occultata, formæ essentiam & actum in se reservauit; Quare dicta est ista materia in potentia & non actu diuino existere & consequenter plane nihil. Atque ob istam rationem scriptum est, ipsum Deum, mundum ex nihilo procreasse. Et quamuis Aristoteles asserere videatur quod *ex nihilo, nihil fit:* tamen in hoc non omnino paginæ sacræ contradicit: nam verissima est eius assertio, si de absolute *Nihil,* intelligatur: Nam ut ipse recte ait, *Frustra fit illa potentia, quæ nunquam reducitur in actum.* Sed hoc *ἦν* seu *Nihil* est respectiue sic dictum: videlicet quatenus forma adhuc lucida minime erat prædita: & ob illam rationem omnino destituta: at vero postquam Lux Monadis dilatatione effulsisset, aquarum protinus specie, materia illa, olim informis, est imbuta: unde dictum est, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Denique, cum Deus in creaturis, & per creaturas videtur & cognoscitur, ut Pagina sancta docet, ita quidem proprietatis ipsius utriusque naturam per effectum cognoscere, atque intueri solemus. At vero percipimus frigora caloris absentia, materiæ prædominari; ipsaque facultate contractiua operari, & constringendo incrassare, & incrassando, ipsa pellucida reddere opaca & tenebrosa. Iterumque caloris effectum sequi lucis & solis presentiam cernimus, cuius est mouere, & motione, calores excitare, & mediatione calorum, res densas, subtiles, dilatando reddere: tenebras subtiliando fugare, resque obscuras & caligine obductas, pellucidas & claras efficere.

Quibus euidenter liquet, quod hac ratione, videlicet, ab effectu, seu à posteriori, naturas proprietatum Monadis originales, quæ à priori sunt operatæ, colligere, & de eis iudicare non erit impossibile, cum nihil nascitur vel operatur in mundo, quod Monas ista radicalis non perficit, mediantibus binis prædictis suis proprietatibus, quarum effectus sunt rarum & densum, calidum & frigidum, lucidum & opacum, actio & passio, mas & femina; & denique omnia, quæ mundus habet: Quare ab Apostolo haud inconsulte est dictum: *Deum omnia operari in omnibus: & quod Deus sit omnia, & in omni: & quod ex eo, per eum, & in eo sint omnia.*

Cognita

Iob. 26.

Sap. II. 17.

Cognita iam proprietate Dei occulta ante opera sua, & tenebrarum primariarum ratione pro exili ingenij mei imbecillis capacitate, ex consequentia & effectu sic collecta; ad testimonia literarum sanctarum refugium habebimus; quibus proprietatis Dei occultæ & contractiux dispositionem, in actu & momento Creationis, clarius explicemus, vt etiam & ea quæ antea sunt à nobis relata, intellectu magis lucido vobis innotescant.

Percipiemus ergo intuitu paulo acutiori, quod ista duo Extrema ab vnico quasi puncto Centrali egressa, in primario Creationis mundanæ actu compauerint, & quod eorum actione & passione violenta; tertium, videlicet nuda natura humida sit modo & ratione mirabili in lucē producta; quæ natura humida seu aquea erat fundamentum materiale fabricæ vniuersalis quæ cōsistit ex Cœlo & Terra. Nam teste D. Petro, *Cœli erant prius, & Terra ex aquis, & per aquas, assistente Verbo.* Quare aquæ erant fundamenta totius, postquã lucis præsentia essent ex Chaos tenebroso vtero in lucem editæ: ante quod tempus, non Aquæ, sed materia informis sunt vocatæ. Hinc dicit Iob: *Reuelat fundamenta tenebris, & educit in lucem umbram lethalem.* Et Hermes ait: *Erat umbra infinita in abyssu aqua in super & Spiritus tenuis intellectualis per diuinam potentiam inerat in Chao: floruit autem splendor sanctus qui sub arena humidam naturam deduxit.* Et in alio loco sic. *Mutauit Pimander formam* (hoc est occultam & priuatiam suam dispositionem) *in patentem & manifestam, quo factò, vniuersa subito reuelauit. Cerebram enim* (inquit) *immensum quoddam spectaculum, omnia videlicet, in lumen conuersa, suauē nimium atque iucundum: paulo post, umbra quædam horrenda obliqua reuolutione subterlabatur; in humidamque naturam migrabat, &c.* Quibus obseruare fas est in primis, quod occulta Pimandri, seu Mentis diuinæ natura fuisset in illam manifestam & lucidam mutata; & tum postea, quod lucis diuinæ apparitione seu emanatione, tam Pimandri abstrusi rugurium tenebrosum, videlicet, umbra horrenda, seu tenebræ squalidæ & deformes; quam Tabernaculum illud manifestum, videlicet, Lux iucundissima omnia reuelans: ac denique natura humida tenebrarum repercussione fuerint patefactæ: imo vero & contrarij inter lucem & tenebras actus, hinc inde luculenter explicantur; idque in instante creationis totius fabricæ mundanæ.

Iam vero restat, vt ad proprietatis istius occultæ naturam & conditionem explicandam propius accedamus, eamque in simplici sua dispositione, prout tam maiori in mundo ab eiusdē creatione, quam in minori, omni hora & momento se exercet, verba faciamus per pauca.

In primis ergo scriptum est, *tenebras à luce fuisse diuisas*: vnde tum postea tam nox quam dies in orbe terrarum sunt à Creatore ordinatæ; quarum, illa est lucis priuatio, hæc tenebrarum abolitio, & Deus vnicus ad diuersum vtriusq; proprietatis effectū operatur. Quando ipse se occultat, tum tenebræ dicuntur habere dominium; quando vero dilatat atq; manifestat se, tunc Lux tenebris præualere solet. *Tenebras* (inquit pagina sancta) *Deus posuit latibulum suum.* Sic etiam ipse expandit quandoque nubem densam & tenebrosam pro tegumento: imo vero ipse Iehoua dixit, *se habitare sub caligine.* Nonne etiam virtute istius proprietatis occultæ cōtractiux Ægyptiis producta est triduana tenebrarum palpabilium pœna? & *tenebræ factæ super vniuersam terram vsque ad horam nonam à sexta?* Nonne etiam mediante hac, tenebræ inter Israellem & Ægyptios sunt positæ? & Abram inuasit tenebrosus horror? Nonne quandoque contractiua istiusmodi virtute nubes nigerrimæ in aere, ita plerumq; procreantur, vt tota terræ superficies caligine deformari atque obscurari videatur? Imo vero proprietate ista sua hæc fecit ipse Deus; de quo sic loquitur Dauid: *Tu tenebras posuisti, & facta est nox.* Nonne ipsum aerem in gelu durum & opacum virtute facultatis istius frigidæ & contractiux mutari animaduertimus? *Gelu suum* (inquit Psalmista Regius) *tanquam frustra deiicit; niues emittit sicut lanam, & pruinas*

quasi cineres dispergit: coram frigore eius quis resistit? Et Iob ait: *Glaciem Deus fortis edit flatu suo: flante Deo concrevit gelu.* Quibus indicatur stiptica & coagulatiua frigoris (Tenebrarum filia) potestas; mediante diuinæ proprietatis congelatiuæ & constrictiuæ afflatu frigidus, qui actum caliditatis fluentem sistere solet: vt & vice versa caliditatis actus à verbo lucido seu proprietate positiua & dilatante ortus proprietatis constrictiuæ opera destruere solet: vnde sequitur in eodem Psalmistæ Textu; *Emittens vero verbum suum, liquefacit ista; simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ, &c.* ac si dixisset; quod idem Deus in flatu suo frigidus, in occulta & contractiua sua facultate constringit aerem tenuem, & transparentem in densam niuem minime transparentem, & in gelu, glaciem atque pruinas spissas ac minime fluidas, sed permanentes & immobiles: at iterum flatu suo calido, in manifesta & dilatante atque rarefactiua sua proprietate, massas illas minime fluidas, sed quasi fixas dissoluit; liquefacit, fluidas & mobiles reddit, atque iterum eas rarefaciendo, transparentes efficit. His ergo videtis effectus Dei latentis in mundo maiori. Quales etiam sunt eius in mundo minori actus atque eorum effectus, nobis in hunc modum depingunt atque assignant sacra Biblia: *Tenebrosus horror* (inquit Genesis) *inuasit Abram, &c.* ac si quis diceret: Spiritum Abræ caligine & obscuritate horribili obduxit Deus, vnde pauore concussus manebat haud exiguo. Porro etiam quod tenebræ radicaliter homini sint insitæ; ex his verbis est manifestum: *Tenebras meas tu illuminabis.* Et alibi dictum est. *Tenebras ponam coram eis in lucem.* Et alibi. *Tenebras per diem incurrent astuti, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* Præterea tenebras humanas sic explicare visus est Euangelista: *In tenebris ambulans, nescit quo vadat. In tenebris est, & in tenebris ambulat qui odit fratrem.* Et Apostolus ait: *Tenebræ aliquando eratis, nunc lux in Domino.* Quo sermone transitum arguit ab vna proprietate diuina in aliam, à termino videlicet, seueritatis & perditionis, ad illum misericordiæ & saluationis; nam qui nolunt mandatis Dei lucis obedire, à tenebris seu Dei latentis proprietate affligentur. Nam scriptum inuenimus quod *Tenebræ persequentur inimicos Dei.* At Tenebræ non aliter mortis & morborum causam esse, quam Lucem vitæ beneficam cernimus. Vnde dixit Iob: *Ob tenebras imminentes non perij, nec faciem meam caligo operuit.* Et certe, si rem paulo rectiore intuitu consideremus, videbimus quidem, quod vt mundus in sua compositione, tam tenebrarum vestigia habet quam lucis, vt-pote qui ex terra & cælo conflatus; Ita quidem ipse homo, qui est *imago & filius mundi*, vt Hermes dicit, sua fruitur terra quam Corpus vocamus; suumque habet cælum quod est eius Anima seu internum. Quare non est mirum, si homo carnalibus affectionibus deditus, tenebris immergatur, & proprietati priuatiuæ Dei latentis adhæreat: Si cælum lucidum (Dei patentis sedem) negligendo, totas suas delicias & gaudia terræ opacæ atque tenebræ committat atque ita viam perditionis & mortis capescendo, semitas vitæ & salutis relinquit. Hoc quidem videtur hisce verbis confirmare Sapiens: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, &c.* His igitur bene consideratis, videmus oculis apertis, nos atque opera nostra in manu Dei esse, qui facit cum nobis quicquid vult; videlicet, vel caligine sua & tenebris nostrum sensum atque rationem obfuscando, per proprietatem eis occultam, vt nos in tenebris ambulantes, in meridie quasi cæci palpemus; vel lucem faciei suæ beneuole emittendo, nos in semitis suis bonis, illuminatione facta conducat. Nonne etiam videtur ipse Iob, hoc idem plano enarrare sermone? *En* (inquit) *destruit, vt non aedificetur, occludit viro, ita vt non aperiatur: apud illum est robur & potentia, eius est errans, & in errorem inducens; qui facit vt consulti deueniant in dementiam, & Iudices, stultos reddit & validissimos peruertit; qui auget gentes & perdit eas, qui amouet animum prioribus terræ, qui facit vt errent tanquam ebrij, palpent in tenebris, deficiente luce, &c.*

His

His ergo quam luculentissime explicantur vtriusque proprietatis diuinæ effectus: quarum vna in errorem ducit, & in semitas mortis dirigit; alia, viam rectam, lucerna diuina dirigente, indicat; & in veritate instruit. Nonne etiam clare explicauit hoc Psalmista Regius, sic loquendo: *Omnes creaturae habent à Deo expectationem; Deo dante ipsis, colligunt, emittente spiritum suum recreantur atque satiantur bono; abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum ipsorum, expirant.* At Iob specialiter ad ipsum hominem conuertit hunc eundem sermonem, sic loquendo: *Hominem constituit Deus super terram, apponens ad eum animam suam; si spiritum seu flatum seu animam eius ad se reciperet vel traheret, deficeret seu expiraret omnis caro simul, & homo in cinerem conuertetur, &c.*

Sermonibus quibus docemur primum, quod omnis vita sit à Deo lucido qui emittit cuilibet creaturæ spiritum suum viuificum, per proprietatem suam positiuam & lucidam: at vero contractione vitæ earum lucidæ in se, per proprietatem priuatiuam, subito deficiunt & moriuntur; & sola occultatione faciei suæ à creatura, perturbatur confestim spiritu, atque ægrotare perseuerat vsque ad mortem, nisi Deus eius misereatur, & iterum radio vitæ & sanitatis beneuolo eum respiciat. Denique in pluribus paginæ sacrae locis reperimus, quod vitam faciat & det Deus creaturæ per bonitatis suæ emissionem, atque mortem, per illius contractionem in se. Hinc etiam bonum & malum, sanitas & morbus, generatio & corruptio, & in vtroque mundo omnia tam positiuam quam priuatiuam; imo vero & omnia, atque in omnibus hisce suis proprietatibus, videlicet, aut dando, aut auferendo, facit in cœlis atque in terris; & nemo est eum interrogaturus, *Quare fecisti? Et tamen à Deo absit impietas, & ab omnipotente iniquitas: utpote cuius est proprietas in ira seu noluntate, indignari, & in beneuolentia seu voluntate viuificare.* Nam ille solus est qui vitæ & mortis habet potestatem. Ego (inquit ille) occidam & viuere faciam, vulnerabo & medebor, percutiam & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere. Si Deus (inquit Iob) omnia subuertat, & in vnum coarctauerit, quis ei contradicet? aut quis dicere potest, Cur ita facis? At nonnunquam ipsum, contractiuam suam proprietate, videlicet lucem faciei auferendo, operari, peccata puniendi causa cernimus. Nam (inquit Propheta) *Deo suo maledicens & non credens in verbo eius, suspiciet sursum, terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebra, dissolutio & angustia, caligo persequens, à qua non poterit auolare.* Et Apostolus ait, *Deus huius seculi excacat infidelium mentes, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, &c.* Vnde liquet, quod sint tam spirituales quam corporeæ & palpabiles tenebræ, quibus Deus tam spiritum internum quam externum obtenebrare solet. Quandoq; malo afficit iustum tentandi gratia, uti viro iusto Iob accidit: nonnunquam corda hominum obdurat, & peccare facit, ut potestatem in eos exercendo; honorem, gloriam & omnipotentiam Mundo enarraret, ut ita notabilis fiat vniuersis gentibus super terram. Atque hoc accidebat Pharaoni, vnde factum erat, ut timor Dei Israelitarum esset in reuerentia, & æstimatione apud omnes gentes. Nam potestatis immensæ Dei Israelitarum metu percussæ sunt nationes. Sed & infinitæ sunt aliæ operum diuinorum, siue ad mortem & morbum, siue vitam & sanitatem tendentium rationes occultæ, quas inquirere aut perscrutari nõ modo vanissimum, verum etiam stultitia & temeritas extremam olfaciens demerentiam foret, si ad verba Apostoli hæc attendamus: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & imperuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit.* Sufficiet ergo mortalibus creatis, creatorem causam operum eius ideo ipsis occultasse finalem; quoniam consilia sua sunt tam occulta; quam est
 ipsius Essentia.

CAP. VIII.

In quo proprietatis Dei manifeste & lucide in absoluta sua natura effectus tam in Macro-quam in Microcosmo luculenter explicantur.

Iob. 8.
Ioan. 1. 17.
Ioan. 1. 8.
Icor. 14.
1. Cor. 4.
Matth. 6.
Luc. 15.
Matth. 9.

Iacob. 3.

Sap. 7.

Iob. 12.
Iob. 26. 13.
M. Trif.
Pimand. 3.
Isai. 4.
Psalm. 147.
4. Esd. 16.
Amos 5.
Iob. 38.
Psalm. 19. 1.
3. Esd. 4.
Iob. 28. 25.
Iob. 26. 9.
Psalm. 77.
Ier. 51.
Iob. 38.
Psalm. 89. 9.
Genes. 1.
Sap. 9.
Iud. 16.
Actor. 17.
1. Corinth. 12.
2. Corinth. 5.
Ephes. 4. 6.

1. Timoth. 5.

MONAS, seu Vnum sacrosanctum aliter longe se habet in proprietate sua hac manifesta & patente seu lucida, quam illa latente & occulta: namque ut in ista creat, facit, illuminat, format, viuificat, & omne quod bonum dicitur, mediante sua Sapiencia præstare solet; Ita quidem in illa priuat, destruit atque deficit, obtenebrat, mortificat, & deformat: Quare ob effectus suos bonos, ista, à literis sanctis dicitur, *Gratia & Veritas; Lux mundi & Lumen, Pax, Dilectio, seu amor & charitas; Iustitia, Misericordia, Vita, Salus, Bonitas, Pulchritudo, & aliis variis appellationibus bonos eius effectus sequentibus, nominatur. Cū vero illa vice versa ab effectibus suis malis dicitur; Falsitas, mundi tenebra, dissensio & contentio, odium & inuidia, iniustitia, impietas atque crudelitas, mors, infirmitas, malitia, turpitudine seu deformitas, & aliis variis appellationibus, malos eius effectus sequentibus, nominatur: vnde liquet, quod ut harum proprietatum quælibet per quandam sapientiam, suos soleat producere effectus; ita quidem differentiam facit Apostolus inter vnā & aliam sapientiam in hunc modum. Sapiencia (inquit) contradicens veritati non est desursum descendens à Patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica: Illa vero quæ desursum est, primura quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine emulatione. Talis erat illa quam Sapiens vocauit vaporem virtutis Dei; atque emanationem claritatis Omnipotentis, candoremque lucis æternæ: & speculum sine macula Maiestatis Dei, & Imaginem bonitatis illius; mediante qua, hoc est, in proprietate sua positua & patente, reuelauit Monas diuina & radicalis fundamenta mundi è tenebris, & eduxit in lucem, vmbra horrendam; Aquilonem extendit super inane & vacuum, appenditque terram super nihilum. nam floruit splendor hic sanctus tenebrosusque sub arena & humida natura deduxit. Leuia in excelsam regionem prouolarunt, grauiaque sub arena humida resederunt; ita vt distincta librataque natura humida more symphonico spirituque lucido & igneo, in numero, pondere & mensura recta atque disposita. imprimis factum est cælum & terra; & tum postea ipsum cælum virtute spiritus istius lucida, stellis ornauit infinitis, earum multitudinem numerauit, eisque nomina destinauit propria, Arcturo & Orioni, cæterisque locos assignauit fixos, suaves concessit micantibus Pleiadibus influentias. Solem ordinauit more sponsi, vt procederet de thalamo, qui in motu suo exultauit vt Gigas ad currendam viam. Conuertit etiam vniuersum cælum in gyro in locum suum vno die: aptat pondus aeri, & appendit aquas mensura; nam ligat eas in densis nubibus, vt non findantur sub eis: facitque pluuiæ statuta, & viam fulgetro tonitruum: quippe qui de cælo tonat, & edit vocem suam; educit ventos è thesauris suis; conclusit mare ostiis; elationesque in eo mirabiles facit, fluctuumque ipsius motum pro placito mitigat: efficit vt terra proferat herbam semen & fructum ex vna parte; & iumenta, reptilia & bestias ex altera. Denique hac Sapiencia sua constituit hominem vt dominaretur omni creatura. Hæc (inquam) omnia, dicendo sunt facta, & emittendo spiritum suum, sunt creata; mediante quo, dedit omnibus vitam & inspirationem & omnia, quæ ob istam causam dicuntur in Deo viuere, in Deo moueri & in eo esse. Quare dictum est, Deum operari omnia in omnibus, & quod de eo sunt omnia ipso nihilominus vno permanente; quippe, qui est Pater omnium, quatenus omnia ipse viuificat, qui super omnia, & in omnibus; ex quo, per quem, & in quo sunt omnia.*

De misericordia vero huius proprietatis benignæ erga genus humanum, nunquam satis mūdo enarrare, aut eam laudibus sufficienter celebrare possumus

mus

mus, quippe qui eam ad sanctam sui ipsius imaginem efformauit; & tam cœlum quam terram ei non aliter quam mundo assignauit. Nam eius externum ex purissima terræ portione effinxit, & argillaceam quasi figuram delineauit, quam sicut lac, effundendo, & sicut caseum coagulando, cute & carne induendo, ossibus & neruis texendo, vita tandem ex sua benignitate ornauit. Nam Adæ internum spiraculo suo viuificauit, illudq; intelligere, & ratione imbui ordinauit, ac æterno mentis radio illustrauit, atque ita tandem hominem ad sui ipsius simulachrum benignitate creauit, formauit, atque effecit.

Nec solum ad nobilissimæ huius creaturæ procreationem, extendit lux ista diuina, seu Emanatio sacrosancta benignitatem suam, verum etiam, vt in suo bene esse conseruaretur & contineretur: hoc est, vt vita & sanitate esset prædita, prouidere voluit; iuxta illud Prophetę in persona Dei: *Ego ad senectam usque, ego ipse & usque ad canos, ego portabo, ego feci: ego feram, ego portabo, & saluabo.* Atque hinc erat, quod Rex David ait, *à Deo esse ipsam salutem:* afirmando, eum quem Iohoua in tuto collocauerit, in pace cubiturum & dormiturum: quare ipsum Iehouam agnoscit esse suam lucem & salutem; & robur vitæ suæ; quoniam penes eum est fons vitæ, quippe in torrente deliciarum cuius, bibendum dat filiis hominum. Fatetur ergo Iohoua, idque ingenue, vitæ prolongationem esse Dei benignitatem: utpote cuius visitatio præseruauit spiritum suum. Ob istam rationem Propheta ille Regius, Deum istum beneuolum, Solem vocat gratiam & gloriam dantem. Quare alibi dicit: *Lucem faciei tuæ attolle super nos, & efficiet vt videamus bonum.* Et alibi; *Si tu illustres lucernam meam Iehoua Deus meus, splendentes efficiet tenebras meas.* Et alibi: *Lucent facies tua super seruum tuum: serua me benignitate tua.* Et alibi: *In luce Iehouæ, videbimus lumen.* Denique certissimum est quod Deus solus, in positiua hac sua proprietate, saluat homines de omnibus malis & tribulationibus, & non vult perire animam: quoniam ipse in hac sua dispositione est graciosus, misericors, longanimis, & magnus benignitate, bonus in omnibus, & misericordia eius in omnibus operibus suis.

Quibus apparet euidenter, quam contraria sit proprietas ista positiua, in simplicitate suæ naturæ ab illa priuatiua; & quam creaturis omnibus, & præcipue vitæ generis humani gratiosa atq; amabilis; utpote quæ cum sit Dei lucidi seu Verbi diuini virtus, creaturas quasi lucis filios seu propaginem, non persequi, sed potius beneuolentia & salute prosequi videtur in hac vita, promittitq; hominibus resurrectionem infallibilem & vitam æternam post mortem temporaneam.

C A P. I X.

In quo docetur, quomodo effectus proprietatis Dei vtriusque simul iunctę in Macrocosmo, ratione suę materię tenebrose & formę lucide deprehendantur.

VT Deus in creationis initio aquas è Chao, seu abyssi tenebrose vtero, virtute suæ lucidæ emanationis creauit, & è luce produxit: ita quidem mundi vniuersi naturam passiuam seu materialem, ex humido istiusmodi subiecto effecit, videlicet, ipsos cœlos atq; terram, vt Apostolus Petrus fatetur, ex quibus duobus, tanquam ex raro & spisso constat vniuersum.

Quomodo autem natura ista humida vel aquea est facta; sic breuiter accipiatis velim: nec enim aquæ nomen sibi vindicare potuit, ante eius è Chao tenebroso partum; nec etiam propter solam claritatis æternæ emanationem aqueam induebat materia illa formam, sed propter eius participationem de vtroque extremo: quem quidem amoris sempiterni nexum seu copulam produxit

duxit proprietates tertia, à duabus primis parta atque egressa, videlicet, spiritu Sapientiae sancto, minime natura essentialis à prioribus differente, quatenus sunt omnes non nisi vnica & eadem atque indiuidua Diuinitas. Subiectum ergo aquarum ex tenebrosa congerie emerfit; forma vero eius, mediante qua, factum est in formam aquarum, ex emanationis lucidæ sinu est profecta: Ratio vero vnionis consistit in spiritu igneo, qui ideo dictus est ferri super aquas, igneum eis vigorem impertiens. Causa vero consistentiæ naturæ humidæ est huiusmodi: non enim erat Materia hæc humida, dum in Hylæ ventre erat; quippe quæ frigore stiptico abundabat, vnde erant quasi Massa frigore congelata; & quietis legi obligata; nec reuera frigus nomen suum obtinuit ante manifestationem caliditatis, è gremio extremi lucidi exilientis; neque caliditas nomen & esse habuit, ante frigiditatis manifestationem: quoniam nec frigiditas dici potuit, nisi quatenus actui caliditatis oppositissima inueniretur, nec caliditas nisi in eo, quod frigiditatis naturæ agendo vehementer resisteret. Quoniam vt agens minime considerari potest, nisi respectu cuiusdam patientis, in quod agit, ita quidem è regione, nec patientis dici solet, nisi agens aliquod necessario præsupponatur. His ergo bene contemplatis, nec in vno extremo reperienda est humiditas, vtpote, quæ à natura actione & passione quæ inter frigiditatem & caliditatem facta est, producitur, & consequenter, nec sicca dici possunt Extrema, nisi respectu humiditatis. Nam siccitas nihil aliud est quam humiditatis absentia, vt & vice versa humiditas est nihil aliud quam siccitatis ablatio. Siccitas ergo est nihil aliud, quam humiditatis iam creatæ absentia, vt & humiditas, siccitatis: vnde certum est, quod ante lucis apparitionem, materia informis, ex qua tum postea mundus erat fabricatus, esse nec frigida nec calida, nec humida, nec sicca, sed in sola potentia ad hæc omnia, quare nomine *Nihili* nuncupatur.

Sapient. 7.

Pimand. 1.

Humiditas ergo est qualitas participans de vtroque extremo, quare est effectus medius actionis & passionis eorum: quemadmodum obseruamus in regione Elementari, quod Natura seu Sphæra humiditatis, ex aqua densa & rara, videlicet marina, & aere compacta sit inter opacum terræ globum & lucidam ignis sphæram interposita; & quod densior eiusdem portio, orbi tenebroso, vtpote, frigiditatis fonti proxima, vt & tenuior ipsius pars sphære Lucis seu Ignis, quatenus caliditatis origini propinquior situm suum habet. Eadem etiam erat ratio, in productione naturæ vniuersalis humidæ, in creatione prima. Nam *Emanatione sancta* semel facta; suo motu, omni motu mobiliori & velociori, caliditas excitatur in massam primitus tenebrosam seu materiam informem, & olim quiescentem agens, cuius actione simul, atque motu, & radiorum lucidorum penetratione, tenebræ, olim immobiles, iam impulsu lucis obliqua reuolutione, deorsum tendunt; & frigiditas ex eius visceribus iam reuelata, suæ stupidæ conditionis natiuæ iam oblita; summopere caliditatis insultibus resistere, & quietem suæ informis materiæ perturbatam recuperare appetens, calori resistendo reagere videretur & ex suo tenebroso fonte exiliens, cum materia sua deformi & quasi sicca & congelata bellum facit contra calidos lucis persequentes partus: vnde factum est, quod in communi medio natura illa sicca frigidam naturam reagentem vehens, caloris actione, cuius est congelata dissoluere, humectatur & in naturam humidam reducitur; atque propulsatis tenebris ad Centrum (quod est locus à circumferentia, in quo mouebatur lux, remotior) in tali forma vel rariore vel densiore, secundum maius vel minus lucis & caloris in ea prædominium; vniuersum implet mundum sua resistantia: ita vt forma lucida quæ ei inest, eam retinet in sua dispositione humida æternam, ipsamque prohibet ne in obscuram & deformem illam hylæ seu *C H A O S* matricem reuertatur. Nam materia

teria

teria hæc hyle genita, quatenus in quiete & obscuritate erat ab æternitate nutrita, semper est in sua natura ad appetitus tenebrosos proclivis & prona; semper quietem respiciens: hinc ergo est, quod Materia in sua conditione, quo magis est opaca & forma lucida destituta, eo magis ad actus & opera tenebrarum est dedita; vnde in causa est, quod ille mentis radius à Sapiencia diuina hominibus concessus facillime, mediante corpore opaco & spiritu aereo tali, in errorem tenebrarum seducitur: & quasi occæcatus, non discernit ea quæ sunt bona, atque ita illuditur à Principe aeris, seu istius mundi, vt Apostolus eum vocat. Atque hæc erat causa, quod Sapiens in istiusmodi verba erumperet: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio de-* Sapient. 9.15.
primit sensum multa cogitantem; & difficile æstimamus qua in terra sunt, & qua in conspectu sunt inuenimus cum labore, qua in cælis sunt, quis inuestigabit? sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam? &c. Quibus intimare videtur, quod Materia grossa tenebris submersa, sit causa erroris materiæ subtilis pauca luce illuminatæ, atque ita lucem cum spiritu inclusam à veritate in falsitatem seducit. Quare videmus ex hisce, quam proclivis sit materia suæ matri deformi adhærere, & se iterum à lucis filio in illum tenebrarum conuertere; cum nulla sit veritas, quæ non est à Deo lucido qui est ipsa veritas; nec falsitas & falsum simulachrum quod non est à tenebris; cuius subiectum opacum licet videatur tale esse quale videtur, esse tamen videtur, cum reuera minime per se & in se existit. Quare concludit Hermes, *Mundum non esse bonum nisi participatione cum bonitate diuina; vtpote cuius materia nihil est per se nisi rudis indigestaque congeries, quod si formetur, à Deo certe formatur.* Piman. 12.
 Quare ait Mundi spiritum non esse, quando natus non erat, sed in eo iam tunc erat, vnde nasci habuit, videlicet, in Deo & à Deo omnia illuminante & viuificante. Vt ergo materia humida mundana, à Chao, tanquam matre, erat orta tenebroso, quod deformitatem & turpitudinem innuit: ita obstetricante ei natura lucida à sua deformitate & turpitudine in creaturam speciosam & pulchram est mutata; nec tamen aliquid in se & per se bonitatis sibi acquirere potest, vtpote à mala & leprosa matre orta, sed omnem suam bonitatem à fonte lucido acquirit; vnde videtur esse in se, ad malitiam & malignitatem prona; licet eius appetitus quandoque temperatur, & in melius transmutatatur à sua forma lucida. Hinc dicit Hermes, quod sic: *Materia qualitatis bona est fœcunda; sic & malignitatis eadem est aequæ fœcunda.* Asclep. 7.
 Ob istam igitur compositionis creaturarum portionem, vix in vniuerso Naturæ amplexu inuenitur quid complete perfectum & bonum. Imo vero in *ipsis Sanctis & Angelis non est completa stabilitas, & Cælites non sunt mundi in oculis creatoris,* multo minus perfectione absoluta imbuuntur stellæ, vtcumque lumine florescere videantur. Iob. 15.
Iob. 52.
 Quid ergo magis censendum de homine, creaturarum subluñarium principe? quem respectu tenebrarum suarum, & portionis suæ materialis peruerfitatis abominabilem & contemptibilem (vtpote *aquam iniquitatis imbibentem*) vocauit Iob. Et tamen respectu radiorum mentis diuinæ in ipso narrauit Psalmista Regius, ipsum *Angelis paulo esse minorem,* quatenus gloria & decore adornatur ipse: quare dictus est respectu istius ornamenti, *Imago Dei.* Dicimus ergo, quod si materia cœlestis creaturæ, exuberat luce sacrosancta, materia illa suæ originis tenebræ oblita, dirigit omnes suos appetitus ad lucis diuinæ mysteria contemplanda: ita vt in magnetico hoc statu tantum diuinitatis lucidæ ad se attrahere assolet, vt in naturam diuinam transferatur, atque æternam. At vero si Materiæ dispositio superet illam formæ lucidæ, eo magis tabescit, & in naturam suam primariam tenebrarum appetitu contraio retrogreditur, quo magis diminuitur in ea Lux. Iob. 15.
 Nam quo debilior est Lux viuifica in materia; eo magis exuberant

berant in ea tenebrarum deformium leges, & consequenter, malo, vitio, & errori est magis proclivis: quo vero fortius in materiam habet dominium, eo magis eleuat materiam mortuam, noua quasi resurrectione, ad Deum, ita vt ipsius Diuinitatis lucidæ faciem more Angelico intueri queat.

Hinc ergo Angelorum & animarum sanctarum beatitudo, quippe qui ex subtilissima materia conflati; & Nectare lucido inebriati, sursum à tenebrarum voragine, lucis patriam versus, rapiuntur. Hinc astrorum atque cœlestium incorruptibilitas, vtpote quorum substantia formalis fortiori & maiori lucis informantis portione gubernatur: ita vt ipsa ad mortis seu interitus & corruptionis metam minime respiciens, ad vitæ sempiternæ regnum aspirare gestit; cum vice versa creaturæ mundi elementaris corruptioni & mortalitati sunt obnoxia, quoniam maior inest eis materiæ, quam lucis diuinæ proportio: quare, appetitu suo originali ad priuationem seu corruptionem tendit, & modo ad generationem & vitam nouam properat forma, ita vt in hac regione semper est materia in motu ad alterationes & mutationes. Et ob istam rationem dictus est *tenebrarum Princeps, ipsius aeris & mundi inferioris Princeps; secundum vias cuius dicuntur illi ambulare, qui sunt mortificati in peccato: vnde & filij tenebrarum appellatur ipsi, qui non sunt illuminati, quorum est, non contendere contra principalitates, contra potestates, contra gubernatores, principes tenebrarum huius mundi, qui sunt in altis locis; vt sancti & electi solent, sed potius venerantur & in summa habent æstimatione, quoniam hi tenebris occæcati, malum pro bono, tenebras pro luce, & amarum pro dulci accipiunt; iuxta Prophetæ dictum, atque ita inscij se vltro in mortis voraginem præcipitant.*

Ephes. 2. 1.

Esa. 5.

Ex his ergo videmus, quod Materia in se, nobis lucis filiis, mala est, & leprositare materna taliter infecta, vt nisi lucis viuificæ virtute corrigatur, in deforme suum principium & in nihilum reduci est prona.

Hanc autem lucis viuificæ in materia mundi humida proportionem, optime delineant nostræ *pyramides*, videlicet formalis suæ materiali adoptata, & materialis suæ formali proportionata: quas (quamuis monachus ille Marinus Mersennus malitia & falsitate magis, quam veritatis radio munitus tanta profanitate deridere videtur) inuenietis vos paulo accuratio-ri inspectione integram rerum naturam luculenter detegere; cum ipsa Natura mundana nihil aliud sit, quam proportionalis materiæ humidæ ex hylæ voragine præsentia lucis exilientis cum luce informante dispositio. Ex illa ergo Pyramidum nostrarum dispositione, quali proportione forma excedit materiam in regionibus cœlesti & supercœlesti, vnde orta est materiæ earum incorruptibilitas & permanentia maior vel minor; & quanta dimensione congeries materiæ excedit virtutem formalem in regione sublunari; vnde producta est eiusdem mutatio & corruptio, quam clarissime indicatur.

Pim. 14.
Asclep. 7.


Quod etiam Hermes expressis verbis sic verificare videtur: *Deus ferit immortalitatem in cælo, in terram vero mutationem, & mortalitatem, in totum denique mundum vitam & motum.* Inde alibi concludens; *Mundi materiam tam malo & malignitate esse fecundam, quam bonitate.*

Sed priusquam vltius in hoc meo discursu progrediar, operæpretium esse existimo, exemplum vobis clarissimum explicare, tam binariam vnus Monadis Emanationem, videlicet, priuatiam & posituiam, quam earum vnionem ad compositionem vnus secundarij, in similitudinem Monadis primariæ radicalis luculenter demonstrans.

HVIVS

HUIUS DEMONSTRATIO IN PRIMI EMBLE-
matis descriptione explanatur.

EX vno ergo radicali fiunt duo principia mundi; *Lux & Tenebra*. Ex tenebris materia, ex luce, forma mundi sunt ortæ: sine quibus in mundo nihil, & ni-



hil mundus: Ergo duo omnia in mundo; & omnia vnum; quoniam duo non nisi vnum, ex quo, per quod, & in quo omnia: illud autem extra & ante omnia, quippe omnium radix. Ab vno ergo, Tenebræ, à quibus materia, à qua mundi existentia, assistente actu diuino. Ab vno etiam eodem Lux, à qua forma; à qua mundi essentia. Mundus ergo tam tenebrarum subiecto, quàm lucida natura plenus, & voluntatis & noluntatis est plenissimus: & erroris tenebrosi, & veritatis lucidæ est particeps; vitæ & mortis passionibus subiectus, tam malo, quam bono præditus, modo angustias & miseras mortalibus impluens, modo gaudia & felicitatem ipsis afferens. Quibus sat liquido constat, Deum seu Monadem radicalem in vtraque sua proprietate, videlicet, contrahendo se in se, & inde tenebris priuatiuis dominium assignando, vel dilatando se, & bonitatem suam mundo & creaturis præbendo: imo vero & quandoque, partim dilatando, partim contrahendo se simul, & in eodem negotio, uti in *capite sequenti* ex sacrarum literarum testimonio perspicue declarabitur.

E 3.

Hic

Hic autem vos obiter ex prædicta demonstratione intelligere velim; numerorum diuinorum rationem atque proprietatem ex hisce colligi posse, iuxta Cabalistarum intentiones, qui *decem* attribuunt Dei nomina (non ab essentia, sed proprietate desumpta) *decem* suis *Sephirotis* seu *emanationibus diuinis*, ab vnico *Ensofph*, seu infinitudinis fonte emanantibus; quarum alia tendunt ad seueritatem; alia vero ad misericordiam: & quædam cum seueritatem & iudicium; tum clementiam & misericordiam respiciunt, vti *infra* clarius. Hæ (inquam) emanationes decem, simul atq; nomina à proprietate deriuata, à prædicto numero quaternario originem suam sunt sortita: nam si numerum illum quaternarium 0 0 1. 2. 3. 4. simul addas; producent simul iuncti numerum denarium: vnde numerus ille quaternarius, non modo numerum Sephirotarum seu emanationum decem in se comprehendit: sed etiam easdem in se proprietates habet: nam tenebrosa vnitas seueritatem, mortem priuationem, & miseras filiis lucis inducit, vt illa lucis, è regione, clementiam, vitam, positionem: & fœlicitatem atq; læticiam ipsis afferre solet. Deniq; mundus, qui est vnitas quarta: tam de seueritate, quam de misericordia participare solet. Porro etiam numerum continet in se compositionis, videlicet septenarium. Nam si tres illas vnitates post illam radicalem simul addideris; videlicet, 1. 2. 3. efficiunt 6. quibus addita Monade radicali, sine qua cæteri nihil sunt, produces numerum septenarium: ex numero ternario, quasi formali, & quaternario, quasi materia compositum. Deniq; numerum confusionis, seu imperfectum, & illum quemcunq; perfectionis in se comprehendit; & cõsequenter omnem numerum. Nam vltra denarium numerum nulla fieri potest progressio: quoniam omnes qui hunc numerum sequuntur, ex ipso, & illis, qui sub illo continentur digitis, ortum deducunt suum. Est ergo hic numerus *denarius* (vt testatur Hermes) *Anima genitor*, quoniam in eo Vita & Lux vnitæ sunt. *Ibi* inquit, *vnitatis ipsius numeri sunt ex Spiritu nati, atq; vnitas secundum rationem denariam amplectitur, rursusq; denarius vnitatem.* Quibus innuere videtur, animam ex Spiritu seu natura humida limpidissima (qui pro vitæ accipitur subiecto) & luce esse conflata: cuiusmodi dispositionis agnoscunt Platonici esse *Animã mundi*: tam cœlum, quam ipsam terram implentem: quam Cabalista, *Angelum Mitatron* vocant, cuius compositio est ex Spiritu creato, quasi externo, & luce increata, quasi eius interno.

Pimand. 13.

C A P V T X.

In quo Exempla duplicis proprietatis, actum simul in eodem negotio Mundano indicantia: siue sit ad beneficentiam, siue ad maledictionem versatum; ex sacris Scripturis producuntur.

CVM ergo mundus ex vnione naturæ tenebosæ seu materialis: & illius lucidæ, seu formalis, sit conflatus; non est dubitandum, quin mundi ipsius subiectum, sit tam ad tenebras: & consequenter ad ea, quæ à filiis lucis dicuntur mala; quam ad lucem: ex qua, in natura sua simplici, bona & pulchra procedunt, procliue: & consequenter, vtriusq; naturæ & proprietatis diuinæ particeps. Quæ proprietates non aliter versari quandoq; solent circa vnum idemq; in mundo, quam ad mundi existentiam, & in mundi principio, in vnum concurrebant. Hinc Deus Opt. Max. in misericordia sua solebat naturam subtilem, densam reddere, proprietate sua contractiua, & illam densam & congelatam iterum proprietate sua contraria: illa nempe lucida dissoluere, & fluidam (in crassa nihilominus sua consistentia) reddere: quo fructum & nutrimentum creaturis grossis, seu potius magis grossæ & terrestri creaturæ parti, quæ simile requirit, ad suum nutrimentum præbeat. Nam grossa grossis conueniunt,

ueniunt,

ueniunt, & nutriuntur. In hac ergo sua proprietate (aëra inuisibilē contrahendo) obtegit Deus cœlos densis & visibilibus nubibus, quæ comparent terræ pluuiam, quo
faciat, ut proferant montes fœnum, & dent iumentis cibum. Quod autem Deus hoc facit in proprietate contractiua & frigida, in eo confirmatur, quod ipsa densas & nigras nubes faciat tugurium eius: vel ut alibi habetur, vehiculum eius. Quare ob
 istiusmodi illius proprietatem, Deus habitare in caligine dicitur. Sic etiam dicitur, Sapienciam fuisse Israelitis tegumentum, seu nubes densa in die, & lux stellaris in nocte. Deus enim in vtraq; sua proprietate est operatus ad tuitionem Israëli-
 tarum. Ita etiam Iob dicit: *Roris guttas quis genuit? Ex cuius utero egressa est glacies.* Quis sapphiræas nubes effecit sapientia? Et utres cœli quis prosternat? Nonne etiam proprietate sua occulta & contractiua ligauerit aquas in densis nubibus, adeo ut non fundantur? At iterum in sua manifesta & dilatata proprietate, hoc est, aspectu vultus lucidi Iehovæ, aquæ formidarunt, nubesq; aquas exundarunt. Nam Iehova volans super pœnnas ventorum, per proprietatem suam occultam: contrahendo videlicet se in se, & creaturam aëream cum se, posuit tenebras latibulū suum, in circuitu eius, tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris: Et tunc proprietate sua manifesta dilatando se ex se, & radios faciei suæ è tenebris emittendo, præfulgore in conspectu eius, nubes transierunt, & sunt dissolutæ, cribratæ sunt aquæ seu pluuiæ, simul atq; grando, carbones & ignis sunt emissæ. Quibus optime declarari videtur duplex proprietatis diuina in eadem actione: quarum vna densa tenebrosa & congelata contrahendo, nubes videlicet & grandines facit: Altera rarefacit, seu frangit & dissoluit tugurium suum densum: imo vero tam vnita fuit voluntas Dei in proprietate vtraque, ut neq; grando passa est ignis violentiam: nec ignis ad grandinis dissolutionem agere potuit. Nonne etiam obseruamus, quod in eadem nube, condensatione facta, aëris natura in aqua, lapillis & grandinibus sit coacta, atq; contracta? Vt loco antea citato affirmare videtur. Porro etiam alibi declarauit Iob varios proprietatum istarum in eodem subiecto effectus more magis luculento. Ecce (inquit) Deus magnus vincens scientiam nostram; qui aufert stillas pluuiæ & effundit imbres ad instar gurgitum. Et alibi, in mortalium pœna, dicit. En: ita cohibet Deus aquas, ut arecant, & ita emittit eas ut subuertat terram, &c. Atq; has ambas proprietates extendit ipse verbo, quo tam contrahit atq; constringit Monas radicalis non aliter quam per ipsum dilatat & dissoluit: & tamen vnum & idem est illud verbum respectu suæ radicis, licet effectus sit varium. Sic videmus ab vna eademque anima humana, verbū tam negatiuum, & priuatiuum, quā affirmatiuum, & positiuum procedere, & tamen verba hæc vnicum sunt essentia, vtpote ab vnico fonte ambo hausta: non aliter eandem flammam, condensare & subtiliare, indurare & molle facere, destruere, & calore decenti viuificare cernimus: aut vnicum, & eundem vaporem vel in aërem dissipari rarefactione, vel in aquæ guttas, condensatione humida mutari: vel in niues & grandines, gelu & pruina (quæ forma inter se differunt) conuerti. Sic hoc vnum & idem verbum in velle locutoris existens, & ad voluntatem eius vel negatiuam, contrahendo in se suam virtutem: vel affirmatiuam, dilatando, & emittendo à se, atque dissipando beneuolentiæ suæ radios, quicquid vult, exercere, atq; exequi solet, tam in ipso Deo quam in homine, qui ad imaginem Dei est formatus. Verbo (inquit Psalmista) suo quam celerrime excurrente, & sermone suo in terram emissio edit Deus niuem, sicut lanam, & pruina, sicut cinerem dispergit: deiicit gelu suum tanquam frusta: coram frigore eius, quis consistat? Verbum suum emittens, liquefacit ista, simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ, &c. In quo sermonis filo arguere videtur, quod emissio verbo in terram mediantibus ventis Septentrionalibus, rari condensatio & inspissatio fit, videlicet, ratione frigoris contrahentis à verbo seipsum in celeri motu suo constringente, & creaturam dilatantem ad se prius in nubem densam, ac tam postea in niues & grandines contrahente.

Psal. 147. 8.

Iob. 22. 15.

Psal. 104.

1. Cor. 6. 1.

Sap. 10. 17.

Iob. 38.

Iob. 28. 37.

Iob. 26.

Psal. 77. 17.

Psal. 147.

Sap. 16. 22.

Psal. 77.

Iob. 36.

Iob. 12.

Psal. 147.

Psal. 103. 20.
Psal. 104.

Iob. 27. 9.

hente. Similiter emisso sermone, mediantibus ventis oppositis, condensatorum prædictorum fit rarefactio, atq; dissolutio: Natura enim ventorum calida congelati frigiditas deficit: humida vero illius alterius siccitas aufertur: atque ita defluit massa olim immobilis & dura in mobilem & mollem aquæ naturam. Voluntas ergo Monadis radicalis est in eius verbo, quod est vnicum, more radicis, atq; verbum efficitur Angelis, quos ventos facit, ut & ministros suos ignes vrentes, ut testatur David. Quare dixit Propheta, simulac efflat ventum suum, effluunt aquæ, &c. Sic etiam ad niues, grandines, pruinas & gelu, procreandas, flauit vento suo Boreali, constringendo. *Flante* (inquit Iob) *Deo concrefcit gelu, &c.* Deniq; si mundi statum & tempora eiusdem sedulo respiciamus, percipiemus quidem, quod tempore hyemali, apud nos, proprietate Dei frigida aut humida, aut sicca, seu contractiua & condensatiua in Hemisphærio Septentrionali dominetur, & effectus suos exequatur, vnde niues, grandines, gelu, pruina, pluuiæ copiosæ, rores & nebulæ pluuiæ tunc temporis sunt frequentiores: noctes tenebrosæ sunt diuturniores, folia & fructus corrumpuntur, terra lugere ac frigore lædi & ægrotare videtur: cum tamen e regione eodem temporis spatio, proprietate eius calida & sicca in plaga Meridionali, aër redditur rarior & stiptica frigiditatis virtus caloris præsentia extirpari videtur, tenebrosæ noctes abbreviantur, terra viuificatur, & floribus, gramine & fructibus abundat atq; lætatur.

Concludimus igitur, quod Deus per Verbum agat in hoc mundo, secundum materiæ & temporis anni dispositionem, tam cum proprietate sua occulta & contractiua, quam illa ei contraria, idque vel ad pœnam & flagellum vel ad beneficentiam: vti ex verbis paginæ sacrae expressis elicere possimus.

Sed relicto Macrocosmico subiecto; hos eisdem effectus ab istis binis proprietatibus in Microcosmo produci demonstrabimus.

C A P V T X I.

Quomodo ambæ prædictæ Monadis radicalis proprietates se in subiecto itidem Microcosmico, tam ad eius bonum, quam malum & detrimentum, exerceant & operentur.

CVm homo sit ad imaginem mundi factus, non aliter, quam mundus ad exemplar Archetypi; non est equidem dubitandum, quin quod ipse ex materia mundana & radio diuino mundi materiam implente constituatur. Videmus enim quod contractiua Monadis radicalis virtute, corpus humanum ex compresso terræ limo fuisse effectum; ut e regione ipsius Anima à materia subtili cœli, seu Spiritu luce diuina præparato est orta atq; procreata. Quod etiam ut clarius obseruanti appareat, animaduertat velim quanta celeritate corporis humani moles, anima per mortem expirata, frigiditatem terrestrem sibi contrahere soleat, & quanta grauitate onerari: At vero manente regnanteque Anima in corpore; totam eiusdem massam siue congeriem, vndique calore esse perfusam, leuitateque imbutam percipiemus. Nam Spiritus humanus luce & calore diuino adeo est repletus, ut non modo in sua natura, ratione præsentia radiorum Sapientia diuinæ, purus sit ignis cœlestis & incorruptibilis, verum etiam omni hora & momento virtutem à cœlo & aère sibi similem ad sui ipsius in creatura continuationem attrahit: quæ virtus est ignis tam subtilis, benignus, & gratiosus, ut speciem non destruere & deuorare, more illius terrestri, sed præseruare & vitam ditare soleat. Imo vero millies in sua puritate, exactissimo vini Spiritu est ille præferendus, qui semel illuminatus, atq; accensus propter partium suarum subtilitatem, linteum minime comburere animaduertitur. Quid ergo de igne destructiuo est dicendum, præterquam quod tametsi eius internum sit ignis, seu actus purus, tamen propter eius
exter-

externum, quod est densus & fumosus Spiritus è tenebris exurgens actuique caloris diuini resistens, eiusque virtutem dilatatam coarctans, ipsum facit contra essentialem & simplicem suam naturam destruere & comburere.

Hicce ergo homines mente sana præditos, latere minime potest, quomodo vtraque Dei proprietates in homine, & circa hominis compositionem, radicaliter versatur. Porro etiam minime illis videtur hoc mirum, qui liberum hominis in boni, vel mali electione arbitrium considerabit. Nam licet Adam fuisset ante eius lapsum vnus, & ad vnum solummodo attentus (quod vnum neque ab eo dici potuit bonum, quatenus non cognouit malum, nam bonum, nomen suum capit per oppositionem ad malum sibi contrarium) nec malum; quoniam non nisi ad vnâ radicem, videlicet Deum lucidum & vitæ suæ authorem esset arrectus: Licet (inquam) ante eius lapsum esset contemplatione vnus, tamen postquam gustasset de arbore boni & mali, percepit se esse ex duobus oppositis principiis seu proprietatibus contrariis compositum, atque ita clausis mentis oculis, oculi tum postea corporei erant in momento aperti; vnde cognitis iam ab eo duobus extremis, atque neglecto iam cœlo, & eius interno, suum externum iam tunc respicere cœpit, cognouitque se esse nudum, pudendaque inprimis tegere atque abscondere summopere tentauit: atque ita ipsi tam terram, quam cœlum, tam corpus quam animam, tam tenebras, quam lucem, tam bonum, quam malum, tam vitium, quam virtutem cognoscere & discrimen inter ipsa ponere est (voluntate diuina sic iubente) impositum.

Hinc ergo liberi arbitrij fons & origo, hinc iustitiæ & iniquitatis ortus & initium, hinc vitæ cum morte, generationis cum corruptione, sanitatis cum infirmitate, confusio. Nam qui res corporeas & terrestres propter eleuatam & illuminatam mentis suæ claritatem, deorsum minime respiciendo, contemplari nequibat (namque eius pars terrestris, multitudine portionis lucidæ, erat subiectissima) ille (inquam) amissione & diminutione suæ lucis in se per inconsideratum suum lapsum, tenebras corporeas paulatim irreperere sinebat, ita, vt corporis tenebræ pedetentim in mentis claritatem præualere, eamque obscurando debellare gestirent. Quare factum est quod tam passiones tenebrarum, quam illæ lucis in homine suis temporibus secundum varietatem subiectorum, dominium aut maius, aut minus habere dignoscuntur. Vnde & quibuslibet earum mercedes debitæ à pagina sancta sunt assignatæ; nam per eam admonemur, *vt ab operibus tenebrarum abstineamus*: si inter electos lucis filios haberi atque numerari velimus. Hinc ergo Christi Triumphus in peccata, mortem & Gehennam; hinc Diaboli in hoc mundo dominium & potestas in filios inobedienciæ. Hinc (*dico*) vtriusque Monadis æternæ proprietatis effectus luculenter in natura humana post lapsum Adæ primi depinguntur. At vero Adam ille secundus vincula & tenebras prioris labentis deponens, nobis monstrauit viam, qua oculos exteriores seu corporeos claudendo, interiores & mentales iterum aperiamus, quo occulta Diuinitatis Mysteria & Arcana omnia; imo vero & ipsum Deum, prout est, intueamur, adoremus, timeamus; & summa reuerentia atque amore prosequamur, ac tandem, vt nos ipsi firmiter adhærentes, idem fiamus cum ipso, ac tandem in eandem transformemur imaginem.

Hic ergo vnum habetis argumentum operationis binarum Dei proprietatum in vnico subiecto; qua, quandoque tenebris submergitur, & nonnunquam ratione contraria regeneratione noua illuminatur, & è tenebrarum voragine tandem emergit.

Iam autem aliam ostendam vobis huius rei demonstrationem luce meridiana clariorem, qua varios harum duarum proprietatum actus & opera in

homine discernatis. Certum atq; comprobatum est non modo Philosophiæ peritioribus, verum etiã medicinæ peritis, vnicum esse in homine motum, seu actum voluntarium, quem agnoscunt ortum suum habere ab ipso cerebro, seu cœlo cœlorum ipsius Microcosmi, quasi Monas radicalis seu mens diuina, principiorum principiũ, ad cuius nutum Imperatoriũ omnes Cœli & Sphæræ Microcosmicæ in gyrum moueri cognoscuntur, nõ aliter quam Macrocosmi primum mobile (ad cuius actum, Cœli & Sphæræ inferiores circumrotantur) ab æterna Sapiëntia, vtpote omni re in se mobiliori, actusq; motusq; fonte *mens* (inquam) *humana* seu *Microcosmica* (quæ est scintilla sapientiæ in Microcosmo, diuinæ) est primus in suo Organo humano Motor, sedemq; suam præcipuam in cœlo eius intellectuali habet. Hinc (inquam) concluderunt tam Philosophi, quam Medici, motum voluntarium esse à cerebro seu cœlo intellectuali: cœlorum vero inferiorũ motum, videlicet, regionis cœlestis, Spiritualis seu vitalis cuius vas seu Thesaurus solaris est cor: & elementaris, aëreus seu naturalis (cuius Arca thesauraria est Hepar) fecerunt involuntarium, quasi à voluntate vnus Monadis dependentem. Quomodo autem proprietates Dei binæ se exerceant in motu regionis vitalis, hic ostendemus.

In primis ergo notandum est, quod *vita ex calido innato & humido radicali* constet: quorum quidem calidum est à principio lucido, seu mente & radio ipsius Sapiëntiæ: humidum, de natura Spiritus creati à fonte naturæ humidæ (quæ est tenebrarũ imago) exilientis. Ex horũ mistione (teste Hermete) facta est vita seu anima vitalis: de qua *infra*, latius. Vt igitur in vasta Macrocosmi anima est dictum, quod ipsa ex materia aquatica (tenebrarũ prole) & luce diuina consistat: ita quidem, & eadem plane ratione, res sese habet in constitutione animæ humanæ: vnde sequitur, quod in se habeat tã effectũ proprietatis Dei, seu Monadis occultæ & contractiux, quam illius manifestæ & dilatatæ. Per contractiuã autem naturã, lucẽ & Spiritũ ex aëre aperto, in tenebrosum cordis sinum sinistrũ attrahit, inspissat, & contrahit inspiratione, fumumq; sic cõtractũ, seu aërẽ, ita inspissatũ, iterũ actu caloris interni, in forma fumi densi expiratur: qui iterũ in aërẽ expansum se dispergẽs, inuisibilis rarefactione redditur. Atq; istum contractionis & dilatationis actum medici Systolen & Diastolen vocant: de quibus in libello *de mystica cordis Anatomia* copiose sumus locuti.

Vt igitur in Macrocosmo videmus cœlum mediũ (quod æthereũ vocant) de cœlo superiori seu empyreo, & aëreo seu elementari, quasi de vtroq; extremo participare, ita quidẽ in actione vitali à luce regionis supercœlestis, de luce participantis, expellitur & emittitur aër attractus à tenebroso & corporeo, ad aërẽ & terrã seu corpus attinente, attrahitur & inspissatur: idq; ad solã vitæ & viuendi necessitatem. At (teste Galeno: Auicenna: & aliis medicis) permultæ sunt Passiones cordi Microcosmico familiares, quæ participant de binis istis extremis proprietatibus. Nam vt proprietatis occultæ, & tenebrose est contrahere & ligare: cõdensare & tenebris immergere: ita quidẽ accidit, quod cordis sola contractione multæ passiones & afflictiones variæ, tenebrarum filia oriuntur. Nam (inquiunt illi) sola cordis contractione, homini superueniũt horribiles effectus, videlicet, tristitia, timor, desperatio, melancholia, horror, diffidentia, iracundia, stupor, sollicitudo & curæ, atq; infiniti alij effectus (tenebrarum filia) generi humano infestissimi: nam proprietates tenebrose constringens & contrahens cordis organon, Spiritus ipsius ita occæcat & tenebris obruit, vt visione supercœlesti, sic disparente, falsa corporis & Spirituum tenebrosorum figmenta Chimærea, ita iudicium & rationem conturbant atque deludunt, vt non se habeat pro creatura salutem expectante, sed potius, pro re iam damnata, & repudiata. Iterum viceuersã concludunt, quod cordis dilatationi succedunt passiones bonæ, ipsius lucis filia: nam Spiritus humanus, se ipsum cordis apertione dilatans, visione mentis

mentis

mentis diuinæ rapitur: vnde lætitia & gaudio afficitur, amore & spe nutritur, metu & diffidentia expulsis, audacia pia & fides certa fouetur; patientia & temperantia ducitur, misericordia & pietate est plenus, cœlestia contempla- tur, terrestria & mundana contemnit; atque multis huiusmodi passionibus bonis afficitur; quæ omnes ei contingunt propter cordis dilatationem & Spi- rituum vitæ in summum bonum emissionem, oculorumq; intellectualium in ipsam mentem fixationem. Hi ergo sunt motuum cordis effectus; quem mo- tum ob istum respectum, Antiqui in voluntarium seu Imperatorium, & inuo- luntarium; seu à Motore summo effectum distinguunt. Inuoluntarium autem cordis motum versari dicunt vel in sola dilatatione, quem volunt passiones istas sequi; videlicet, lætitiã, spem, confidentiam, amorem, misericordiam, humanitatem, &c. vel in contractione sola, cuius effectus sunt; tristitia, despe- ratio, metus, odium: inuidia, ira, furor, verecundia, &c. vel contractione & dilatatione simul, vti est ille pulsus, qui mouetur in Systole & Diastole. Hoc testantur Galen. *loc. aff. & de diff. sympt.* Auicē. *prima primi. doct.* 6. Gal. *de sympt. diff. cap.* Auicē. *de mod. cor. cap.* 7. & Galen. *de puls. ca. I. de diff. puls.* & Auicē. *2. primi doct.* 3.

Porro etiam oppositas harum proprietatum in eodẽ subiecto operatio- nes aliter sermone manifesto sic explicat Pagina sacra: *In Iehova manu est ani-* Iob. 12.
ma omnis viuentis & totius carnis: penes Deum (inquit) est sapientia & fortitudo: illius
est consilium & intelligentia: destruit, vt non adificetur: occludit viro, ita vt non aperia-
tur. En ita cohibet aquas vt arecant, & ita emittit eas, vt subuertant terram. Apud il-
lum est robur & potentia, eius est errare & in errorem inducens; qui facit, vt consulti
deueniant in dementiam, & Iudices stultos reddit; qui facit, vt errent tanquam ebrij & Iob. 5.
palpent in tenebris, deficiente luce: qui vulnerat, & medetur, curat & sanat; occidit & Deut. 32.
viuere facit; tribulatione, tenebris, dissolutione & angustia, atq; caligine persequitur: Isai 8.
atque iterum benignitate, seu amœnitate hominibus adest: luce faciei præseruat, lucer- Psal. 90. 14.
nam vita, tenebras fugando, illustrat; vt creatura salute, bono & felicitate fruatur vi- Psal. 8. 4.
sitatione sua afficit. Porro etiam in proprietate sua negativa, contraxit Maria lepram: Psal. 18. 27.
percutit peste, febre vrente, amentia, cœcitate, afficit, vt sagittarum suarum virus ebi- Psal. 106.
bat Spiritum humanum, increpat, per dolores in lectulo & omnia ossa marcescere facit, Num. 12.
ita vt abominabilis sit ei in vita panis, &c. Quibus, videre liceat Deum partim in Deut. 28.
sua proprietate lucida, partimque in tenebrosa, hominem tam benedictioni- Iob. 6. 4.
bus quam maledictionibus afficere: quemadmodum tam in Tractatu isto de Iob. 33.
sanitate, quam in volumine sequenti, vbi Deo adiuuante, de morborum origine
verba faciemus, clarius erit à nobis explicatum.

Hæc ergo, quæ in hoc libro sunt à nobis explicata cum veterum atque antiquorum Philosophorum intentionibus & doctrina exacte conuenire vi- dentur. Nam sermo eorum ænigmaticus erat huiusmodi, videlicet, quod vt Demogorgonem siue summum Deum, Aeternitatem & Chaos finxerunt fuisse ab æterno, ita quidem Aeternitatem in Deo, & ipsum Chaos in æternitate fuisse annuntiauerunt: deinde Deum obstetricem fecerunt duplicis Chaos partus, cuius prior, erat *deforme litigium* seu tenebræ, quæ præsentia lucis, obliqua reuo- lutione (teste Hermete) deorsum subterlabebatur, post eius cum luce pugnam & resistantiam, minime indurare valendo validam Dei patientis virtutem. Sic enim pugnante Michaelē, depulsus est Draco à cœlo, atque istiusmodi re- luctatione atque diuisione, partus secundus est editus, quem *vniversam* dix- erunt *naturam* humidam, quam actio nomine Deum *Pana* nuncupauerunt: cuius substantia madida, integra impleta est mundi cavitatis; atq; ita vnicum ter- tium seu medium habemus inter duo extrema productum: quod quidem me- dium humidum à sepulcro quasi mortis, seu tenebrarum abyssu, prima resur- rectione resurgebat. Author autem istius resurrectionis à morte ad vitam, erat ipsa *lux creata* seu *sapientia*, quæ viceversa à vitæ fonte suam habet origi- nem;

nem, videlicet, à *Verbo* seu Deo patente, quod omnimodo à litigio ideo differre agnoscitur, quoniam *Lux* summa est charitas & amor à se ortus: *Litigium* vero malitia, & contentio à *Chao* ope Demogorgonis originem ducens: cuius etiam actu lucido animatur: hoc ergo ad malum, respectu capacitatis mortalium, illa ad bonum inclinatur: At vero cum nihil respectu creantis, malum, & hoc & illa vitur Demogorgon ad voluntatem suam bonam complendam tam in cœlis quam in terris. *Demogorgon* ergo, erat *Deus*, seu *Monas radicalis* in se & per se, utpote quem Pythagoras *Vnitatem*, hoc est vnus naturam seu mentem, & ipsum *Deum* & *Bonum* dictitavit. Et Socrates cum Platone agnovit *Deum*, illud quod *unum*, quod *solum*, quod *bonum* & quod *ex sese est mens*, nulli materia mixta, nulli affectui obnoxia. Vnde Aristoteles ipsum facit *supremam formam*.

Hæc forma in se olim occulta, partem sui emittendo & patefaciendo, *Verbum* fecit; mediante quo, omnia sunt creata *Verbo* seu Sapientiæ emissionem *Chaos* grauidum mediante virtute sua penetratiua parit *litigium deforme* & *tenebrosum*: Nam *tenebræ* fuerunt *super faciem abyssi*, grossus & tenebrosus Spiritus in litigio recipiendo male radios persequentes & informantes peruersa & obdurata dispositione repellit: resistendo reflectuntur radij, & reflexione *Lucifer* procreatur; qui non diu stetit in hoc statu, quin strenue oppugnare & resistere & extinguere tentans illum lucidum vitæ actum, deorsum paulatim virtute Dei lucis depellitur à cœlo, claritatem suam acquisitam perdendo, & tamen vita peruersa, ex lucis penetrantis scintillis, in tenebroso suo externo Deo patenti inimicissimo insita, est præditus, qua contra tenebrosam seu externam dispositionem, quæ tarda est, & ad quietem dedita, semper agilis est per malignam & inuidam tenebrarum naturam ad malitiam suam contra lucis filios perpetrandam: ita ut ad voluntatem Dei priuativam exercendam adeo sit promptus, ut *sapientia* eius lucida ad voluntatem suam positivam est paratissima, atque ad omnia bona filiis lucis attribuenda exercitatissima.

Hinc ergo, in mundo *vita* & *mors*, *generatio* & *corruptio*, *sanitas* & *morbus*, *bonum* & *malum*, *sympathia*, *antipathia*; *concordia*, *discordia*, *amor*, *odium*, *pax*, *bellum*, *letitia*, *tristitia*, *temperantia* *temeritas*, *confidentia*, *desperatio*, *virtus* *vitium*, *voluntas* *noluntas*, *miseriordia* *crudelitas*, *veritas* *falsitas*, *Christus* & *Diabolus*: ac denique *Lux* & *Tenebræ*. Atque hæc erat ratio, cur quidam Philosophus dixerit, *Omnia ex lite* & *amicitia* fuisse conflata; videlicet, ex tenebrosa materia, & luce, seu amore diuino. Nam tametsi secundus *Chaos* partus, videlicet *Pan*, seu *natura humidæ vniuersalis*, sit lucis virtute rectificatus & à tenebris emundatus, atque per vnionem à Spiritu sancto factam virtute lucis viuificæ informatus, atque animatus, tamen quoniam de matre leprosa erat natus, & caligine seu litigio ante vllum æuum infectus; ac quidem ab ipsa morte & deformitate ortum suum accepit, non aliter quam forma à vita & veritate suum: ita quidem ad opera deformia in se & per se magis est proclivis quam ad illa lucis. Quare manifesta est ratio verborum à Christo prolatorum, quod scilicet *lata sit via ducens ad destructionem*, *arcta vero* & *angusta*, *que ad saluationem dirigit*. Et tamen tam huius quam illius Author est *Deus*, qui est *Monas* horum duorum oppositorum radicalis, è cuius radice *Dyas* oritur. Vnde dictum est, quod ipse *in se habet vitæ* & *mortis potestatem*, & quod *ducit ad portas sepulchri*, & *reducit*, utpote qui in occulta sua proprietate abscondit se à creatura, & tunc relinquit eam in potestate Spirituum tenebrarum & mortis: At emittente iterum faciei suæ lumen, creatura refici, & à prauis & immundis illis spiritibus liberari solet, & spiritibus bonis & lucidis recreari. Denique vbi Pythagoras *vnitatem* Deo retulit & *Dualitatem* *Demoni* quem dicit malorum authorem: ibi per *Deum* intelligit *Sapientiam lucidam*

cidam vitæ authorem, à monade radicali emissam: per *Demonem*, ipsas *tenebras* & materiam mundanam, quam corporea moles circumstat, quam *Mundum* vocat ipse: vnde Pythagorei omnes in hanc inclinant sententiam, quod *Vnitas* attribuatur *Apollini*; vbi, per *Apollinem*; *lucem diuinam* intendunt. *Dyadali* seu *audacia*, *materiæve*: *Triada* vero *Iustitia*, *formæque*, quæ summa est perfectio. Quibus innuere videntur, quod *Dyas* seu materia litigiosa in se & instar fratris sui *Litigij*, audax; vinculo Iustitiæ concordi in pace ligatur & ad leges lucidas arrigitur, & filius lucis & non tenebrarum adaptatione redditur, & nisi *Lumini* sit rebellis, coronam in Regno lucido sibi comparabit. Talis erit *secunda vita*, quam nulla insequetur *Mors*: talis erit *Cœlorum & terrarum renouatio*, quando omnia erunt *noua facta*; talis erit *corporis & animæ resurrectio*, quam promittunt tam fideliter *Scripturæ sanctæ*.

Concludimus ergo, quod *Lucis absentia est caligo & tenebræ; & vbi lux abest, ibi etiam & motus deest*, qui est immediatus lucis effectus quæ est actus primus: & *vbi deest motus, ibi deest calor*, vtpote qui est immediatus motus effectus. Vnde sequitur, quod *vbi adest caligo, ibi adest quies*, quæ est motus absentia; *vbi adest quies, ibi etiam & frigiditas est præsens*, quæ non mouet nisi motu vrgeatur, & tum per resistantiam reagere dicitur. Totum denique hoc dependet ab *Vno*, & sic ab *Vno facta sunt omnia* per inspissationem & rarefactionem. Sic factus est *Mundus*, sic extensi *Cœli*, sic creata *Terra*.

METAPHYSICA

VITÆ ET SANITATIS

RATIONE.

CAP. I.

Quid sit Mundi Anima. Quod ipsa sit vitæ creaturarum fons.

MVNDI ergo Anima nihil aliud est, quam lucis immortalis ab Aeternitatis radio emissa cū subtilissima & dignissima natura humida seu aquarum è tenebroso Chaos sinu exilientis portione, Vnio: vnde ad exemplar Archetypi seu Mūdi intelligibilis Trinitas Vnitate, (seu Triunum) est orta atque producta. Nam vt in precedentibus est declaratum; iuxta Prophetæ Isaiæ doctrinam, tria requirūtur ad Indiuidui tam spiritalis quam corporalis perfectionem, videlicet, creatio, formatio & factio. *Quicquid* (inquit Iehoua per Prophetam) *vocaui in nomine meo, illud creavi, formaui, & feci.* Creatio ergo est materiæ aut cuiuslibet Indiuidui Dispositio: vnde postea, formæ educitur potentia. Sic materia, licet tenebris deformata, tamen consilio monadis radicalis iam iam præparata est, & ad actum recipiendum disposita: tunc emicuit forma lucida, & quasi ex nihilo exsuscitatur sine diuino Monadis imperio & voluntate de materiæ tenebrose educitur potentia, atq; apperitio huius lucidi principij, dicitur formatio, quoniam facit illud in forma seu specie aliqua apparere, quod antea nulla fruebatur forma, & consequenter pro nihilo habebatur. Denique faciendi proprietates ad mutuam formæ emicantis & materiæ humidæ è Chaos vtero reuelatæ coniunctionem seu vniõnem attinet. Dei itaque omnipotentia, siue vnitas cogit primo aquas & res omnes alias indiuiduas; in suam materiam siue vnitatem indiuidui, quæ diuinæ bonitatis respectu, est Patris officium seu actio; utpote, magis in eo eminentis quam in filio siue Sapientia; quoniam materiæ potentiales & ipsæ tenebræ fuerunt ante lucis emanationem: quare quam rectissime Monadi radicali & paternæ referuntur. Dei Sapientia siue vnitatis occultæ emanatio lucida (quam *Filium* vocamus) quatenus à monade radicali quasi Patre ortum) Formæ dispositionem instituit. Quare formationem ad ipsam Sapientiam seu *Verbum* spectare dicimus. Summus denique immortalitatis amor igneus à Patre radicali quasi potentia & Verbo filiali quasi actu procedens, est ille qui harmonia ineffabili cogit copulam inter materiam iam lucis præsentia reuelatam, & ipsam formam lucidam emicantem à tenebrarum Centro in compositionem vnus.

Atque in hac quidem proportionè triplici, omnia in Mundo gradatim & successiue sunt facta. Nam sicut ab æterno procedit Spiritus hic sanctus, formam cum materia copulans à Patre siue Potentia, & Filio, siue Sapientia, sic
etiam

etiam vna coniungit materiæ vnionē quæ est à Patre, cum formæ dilatatione quæ est à filio. Quibus colligendum est, quod rei mundanæ esse sine existentia sit tanquam materia potentialis & origo earum circa quam versatur creatio: Eiusdem vero Essentia est instar formæ lucidæ de materiæ tenebrôsæ potentia ductæ. Solus autem Deus est radix seu Monas radicalis, in qua esse & essentia sunt idem; videlicet materia potentialis & Lux actualis. Tertia itaque persona quæ vnit materiam cum forma, illa est proprie quæ facit.

Ex his ergo lucide se prodit animæ mundanæ compositio: & tam postea Organū mundanū in quo tanquā corpore sibi proprio agit. Nā vt ipsum cœlū (tanquam creaturā spiritualement catholicā) ante Terram (quasi creaturam corpoream) creatum formatum & factum fuisse videmus; ita quidem vt anima corpori, ordine & tempore præcedat, necesse est. Porro vt *mundi anima* & *Anima est ipsa sapientia vnica diuina*: ita quidē cuiuslibet corporis indiuidui anima est vnica animæ mundanæ scintilla. Anima enim mundi dicimus puriorem naturæ Catholicæ spiritum lucis diuinæ radiis immediate à Monade æterna emanantibus formatum viuificatum, atq; amoris sacrosancti vnione seu glutine cum ipsis in naturam quandam viuam & spiritualement, redactum. Quare euidens est quod agens in anima sit lux diuina & increata; quæ est Dei sapientia, imo vero & ipse Deus: Patiens vero est subtilissimus & creatus mundi spiritus, omnimodo radiis Sapientiæ æternis repletus & quasi inebriatus. Hinc dictus est Deus, siue Lux & Verbum in quo erat vita; dare omnibus vitam & inspirationem, & omnia. Nam ex parte *Patris* habemus materiam præparatam seu spiritum tam gloriosa forma dignum; & ex parte *Filij* seu sapientiæ, datur forma tali materiæ conueniens: Glutine & nexu *Spiritus sancti*, fit vnio in naturam Angelicam, qua Catholicus mundi spiritus animatur & vitam suam ducit. Liquet igitur, quod Vita & Anima sit tota à Deo, in Deo, & quasi ipse Deus, vtpote qui est Creaturarum, & præcipue Hominis vita & *dierum longitudo*. Et quoniam ipse est lux pura, quæ informat spiritum & vnionem facit per proprietatem ternam inter illa duo. Ergo David Iehouam vocat *salutem*, & *ipsius vitæ*, seu *anima robur*: quam D. Iohannes vocat, *lucem*, quam dixit Verbo tanquam fonti primario inesse. Quare non modo homines, sed etiam vniuersus Mundi spiritus dicitur, *in eo viuere mouere & esse*; quippe, *cuius est omnia viuificare*: vnde Christus seu Verbum per quod Deus creauit mundum, *fallus est se esse vitam & veritatem*: & Hermes dicit, *Vnionem Mentis patris & verbi filij* (quos ab inuicem minime distare ait) *esse ipsam vitam*: ac si dixisset, Materiæ potentialis portionem purissimam Patri relatam: & lucis clarissimæ mensuram simul amore symphonia diuina simul vnitas, esse vitæ seu animæ constitutionem. Sed quoniam in Catholicæ Mundi animæ confirmatione, in Responso nostro ad F. Marini Mersenni cauillationes, qui more impio & infano, eam omnino tollere & negare est aggressus, discursum fecimus copiosum & integrum, plura hoc in loco de ipsa disceptare non proposui; quo celerius ad subiectum hoc nostrum de vita & sanitate humana properemus.

Deut. 30.

Psalm. 27. 1.

Act. 17.

1. Tim. 6.

Ephes. 3. 9.

Ican. 14. 6.

Pimand. 1.

C A P. II.

De vitæ creaturarum, & præcipue, illius humane, ratione: Quod sit de Mundi anima. Et quomodo à Deo datur & subtrahitur secundum duplicis sue proprietatis dispositionem.

Hermes vocat hominem, *filiū Mundi*, & mundum, *filiū Dei*: ita vt & Mundi & Hominis radicem statuit Essentiam diuinam: hinc ergo & alibi, Mundum Dei, & Hominē ipsius Mundi facit imaginem. Nec igitur ob istam eius rationem negandum est ipsum hominem à Deo immediate non esse creatum & ad

& ad exemplar ipsius statim efformatum. Nam vt Mundus immediate à Deo & Chao tenebris emicante, hoc est, in archetypo regnante creatus formatus & factus erat, hoc est, mediante vnione amabili Materiæ potentialis Patri relatæ & Lucis seu formæ actualis, Sapientię applicatæ: Ita quidem pari ratione homo conflatus erat immediate ab ipsa Sapientia diuina, ipsum Mundum Typicum vndique implente & viuificante, & materia mundi humida è Chao radicitus exurgente & in Cælum & Terram, virtute dictæ Sapientię diuinæ distincta. Animam ergo seu vitam & spiritum immediate accepit homo suum à Deo in Mundo typico regnante, qui tam eius Cælum, seu internum ex cæli mundani portione (quod Synesius vocat portionem sui) quam eius terram seu corpus & externum ex ponderoso terræ mundanæ corpore composuit.

Erat ergo Deus latens, qui se ex tenebris, seu loco suo occulto, patefaciendo emisit vitæ suæ spiraculum ad Macrocosmi existentiam; vnde dictum est, quod *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, igneum eis vigorem impertiens: ex quibus tum postea *Cælum prius & Terra assistente illo spiritu lucido erant creata*; ac deinde *omnes virtutes eorum*: Nam *verbo Domini firmati sunt cæli & spiritu ab ore eius, omnes virtutes eorum*; Nam *verbo Domini firmati sunt cæli & spiritu ab ore eius, omnes virtutes eorum*. vtpote, quo spiritu viuificauit Deus omnia. Erat etiam iste spiritus diuinus patens, qui paulo post & in Mundo dominās & post suam in mundo emanationem, Microcosmum ad Macrocosmi imaginem effinxit. Nam ipse Deus hæc dixit: *Creauit cælos, extendit eos, firmavit terram & quæ germinant ex ea, dedit flatum populo qui est super eam & spiritum calcantibus eam*: & consequenter certum est ipsum viuificare omnia, mediante sua vnica & sola Sapientia; qua totum imprimis *Mundum impleuit, animauit & viuificauit*; ex cuius anima dependet vita omnium indiuiduorum, quæ in mundo sunt. Vnde, vt *Paginæ sacræ eum agnoscunt esse, Deum Cælorum, terræ, maris, aquarum, & omnium quæ in eis sunt, creatorem, & Dominum totius creaturæ*: Ita quidem asserunt, eum dixisse, & protinus facta est creatura: misisse spiritum suum, & statim creata sunt omnia. Nam mediante illo *spiritu viuace, dat ipse omnibus vitam & inspirationem & omnia*. At vero inter omnes alias creaturas inferiores ex Mundi membris conflatas; Homo priorem sibi vindicare videtur locum, quoniam ipsum taliter suæ Diuinitatis afflatu inspirauit Creator, vt ipsum ipsis Angelis fecerit paulo minorem. Nam vti in creaturis Angelicis, vnā respectu suæ internæ, alteri in conspectu Creatoris præferri legimus; ita vt eorum alij aliis propinquiores sunt Deo & lumine ipsius ... similiter vt in cælestibus, stellam stellæ, & planetam planetæ & lucis dignitate præferri animaduertimus. Ita quidem homo super terram se habet ad cæteras terræ, maris, aerisque creaturas, vt ipse Sol in Cælo ad cæteras stellas, quibus omnibus lucis dignitate præcellit, & ob eam rationem, in eas omnes dominium habet. Nam præterquam quod spiritus Dei fortis fecerit hominem, & spiraculum omnipotentis viuificauit eum vt & omnes alias creaturas, tamen donum adhuc maius dedit ipse homini quo cæteris aliis dignitate & illuminatione excederet; videlicet, *Intelligentiam*. In homine (inquit Iob) *est spiritus quo viuunt, sed inspiratio Omnipotentis intelligere facit eum*, vnde liquet, quod eius internum excellit illud cæterarum creaturarum, quæ pariter cum homine, afflatu vitæ imbuuntur, qui à Deo procedit, *cuius est omnibus vitam & inspirationem dare & omnia*, sed maiori lucis suæ sapientiæ portione affecit & ditauit ipse Hominem, atque ob istam rationem dignitate eminentiori exaltauit ipsum super alias terræ creaturas.

Sed missa ista faciendo, quoniam de intellectuali hominis interni portione alibi latius disceptauimus, ad meræ vitæ qua viuunt non modo ipse, sed & aliæ omnes creaturæ dispositionem descendemus.

Dicimus

Genes. 1.
August. in
Gn.
2 Pet. 3.
1. Tim. 6.

Isai. 42.

Sapient. 1.

Iudith. 9.
Ahor. 14.
Iudith. 18.
Ahor. 17.

Iob. 1.

Ahor. 17.

Dicimus ergo, quod vita, qua existit & viuit omnis creatura ex mundi membris seu elementis conflata, sit eadem essentia cum anima Mundi catholica: non aliter quam omnes guttæ aquæ sunt eadem natura cum integra aquarum massa, vt & omnes radios Solares à massa Solari minime natura & essentia discrepare animaduertimus. Et quidem aquas integras & earum partes minimas, vt & lucem solarem cum suis radiis inconsulte hoc in loco induximus pro nostro exemplo, cum ipsa vita ex illorum subtili & lucis diuinæ portione simul vnitis conflatur. Quo vero magis excellit lucis diuinæ proportio in spiritu dicto subtili, eo rem dignitate nobiliorem producit: verbi gratia: Ex spiritu Empyreo lucis virtute inebriato fit vita Angelica & intellectualis, de qua participat homo, ex spiritu æthereo, vtpote non ita lumine ditato, vita creaturarum momentanea & communis constat: qui spiritus vt luci & igni diuino inæquali proportione æquiualeat, eorum vnione fit vita creaturarum elementarium. Nam vt spiritus Empyreus propter suam dignitatem & exaltationem est anima illius ætherei, ita quidem ille æthereus est anima illius elementaris. Deus ergo *Author omnium*, in quo spiritus materialis & lux formalis, & consequenter, vita existit: quod etiam in istiusmodi verborum serie confirmare videtur Apostolus. *Vnus* (inquit) *Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum, &c.* In quo sermone per Patrem arguere videtur materiam tam spirituales, quam corporales, quæ patri assignatur; ratione antea allegata, tanquam subiectum ex quo omnia. Per Filium seu Iesum Christum mundi lucem seu Sapientiam intendit; formam per quam materia dicta informatur & viuificatur: horum deniq; vnionem mediante Spiritu Sancto *vitam* vocauit D. Ioannes & Hermes: cuius portio passiuæ est *Spiritus*; actiuæ vero, est *Lux*: horum nexus vocatur *Anima*: vnde ex istiusmodi actione & passione oriuntur Systole & Diastole in Pulsu. Atq; hæc est ratio, quod Anima quandoq; in Bibliis Sacris Spiritus dicitur & spiraculum vitæ, & nonnunquam Lux & Lucerna denominationem suam accipiendo quandoq; à formali luce, quandoq; à spiritu materiali: non aliter quam ipsam compositionem Angelicam, quandoq; Angelum, videlicet, respectu suæ materiæ, & quandoq; lehouam & Sapientiam in eodem paginæ sanctæ capite dici obseruamus: vt sæpius in *Exodo* inuenitur.

Hic ergo habetis humidæ radicalis initium; hic calidi innati principium quorum vnione fit creaturæ vita, virtute cuius existit. Sic quidem Trinitatis Sacrosanctæ ordinem obseruamus hac ratione per vniuersum naturæ cursum. Nam à Monade primum effluxit Lux ex vna parte; & ex altera, conditio tenebrosa ex illius lucis apparitione est reuelata. Hic ergo Archetypi Trinitas in vnitate ex vna parte; deinde materia potentialis & Lux actualis ad vnus mundi consistentiam concurrunt ex altera: & ibi ad exemplar Archetypi, Mundus typicus est procreatus. Tum postea materiæ humidæ subtile & formæ lucidæ essentia nexu subalterno in vnâ mundi animam congregatur. Rursum, anima hæc in regiones tres loci dignitate distinctas se distinguit & producta est animæ mundanæ portio Empyreæ seu intellectualis, æthereæ seu viuificæ; & elementaris atq; aëreæ, seu naturalis & vegetatiuæ. Iterum anima ista tripartita se dilatat in regnum animale, vegetabile & minerale. Atq; ita omnia videmus virtute ista viuificæ ad Trinitatis imaginem efformata, in partes tres differentes esse distincta.

Videtis ergo hic quid in primis sit Mundi, & tum postea cuiuslibet creaturæ in mundo Anima & Vita: & quod originem suam à Deo patente hoc est in proprietate sua positiua ducat, lucide ex supradictis est eliciendum. Iam vero restat ostendere, quomodo per proprietatem eius oppositam seu priuatiuam, videlicet, non dando & beneuola dilatatione emittendo, sed recipiendo & contrahendo in se non modo à mundo, sed à qualibet peculiari mundi

creatura vel in parte diminuitur, vel totaliter aufertur. Nam necesse est quod si causa informans recedat ab informato aut lucida vitæ & sanitatis author abscondens aut diuertens faciem suam, vt ipse informatum inualidum, languescens aut penitus deforme relinquatur, & in suum tandem nihil reuertatur; cum deficiente causa, cessare soleat effectus: At vero vita adest mortalibus, imo vero omni creaturæ beneuolentia, hoc est, emissione lucis seu spiritus viuifici à facie Iehouæ. Ergo si eum recipiat vel reflectat in se in toto vel in parte, necesse est vt vel totus mundus intereat & extinguatur, aut aliqua eius creatura, quæ radio aliquo sapientiæ æternæ, quasi lapide angulari, in suo statu viuifico statuminatur, atq; omni momento recreatur atq; reficitur: Quod quidem sacra Scriptura varijs in locis lucide, verbisq; expr. suis declarare videtur: nam in primis Psalmista Regius sic loquitur: *Omnis creatura à Deo habet expectationem suam, vt det ipsis escam suo tempore, &c.* Quibus denotat, quod vitæ præseruatio sit à Deo. Sic oramus, vt *det nobis panem nostrum quotidianum.* Quare sic pergit, *Dante ergo Deo ipsis, colligunt, aperiente manu sua, satiantur bono, &c.* Inde arguendo, quod omne in hac vita bonum ad vitæ continuationem & præseruationem necessarium sit à fonte Bonitatis, qui est ipse Deus lucis, omnia sua bonitate creans, Hæ ergo duæ sermonis Dauidici particule ad creaturarum præseruationem in hac vita spectant: Sequentes verò duæ, earum vitæ causam primariam efficientem & illius priuandi rationem indicant: namq; ad earum primam sic pergit: *Abscondente faciem suam, conturbabuntur, recipiente spiritum eorum, expirant & in puluerem suum reuertuntur, &c.* Ac si dixisset: attrahens paulatim ad se spiritum earum, quem ipse ad earum vitam benigniter impertiuit, ipsæ incipiunt ægrotare & languescere. Vnde dixit Iob. *Virus sagittarum omnipotentis ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt, oppugnât me &c.* inde arguens, quod retractione faciei suæ lucidæ ab homine, infestatur à spiritibus tenebrosis & malignis, qui vim non habent in spiritum humanum, lucide ipsi exsplendescente Deo. Atque hinc est quod languidi magis nocturno tempore quam diurno excrucientur. Quod etiam sic confirmat Iob. *Nocte os meum perforatur doloribus, & nervi mei non recumbunt, pulsus mei non requieverunt &c.*

Porro etiam alibi à pagina sancta accipimus, quod *tribulatio & tenebra, dissolutio & angustia & caligo persequentur impium, auersione faciei creatoris à creatura.* Denique vltima sermonis regij clausula est hæc: *Emittente spiritum suum recreantur &c.* hoc est, tam vita & sanitate benigna faciei Iehouæ manifestatione afficiuntur. Nec quidem à Psalmista regio hoc solummodo verificatum habemus, quoniam ipsius sententiæ omnimodo videtur astipulari Iob, vtpote qui in huiusmodi similem incidit sermonem. *Hominem (inquit) constituit Deus super terram apponens ad eum animam suam. Si spiritum seu flatum eius ad se reciperet vel traheret, deficeret & expiraret, omnis caro, & homo in cinerem suum conuertetur &c.* Quibus luculenter non modo ea quæ à Dauide fuerunt prolata, confirmauit, sed etiam nobis innuere videtur quod anima & spiritus, & omnis caro sit in manibus Omnipotentis, cuius est non modo per beneuolam viuificam & patientem suam proprietatem, vitam & inspirationem, & esse omnia dare, sed etiam eam vel paulatim & gradatim, per proprietatem contrariam retrahendo, conturbare creaturam, eamque ægrotare efficere, aut penitus in iracundia sua perseuerans, auferendo spiritum, vitam totaliter expirare efficere, aut remittendo eam & propitiatus, item emittere vultus sui beneuoli radios & pristina sanitate beare. Hic ergo vitæ, sanitatis, morborum, & mortis causam habetis vobis reuelatam infallibiliter primariam atq; radicalem.

CAP.

CAP. III.

De sanitatis mysterio, quomodo ipsa tam ad animam, quam ad corpus se dilatet.

VT secundum Pythagoreorū normam *Trias* denotat perfectionem, quippe quæ informationem denotat, in qua iustitia in nexu & vnione materiæ potentialis Patri relatæ cum luce formali, quæ ad filium spectat, operam traditur præbere, ex qua & in qua vnione consistit mundi vita: Ita quidem existiusmodi iustitiæ obseruatione sincera constat tam mundi, quam cuiuslibet in mundo creaturæ, quæ in anima & per animam mundi vitam suam haurit, salus ac sanitas. Nam vt per grossarum elementorum mundanorū portionum vnionē temperatur ad iustitiam & pondus, creaturæ externū seu ejus *Terra*, ita quidem ejus internū ex eorum subtili, numero pondere & mensura constituitur. Vt ergo tam elementa, quam elementata gubernantur, & ordinantur, atq; oriuntur ab vnica mundi anima, quæ est *Trinitas in vnitate* (vti declaratum est) sic etiam necesse est, vt ejus nexu & ligamento ipsa in concordi pace retineantur. Nam vt dualitas animatur ab vnitate, seu materia à forma, ita quidem 4. à numero ternario viuificatur, & præseruatur numerus quaternarius & octonarius, qui resultat more cubico ex quadrato 4. hoc est, elementatum ab elementis 4. quæ reuera respectu suæ originis nihil sunt aliud, quam grossa & externa rerum, visibilium forma, & quasi anima, cuius internum est mundi anima subtilis, vnde certum est, quod vt mundi anima nihil sit aliud quam cōsensus vnitatis in trinitate: sic elementa quæ mundus statuit numero 4. sunt reuera & in effectu non nisi tria, ad imitationē mundi & ejus animæ compositionis, qui ex tribus cōstat, videlicet, ex tenebris seu materia tenebrosa, luce formali, & materia intermedia, hoc est, vt Pythagorice loquar, ex *æternitate*, seu *Verbo lucido*, *litigio tenebroso*, & *Pane* seu materia intermedia. Sic quidem terram habemus, quæ est tenebrarum massa, caput quasi mortuum totius massæ, & præcipui litigij tenebrosi sedes. Ignis est lucis diuinæ effigies, & sphaera humiditatis cuius pars grossior aqua nempe de terra, vt & subtilior de igne participat ad imaginem materiæ humidæ mundanæ, quæ egressa est & orta à mutua actione facta inter tenebras, cuius qualitas est frigiditas, atque natura ejus est per resistantiam reagere, & lucem quæ est actor primarius, cuius effectus est caliditas.

Ex his ergo mortalium conflatur corpus, vt ex elementis cælestibus anima & vita. Si igitur horum elementorum aliquod extra harmoniæ nexus amoris ignei seu iustitiæ diuinæ leges sit egressum, vitæ temperies corrumpitur, & sanitatis imperium violatur, tunc enim bellum intestinum est ortum inter elementa compositionem vel corporis, vel animæ, vel vtriusque vitam statuentia: nam vt elementa omnimodo sunt inter se ratione suæ originis opposita: videlicet, illud ignis aqueæ sphaeræ humiditatis portione, vtpote vxori terræ & tenebrarum, & quæ de frigiditate terræ communicat: & Terra Aëri, vtpote vxori, Ignis seu Lucis & qui de caliditate ignea est particeps, si modò, concordie vinculum ea in pace ligans sit violatum & solutum, necesse erit vt discordia & litigio afficiant totam machinam ita vt omnis iustitia ab illa Oeconomia excludetur, & consequenter valetudo & sanitas suam deperdet priuilegium, cum in nihilum redigitur eius imperium. Perquiritur igitur pacis ligamentum quo iustitiæ iterum trutinis quodlibet elementum pacifica rerum proportio ponderetur & frænis validioribus in locis suis ad compositionem constitutis, eorum quælibet amoris antiquissimi nexu & ligatura præeunte, retineatur.

Sanitatem ergò ex his videmus non esse vitam ipsam, sed complementi vitæ perfectæ, & minimè impeditæ effectum; hoc est, vitæ status ille qui in temperamenti iustitia, vel pondere se habet. Ultra quam metam si decrecendo perueniat vita, tunc languescere & extra sanitatis limites diuagare & errare dicitur, compositumque in eo statu ægrotare solet. Porro etiam quod ille ipse sit sanitatis author, qui est vitæ, initium certissimum in eo est...., quoniam sanitas sit nihil aliud, quam vitæ momentaneæ perfectio: at vero ipsam vitam à verbo & spiritu originem suam duxisse, antea est declaratum: unde sequitur, quod beneuola lucis diuinæ emanatione & afflatu creatur & præseruatur sanitas, vt vice versa, contractione vel auersione radiorum vitæ majori, aut minori à viuente, vel plus vel minus à sanitatis limitibus aberrare videtur, & misere viuere, & panem suum cum amaritudine comedere dicitur. *Increpat* (inquit Iob) *per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit, abominabilis ei fit in vita panis &c.* Modum vero quomodo sanitatem tollit Deus, optime describit Moyses, videlicet, *relinquendo homines & abscondendo faciem suam ab eis, quo obueniant eis mala multa & angustia.* Et Dauid dicit, *Emittente spiritum suum, recreat sanitate, abscondente faciem suam conturbat aegritudine &c.* Quare ubi ait. *Iehova lux mea, salus mea, à quo timerem? Iehova robur vita mea, utpote in quo est ipsa salus, quocirca non est iustus & saluans præter eum, visitatio enim eius conseruare solet hominum spiritus, & benignitas atque amœnitas eius est vitæ prolongatio: quoniam beneuola suæ lucis viuifica emissionem creata est vita, utpote quæ in solo verbo consistit, imo vero & ipsum verbum & Christus & mundi lux exiit, quare ille solus est hæc creaturæ vitæ lux, & salus, & robur. nam lucente facie eius saluabitur & quem visitauit salute sua, fruetur bono & fœlicitate.* Denique vitæ & consequenter ipsius sanitatis fons est penes Deum, nam ex vna parte spiritus passivus à materiæ potentialis est fonte, quæ patri refertur, & ex altera parte lux formalis & agens ex parte verbi seu filij, utpote qui est emanatio deliciarum & iucunditatis à fonte radicali: horum vnio est ipsa vita, vt testatur Hermes.

Iob. 33.
Deut. 31. 17.
Psal. 104.
Psal. 17. 1.
Psal. 3. 2.
Isai. 45.
Iob. 10. 12.
Psal. 90. 14.
Sap. 1.
Ioan. 1.
Psal. 27. 1.
Psal. 80. 1.
Psal. 106.
Psal. 6. 9.

Psal. 6. 9.
& 118. 6.
Psal. 121. 5.
Psal. 5.
Baruch. 6.
Psal. 10. 11.
Isai. 46.

Psal. 1. 7.
Psal. 18. 3.
Luc. 19. 19.

His ergo clarissime patet, quod sanitas sit vitæ ad iustitiæ & perfectionis metam seu mensuram exaltatæ actus seu effectus: quum è regione vitæ impeditæ & imperfectæ seu decrescens & debilitatæ effectus est ipse morbus seu infirmitas. *Quid ergo nocere potest creaturis, inter quas hominem nomino principem, quibus benignitas Iehovæ adest? Si Deus* (inquit Dauid) *nobiscum, quis autem quid, contra nos? Ille enim custos erit ei, ut Sol non percutiat eum diurno tempore, nec Luna nocte: ille n. præseruabit eum ab omni malo, ita vt nec cœlū nec terram, nec mare aut quicquid in eis, ei nocebit, ipse præseruabit animam seu vitam eius, ipse exitum præseruabit: nec enim pauorem timebit nocturnum, nec sagittam in die volantem, nec pestem in caligine inuadentem: plaga non appropinquabit tentorium eius: nam angelis suis præcipiet de ipso, & ad justam vsque & laudabilem conseruabit ipsum senectutem.* Nam Deus Israel dixit: *Ego ad senectam vsque ipsam: ego ipse & vsque ad canos, ego portabo, ego feci, ego feram, ego portabo & saluabo.* Quod omne præstare solet creator beneuole ostendendo viuificam vultus sui faciem creaturis, ipsasque ducendo in viam veritatis, quò dominium habeant in spiritus malignos, quorum est, deserente Deo lucis; ipsius creaturas malo, infirmitate & morbo afficere, quod quidem præstare nequeat, modò Dei beneuolentia eis adsit. *Lucem faciei tuæ* (inquit Propheta Regius) *attolle super nos, & efficiet, ut videamus bonum.* Nam Deus est iusti petra, propugnaculum & liberator, ac eorum salus. Qui in misericordia & benignitate dat hominibus facultatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, ita vt ipsis minime nocuerit. At vero è contra, auersione faciei, conturbatas relinquit creaturas & inimici potestati malignæ obnoxias reddit: Qui cum suis angelis a deo est fortis in priuatiua Dei proprietate, quam in manifesta & patente sua dispositione, sunt debiles atque impotentes. Qui-

Qui-

Quibus certiores sumus facti, quod Deus sit tam salutis & vitæ, quàm morborum & mortis actor & author radicalis; & consequenter, quod *in manu eius sit anima omnis viuentis, & Spiritus vniuersæ carnis*, quippe cuius manus omnia fecerit, eaq; presentia sua conseruare solet. Quare ipse solus est, neq; præter ipsum alius est Saluator, qui implet omnia (tanquam Philon) sapientia, qui dat & aufert pro bono suo placito: ipsos vitæ & lucis beneuolentia prosequens, qui eum timent & reuerentur: & è regione, illos odio, caligine & angustiis persequens, qui vias & semitas ipsius calcare recusant, eiusq; reuerentiam in contemptu habent.

Sap. 16.

Iob. 12. 11.

Eccles. 24. 27

Atq; hoc modo, satis luculenter, licet breuiter, sanitatis ortum, facultatem & effectum descriptum haberis.

Nunc vero vobis ostendemus qua ratione Sanitas, & eius contrarium tam animæ, seu Spiritus regionem (hoc est, cœlum Microcosmicum) quam eius corpus & terram ingredi aut penetrare soleat.

CAP V T I V.

Quod Sanitas requiratur ad vitæ tam Spiritus Microcosmici seu hominis interni (id est eius cœli) perfectionem, quam ad iustam eiusdem externi, hoc est Terræ, seu corporis temperiem. Et quomodo tam cœli humani valetudo, quam eius terra quandoq; vitari, atq; commaculari soleat.

TESTE Philosophorum Principe & Antistite summo, *Homo ideo vocatur mundi filius & imago*, quoniam *ex mundi partibus, videlicet, cœlo & terra componatur*. Vnde fit quod eius cœli natura, illius mundani, dispositioni & imagini quam aptissime adaptatur. Nam vt *cœlum seu Spiritus Macrocosmi Catholicus*, est totum illud quod in partes seu regiones tres natura & dignitate distinctas, diuiditur; videlicet *Empyrea*, quæ est Dei & Sanctorum sedes: *Ætherea*, quæ est Vitæ sacrarium & quintæ essentiæ regnum; atque tandem *Elementaris*, quæ est omnium infima: Ita quidem *hominis cœlum*, videlicet, *Catholicus ipsius Microcosmi Spiritus* in tot regiones ab inuicem dignitate differentes diuiditur; in quarum *Summa*, Mens diuina & Ratio Angelica dominium suum habet, vnde dictus est *homo*, templum Spiritus sancti, & regnum Dei intra ipsum esse fertur. In *media* regunt vitæ estq; Spiritus vitalis. Harum duarum regionum Spiritus est in se purus & incorruptibilis, quoniam incorruptibilitas & mutatio elementaris aufertur ab eo; non aliter, quam cœlo stellari, neque nubes tenebrosas, neque fulgura, neque cometas, aut chasmata, neq; nebulas, aut huiusmodi alia præter mundi naturam euenientia accidere percipimus. Atque huius rei causam in promptu habemus, videlicet, quoniam Litigium & Diabolus, à cœlis superioribus in infimum, elementarem dictum, præcipitatur, & expellitur, vnde dictus est, *princeps tenebrarum, qui dominium habet in aere*, cuius est pro possibilitate sua, omnia sublunaria perturbare, & tenebras, & nubes, & fulgura & chasmata, & presteres, & turbines, & typhones, & terræ-motus, & tempestates marinas, & inundationes, & morbos pestiferos, & assiduas mutationes tam elementis, quam elementatis inducere. At vero in superiora, quasi diuina sacra, ne digitum (vt aiunt) mouere, aut quicquã suscipere queat: quoniam ab iis locis in exilium relegatus est sempiternum: pari videlicet, ratione, vt in spiritu hominis catholico, mens cum suo vehiculo empyreo, infedit vitæ spiritui, vt & ille iterum in illo aëris quasi hominis interni seu cœlestis vehitur: ita quidem princeps tenebrarum cum suis consortibus, potest auersione faciei creatoris, spiritum hominis interni externum perturbare, & Meteora præter vitæ humanæ leges procreare timenda, ac horrenda: atq; ita humanum spiritum variis affligere simulacris falsis assolet, non aliter ad naturam

hominis pertinentibus, quam nubes, aut fulgura, aut venti, & istiusmodi alia ad naturam mundanam: quibus licet mediantibus Angelis suis nonnunquam tenebrosis, & quandoque lucidis patrare soleat Iehova tam ad beneficium mundanorum, quam ad ipsorum maleficentiam: tamen quicquid in hac regione, seu cælo elementari est actum, neq; perturbat, neq; villo modo mouet, aut vlla ratione impedimento est cælis superioribus, vtpote, qui nihilominus in motu suo, sine obstaculo villo pergunt, lumina sua vndique orbiculariter eiaculant, & influentias suas sine molestia in inferiora effundunt; vtcunq; ab inferioribus quandoque fortassis male... Eadem proculdubio est ratio in cælis Microcosmicis: nam licet eorum infimum sit variis meteoris, præter naturæ leges à spiritibus tenebrosis impeditum atque perturbatum: tamen reuera nec patitur cælum eius intellectuale inferioris insultus, nec interna vitæ Essentia, quam diximus esse purissimi Spiritus & lucis diuinæ vnionem; quippe, quæ reuera non obstante corporis dissolutione emorinon potest: sed est infima solummodo mundi regio, seu aerea mundi portio, quæ patitur istiusmodi alterationes. Vnde quandoq; hoc cælum Microcosmicum fulgure febrili, pluuis catharralibus, ventis hypochondriacis, nubibus & nebulis vaporosis, vertigines & scotomiam facientibus, tonitruosis rugitibus, & infinitis aliis istiusmodi symptomatibus morbofis affligitur & cruciatur. Hæc ergo est ratio, quod sanitas vitæ tranquillæ effectus sapicule tollatur, vitæque actio miserrima quandoque efficiatur: idque per occultationem faciei diuinæ. At vero si iterum ex gratia & misericordia sua emittat Deus faciem suam, non aliter fugantur aëris humani impedimenta, ita vt serenus & clarus iterum reddatur, & sanitas consueta concedatur, quam Solis in Macrocosmo apparitione nubes dissipari, tenebras fugari, aërem illuminari, & totam regionem elementarem à perturbationibus suis liberari cernimus.

Sic etiam emittente Deo aëri Microcosmico lucem & gratiam suam, maligni Spiritus tenebrarum, qui in occulta Monadis proprietate fortissimi & ferocissimi fuerunt, iam in manifesta sua proprietate debiles redduntur atque spiritibus lucis debellantur, pristinaque valetudo restituitur. Nam nisi Deus ægroto aderit propitius, neq; herba, neque malagma quicquam remedij afferre potest. Nam scriptum est, quod neq; herba neq; malagma sanauit eos, sed *misericordia Dei sanans omnia.*

Ad terræ autem seu corporis Microcosmici sanitatem, quod spectat, dicendum est plane, quod vt præter cæli, seu expansi dispositionem aëream: aër etiam vndiq; per terram perque aquam visibilem est dispersus, qui quandoq; inflammatus, typhones, ignes fatuos, flatuq; igniuomos generare solet: si vero Spiritu vehementer sicco exagitare, terræ motus & procellas aquosas, vapores pestiferos, nebulas voragines, inundationes paludosas, lacus, fontes, & huiusmodi alia: idq; prauorum & tenebrosorum spirituum impulsu: ita quidem res se habet in terra, seu corpore humano, in quo aër quandoque Proteiformis, tenebrarum principis agitatione, naturam igneam induere cernitur: & morbos in eo æstuosos facit, cuiusmodi sunt, gutta rosacea, erisypelas, Phlegmona, Herpes, Ignis saluaticus, & ille S. Anthonij, Bubones, & omnes aliæ in massa carnosa inflammationes. Si vero ipse via condensationis frigida coagulatur, ex eo Oedemata, & indensos, viscosos & crudos humores mutatur, quandoque in humorem hydropicum concreescens, corporis seu terræ Microcosmicæ molem vel vniuersam, vel secundum partes conuertit in naturam paludosam seu terram aquis vndiq; Si indurititem condensatur, topophos, scirrhus & nodos & verrucas, atq; huiusmodi alia in corpore excrescentia producere solet: quod enim ipsa caro nihil aliud quasi, quam aër potentialis sit, in eo declaratur, quod si ignis inclementiæ in aërem & quasi nihilum redigetur fere totum.

His

His igitur sat liquido elucescit, quod Princeps tenebrarum, qui potestatem habet in aëre tam supra terram, quam in terra sit paratissimus impios suos effectus in aëre tam corporis, quam animæ Microcosmicæ, Deo in proprietate sua priuatiua hoc permittente, nisi per proprietatem Dei contrariam prohibeatur in sua malignitate. Atque hac ratione solet ipse vitæ & sanitatis leges corrumpere tam in extrema hominis interni portione, quam in intima hominis interni. Salutem vero corpori humano tunc adesse dicimus, cum eius elementa in proportione & mensura æquali secundum iustitiam, vel saltem secundum pondus in eo disponuntur, atque Spiritu amoris ignei nexu forti simul in mixtione concatenantur. In quo statu à Deo beneuolo & patente, ministrantibus spiritibus lucidis & bonis præseruatur & retinetur. At vero, Deo occultante faciem suam & tenebrosis spiritibus corpori famulantibus, labitur homo à salutis statu, in dolorum & morborum infortunium. Hinc igitur concludit Sapiens, Deum tam vitæ quam mortis, & consequenter tam sanitatis quam morborum habere potestatem: quippe cuius est ad portas inferni deducere & reducere. Ipse est qui occidit & viuere facit: ipse qui percutit & sanat. Ipse qui tribulatione, tenebris, dissolutione & caligine persequitur. Et iterum: Ipse est solus, qui seruat de vniuersis malis & tribulationibus: non enim est alius Deus, qui saluare potest præter Deum Israel: Ipsius denique est in ira & noluntate indignari: in voluntate vero viuificare: nam tollit vitam contrahendo se seu veritatem suam in se, & viuificat, dando omnibus vitæ inspirationem. In ipso ergo viuimus & mouemur & sumus: in ipso etiam morimur, & in puluerem nostrum quiescimus & esse desinimus. Denique hic est ille, qui operatur in omnibus, quare, hic est ille Deus pacis, qui aptat homines in omni bono, vt faciant voluntatem eius. Hic, omnium viuificator, hic saluator noster, qui vult omnes homines saluos fieri: atque hic iterum, Ignis consumens: Deus bellorum & exercituum, increpans per dolorem, in lectulo, faciens animam ægroti, vt corruptioni appropinquet & vita illius, mortiferis.

Concludimus ergo, quod Deus in vna proprietate sua, videlicet, illa positiua, non modo vitam completam, sed etiam sanitatis temperiem efficit & præseruat: in altera vero, priuatiua videlicet, non modo sanitatis imperium tollit, verum etiam ipsam vitam doloribus, & infirmitatibus tabescere, & languescere facit: iuxta illud Psalmistæ regij Deo emittente Spiritum suum, recreantur creatura & satiantur bono: (hoc est, sanitate, & vitæ fœlicitate fruuntur) abscondente faciem suam, conturbantur: (hoc est, sanitate amissa, morbis & doloribus afficiuntur) recipiente Spiritum eorum, expirant, & moriuntur.

Quibus sat liquido explicatur: ipsum Deum vnicum & eundem esse cum vitæ & sanitatis, tum mortis & morborum authorem: sed in proprietate diuersa. In proprietate priori, positiua nempe, Deus pacis, lucis & vitæ dicitur, in quo sensu, de ipso sic loquitur Dauid: Quem Deus solus in tuto collocauit in pace simul cubabit & dormiet: hoc est, in sanitate & vitæ fœlicitate. Hinc etiam, ipsum expressis verbis vocauit Apostolus Deum pacis, loco antea citato. In proprietate posteriori, priuatiua scilicet, Deus iræ, vindictæ, terroris, & terribilis dicitur, vti in pluribus literarum sanctorum locis habetis declaratum.

CAPVT

CAPUT V.

De Salvatione: & quid interest inter salutem atq; saluationem, Quod veteres Sapientes Ethnici nil certi de mundi Salvatore intellexerint.

Aliquam inter salutem, seu sanitatem, & saluationem in variis Scripturarum locis fieri differentiam, percipiemus, si rem paulo auctiori intuitu respiciamus: tamen in locis quibusdam idem videantur significare.

Sanitatem, seu valetudinem definimus *vita momentanea seu primaria & presentis plenitudinis latitudinem seu effectum*: vel sanitatem dicimus *morborum & infirmitatum in hac vita absentiam*. Unde dixit Iehova, *Amouebo quem vis morbum è medio tui*. Et alibi. *Seruietis Domino vestro, & benedicet panibus vestris & aquis, & auferet infirmitatem de medio*. At vero *saluatio* proprie intendit summam & æternam in vita secunda benedictionem, tamen pro salute in hac vita quandoq; accipiatur: in quo sensu sic loquitur Propheta: *Deus non est alius, qui potest saluare præter Deum Israel, &c.* Sic erat in hoc sensu saluatio, videlicet, liberatio Danielis à spelunca Leonum, atq; trium filiorum Israel ab ignea fornace. Saluationem vero proprie acceptam intelligit, vbi in hæc verba loquitur: *Qui credit in ipso, non perit, sed habebit vitam æternam: in qua iusti fulgebunt sicut Sol, in regno Patris eorum*. At hæc est vera & æterna illa saluatio, mediante qua, filius hominis solet *saluum facere, quod perierat*, illud *resuscitando in nouissimo die, vt habeat vitam æternam*: in qua nec est morbus, nec infirmitas, sed sanitas perpetua: nam ipse homines noua vita viuificare tunc dicitur, quando essent mortui in peccato, secundum principem potestatis æris: atq; hoc fiebat multiplicatione lucis, dum lux habetur, quæ fit per fidem in luce vera: mediante qua, filij sunt facti lucis æternæ, splendore coruscantes & fulgentes sicut Sol: quo modo completur & perficitur saluatio vera, quæ nunquam morbidis impedimentis, aut passionibus malis subijcitur: quoniam à tenebrarum insultibus est omnino libera: quoniam in istiusmodi actu diuino præualere videtur lumen. Hoc autem totum luculenter ab ipso Christo per parabolam multiplicationis talentorum in decuplo & quintuplo monstratur: vbi per talentum aureum, aurum illud vitæ viuum à Christo emendum intelligitur: quod est hominis sola veritas: quæ à vero Christiano multiplicari debeat in hac vita: nam ea conditione cuiuslibet datum atque commissum erat illud veritatis lumen: vt sua industria, & mentis illius luminosæ virtute magnetica, radios seu scintillas sibi similes attrahat, quo in essentia pondere & virtutis mensura augeatur: vt suo incremento, regeneratione facta dominium habeat in tenebras. Sed hoc opus est valde mysticum, & à Christo atq; Apostolis more copioso, licet more satis ænigmatico nobis significatum: & per lucem mundi, sapientiam occultam, aurum talentum, regnum Dei, à grano in arborem grandem multiplicatum fidei granum sinapis instar, veritatem, atque huiusmodi alias appellationes: explicatum.

Saluationem igitur proprie dictam tunc fieri dicimus, quando scintilla incorruptibilis Dei Spiritus in homine, viuifica & præclara lucis increatæ in mundo (quæ est ipse Christus spiritualis) virtute multiplicabitur, præeunte qua homo totus vera resurrectione, deuictis morte, tenebris & ignorantia, in Christi imaginem transmutabitur: atq; vnus cum ipso fieri dicitur. Ex cuius consequentia, patebit quid sit *Saluator*: vid. *Lux illa increata: seu Emanatio sancta à facie Patris emissa: mediante qua, non modo vita viuit homo temporali, verum etiam æterna*; hic enim est *Spiritus mundi viuificans*, qui teste Apostolo, *viuificat omnia*: hic *Christus ille æternus, qui implet omnia*: Hic *Spiritus incorruptibilis*, qui (teste Sapientè) *inest omni rei*. Hic Spiritus ille, qui amicos facit Dei & Prophetas: hic

Spiritus

Exod. 25.
Exod. 23.

Dan. 3.

Ioh. 3. 16.
Mat. 13. 43.
Luc. 19. 9.
Ioh. 6. 39.

Ephes. 2. 1.
Ioan. 11. 35.

Spiritus ille, assistente quo, Christus homo mortalis, non modo Propheta, sed Propheta longe maior est factus, & ob eius in ipso exuberantiam, dictus est filius Dei, vnctus ab alto, impletus Spiritu sancto: vnde *Verbum in quo erat vita, per quod & à quo omnia sunt facta: lux mundi, à qua omnes homines, qui veniunt in hunc mundum sunt, erunt & fuerunt illuminati*: non quod à Christo homine hæc sunt facta, sed à Christo Spiritu increato, qui fuit ante omnia: mediante quo Christus homo per effectum nobis spem reliquit veræ resurrectionis. Hinc ergo omnes, qui vnctionem illam habent ab alto, dicti sunt Christi; de quibus intelligendus David, vbi ait in persona Dei; *nolite tangere Christos meos*: vbi per Christos intelliguntur Prophetæ Vncti: Hæc ergo lux est vitæ temporalis radix, & hæc eadem, illius æternæ Author, cuius portionis deperditione lapsus est primus Adam in tenebrarum, atque ignorantia Sphæram: eiusdemq; portionis in primo amissæ in Adamo secundo (quem ideo *viuificum, & Spiritua-lem* vocat literæ sanctæ) recuperatione è tenebrarum voragine iterum emerfit homo. Hinc ortus est *Iesus, seu Soter, vel Saluator mundi*, seu lux à Patre ante vllam creaturam emissa, qua mundani tenebris submersi & peccato mortui, iterum ad vitam, & sanitatem reducantur, & ab erroris semitis, in viâ veritatis deducantur. Hinc, inquit Psaltes regius: *Luce faciei Iehova, saluabimur*. Et Propheta ait: *Deus iustus, & saluans non est præter te. Deus Israel* (inquit Daniel) *ipse est liberator & saluator. Non est Deus alius, qui potest saluare præter Deum Israel.*

*Psal. 80. 4.
Isai. 45.
Dan. 4.
Dan. 3.*

Quibus fat liquido constat, quod non erat Christus homo mortalis, qui saluat, sed ille æternus & Spiritua-lem, omnia implens, qui est vere Deus, qui impleuit sua virtute Essentiali Christum hominem: ei nomen *I E S V S* attribuens respectu verbi viuifici, atque æterni (de quo librum scripsit Reuchlinus) quod inerat ad plenitudinem Mariæ filio. Vnde Christus quandoque locutus est in persona Diuinitatis, quam possidebat: verbi gratia, *veni à Patre, & iterum vado ad Patrem*: Et iterum: *Non ego, sed Spiritus, qui est in me*: & infiniti alij sermones in persona Spiritus diuini, proferebantur ab eo: At quandoque in natura sua carnea, & secundum carnem est loquutus. Erat ergo Spiritus hic Dei-formis, qui ipsum à morte resurgere fecit ad vitam æternam, cum tamen è regione, in natura sua humana erat mortuus. *Quid interest* (ait Apostolus) *Christum pro nobis fuisse mortuum, si minime surrexisset à morte, vana foret spes nostra*. Hinc ergo plurimum ortus est mortalium error, qui externam & ipsam creaturam pro interno creatore respiciunt: adeo, vt nullum omnino discrimen ponant inter carnem, & Diuinitatem in carne: vnde adeo obtusi sunt & hebetes eorum sensus, vt creaturam accipientes, atque adorantes pro creatore, idololatriam committant abominandam. Sic ipsi Ethnici, qui etiam mundi Saluatorem olfecerunt, hunc vel illum acceperunt hominem pro creatore: minime percipientes non esse hominem sensibilem, sed intellectualem & vere naturam in homine diuinam, quæ saluum facit, quæ etiam vbique extra hominem regnat in mundo tam Typico, quam Archetypico, ad rerum omnium existentiam à Patre emissa, & tamen à sinu paterno minime disiuncta: Sic asserit Apostolus *esse nobis vnum Deum Patrem ex quo omnia, & nos in illum, & vnum Dominum Iesum Christum, per quem omnia & nos per ipsum*. denique, *vnus est Deus, seu vnus Christus omnia implens, qui operatur omnia in omnibus: vnus Spiritus incorruptibilis in omni re, qui viuificat omnia*. Est ergo creatura, quæ à creatore impletur, in qua Creator operatur, cui inest & quam viuificat: atque hic est *C H R I S T V S I E S V S* verus, cuius cognitio vera atque Dei solius æterni, qui misit eum, est ipsa vita æterna & saluatio certa: nam *vnica mortalium salus* (teste Hermete) *est Dei cognitio*. Sed ad Ethnicorum incertitudinem vobis de Saluatore vero explicandam, atq; eorum de ipsius existentia opiniones enarrandas veniamus: quibus ipsos ipsius veritatis lumen de longe prospexisse iudicare possitis.

*1. Cor. 8.
Ephes 4. 8.
1. Cor. 12.*

*Io. h. 17. 2.
Pim. 10.*

H Eorum

Eorum ergo alij *Æsculapium* expectarunt, quasi eum, qui in hunc mundum esset Saluator venturus. Nam vt in Platonis Phædone habetur, Socrates venenosum & lethale poculum libaturus, & morti proximus *Æsculapio* Gallum offerendum, vt parenti suo *Apollini*, hoc est, primo & incorporeo Soli, æternæ vitæ dispensatori: animum tranquille morientis cum iubilo & præne redderet. Nam Gallus *Apollini*, qui *Sol* nominatur, sacer est, horarum & diei nutius lætus. *Æsculapius* autem dictus est à veteribus, Iubilatio, victoria & triumphus, qui *Pæan* appellatur. Hinc ergo Orpheus cecinit

Ἰότηρ πάντων Ἀσκληπιε, δέσποτα Παιῶν,
Ἐλθε μοίκαρ Σωτῆρ ἑιστῆς: τέλει θ' ἐθλὸν ὀπαζών:

Hoc est:

*Sanator omnium Æsculapie Domine Pæan,
Veni beate Saluator, vitæ bonum finem præbens.*

Porro etiam Iulianus Imperator in lib. 2. contra Galileos, dicit; quod Iupiter in suis intelligibilibus ex se ipso *Æsculapium* genuerit, in terram, per Solis genitalis vitam, destinauit: hic in terra ex cælo faciens progressum, vniformiter quidem in hominis specie, circa Epidaurum apparuit: auctus itaque hic successibus super vniuersam porrexit terram, salutarem eius dexteram, vt restauraret animas male dispositas & corpora inualide habentia. Imo vero iste Imperator videtur in loco alio asseuerare, se nouisse multos in maximis periculis, ab *Æsculapio* adiutos, & se ipsum ægre laborantē, sæpe medelis eius saluum euasisse narrat.

Alij existimauerunt *Herculem* Iouis & *Alcmenæ* filium fuisse illum mundi Soterem, siue Saluatorem, adeo à diuinis oraculis prædicatum: quod quidem inter alios, Thassij strenue defendebant: quare & monetæ publicæ hæc inscripserunt: *Ἡρακλῆς Σωτῆρ Θεσσίων*: id est, *Herculis Saluatoris Thassiorum*.

Porro etiam inter Celtas pro tali habebatur & venerabatur: eo quod morum erat formator, & omnis ingenuæ disciplinæ in cunctis terrarum orbis locis, præceptor.

At Ægyptij, & nonnulli alij suum Regem *Ptolomæum*: pro Saluatore mundi æstimauerunt: vt & Romani, *Curtium*: vtpote, qui sua morte, terram hiatu ingenti laborantem reddidit saluam. Atque ita multi alij suo more delirantes, & nihil certi annunciantes; Saluatorem à vatibus antiquioribus prædictum acceperunt, homines externos, & non internum Spiritum, à Deo immediate in hominem delapsum, pro mundi Saluatore accipientes. Pari etiam respectu, dicitur *IOSEPHVS* à Pharaone, mundi Saluator.

Gen. 14. 45. &
4. 25.

At quis hominum erat adeo Spiritu sancto repletus, ac fuit verus ille mundi *Saluator* & *Soter*? haud iniuria & ab ipso effectu *Christus* & *Iesus* dictus, non fictus more *Æsculapij*, aut *Herculis*, *Ethnicorum* Iouis: sed *verus veri Dei Iehouæ filius*: de quo scriptum erat, quod esset *Spiritu Dei viui plenissimus*: Anne aut *Æsculapius*, aut *Hercules* aut *Ptolomæus*, aut quis alius Paganorum Pseudo-Soter, ita diuinitate erat impletus vnquam ac ille, qui præter ingentia miracula in mundo edita, à mortuis vera resurrectione surrexerit? Anne verisimile videretur, iuxta Iuliani obseruationem: quod *Æsculapius* à cælo descendens in Epidauro specie humana appareret: vt restauraret animas? cum ab Historiographis fide dignis tradatur ipsum in vita sua nihil fecisse

nota-

notabile, præterquam, quod Hippolytum sanauerit? Imo quidem si hic Iouis aut Apollinis filij nomine sit dignus, cur fulmine tandem à suo tanto Patre percussus mortem obiit tam horrendam?

At vero hi omnes fictionibus suis Saluatorem reuera verum præfigurare sunt visi: vbi per Æsculapium ab Apolline ortum seu Ioue natum & à cælo descendente, arguunt Emanationem lucidã, mundi vitam & sanitatem ab ipso Iehoua fonte lucis æternæ emissam, quæ tum postea, carnem induens, dicta est caro fieri: non tamen ita, quin vt omnia etiam impleat, & vbique existat: sed in Christo Saluatore per supereminentiam abundabat, ... ei, ipsius Dei filij nomen imponens, vti supra dictum est.

Hæc ergo *Sapientia diuina*, est lapis ille angularis, qui omnia præstare queat miracula; hominesque à morte ad vitam æternam vera resurrectione eleuando: in naturam diuinam transferre. Viam istius miraculi, omni miraculo mirabilioris, neq; Æsculapius, neq; Hercules, sed verus ille *Soter*, verus *Iesus*, per Spiritus sui æterni potentiam nobis demonstraui primitus. Ipse deuicta morte, & quasi verus Apollinis intelligibilis splendor, seu emanatio, Pythonem serpentem tenebrosum ex terræ limo & fæcibus procreatum sua virtute interficiens; hoc est, Draconem & Orcum superando, fecit corpus suum mortuum à morte ad vitam æternam in forma gloriosa & præclara assurgere: vt nos ad illius exemplar spem certiolem virtute Spiritus illius æterni, similem habere resurrectionem, vitamque similem per Spiritualem *Iesum*, qui est ille Spiritus Catholicus, qui *viuificat vniuersa*; vtpote in quo solummodo (& non in alio) est *vita*, & illa vita est lux mundi, à qua mundus & omnia in eo, radicaliter sunt facta, viuificata, & in salutis statu, ratione admirabili & harmonia ineffabili præseruata. Mediante ergo isto Christo spirituali, seu *Iesu viuifico*, regeneratio facta est in hoc mundo: vnde dixit Sapiens. *Quis scire potest, quæ in cælo sunt? aut quis intelligit ea, quæ tibi placeant, nisi tu dederis sapientiam,* ^{Sap. 9.} *& miseris Spiritum tuum de altis cælis? sic correctæ sunt via Patrum, &c.* Porro etiam, assistente hoc Spiritu, Resurrectio facta erit in seculo futuro. Imo vero mediatione illius, omnia erunt noua facta: nam operante eo, cæli erunt renouati, atque ipsa terra rectificata.

Hic ergo habetis Spiritualem *Christum omnia implentem*, vt testatur Apostolus: sic intelligitis *verum Iesum* mundi vtriusque *Soterem & Saluatorem* vnicum: cuius solius est cum animam, tam corpus infirmum curare, mentemque sanam in corpore sano stabilire. Quem vt inueniamus, iubet ista Lux, in corpore humano seu domo argillacea inhabitans, vt pulsemus, quo aperiatur nobis, & vt quæramus, quo inueniamus.

Sed iam ad demonstrationem eiusdem Cabalisticam accedamus, in qua, proprietates seu emanationes vitæ & clementiæ iuxta veterum

Sapientum sententias, enucleare, atque

explicare aggrediemur.

H 2

CAPVT

CAPUT VI.

Quomodo binę proprietates diuinę, videlicet illa priuatiua, & hæc positiua, ab Antiquis Cabalę peritissimis, per nomen decem diuinorum in arbore Sefhirotica comprehensorum, naturas atq; conditiones significantur.

CAP. 10. Sectione 1. Part. 4. P. 2. Lib. 4. memb. 1. de Historia nostra Meteorologica, descriptam habetis naturam Arboris Sefhirotica, simulatq; rationem, cuiuslibet numerationi seu ramo Sefhirotico præsideat nomen Dei diuersum: vbi etiam demonstratum habetis, quod in Dei essentia non sit diuersitas, quippe, quæ est vnica in se identitas: quare non nisi vnicum ei attribuendum esse nomen Essentiale, ibi declarauimus: illudq; esse *Tetragrammaton*: quod est nomen eius inseparabile, vtpote ei soli appropriatum, quod includit iuxta Rabbi Mosis sententiam & arguit substantiam & esse creatoris, significatione pura, sine vlla cum creaturis participatione, aut ad eas respectu: nam alia ei assignata nomina, ipsum Deum denotant cum participatione, hoc est, respectu habito ad res creatas: & cõsequenter ab operum ipsius effectu dignoscuntur.

Hinc ergo erat quod *nomen* eius essentiale, non erat prolatum præterquam in Sanctuario, à Sacerdotibus Domini sanctis, idque in benedictione Sacerdotali à Sacerdote summo, in die ieiunij. Quare iuxta Rabbi Mosis Ægyptiaci sententiam istius nominis gradus est ita sanctus, vt illud temere ab ore non esset proferendum; quippe quod denotat Deum esse & fuisse super omnem Essentiam, quatenus, antequam res vlla esset, existeret.

Alia vero eius nomina Deum denotant ab operibus, & quatenus operatur omnia in omnibus, & in re omni existit. Atq; hoc erat nomen Dei pretiosum quod à Deo desiderabat Moses intelligere: à quo hoc fertur accepisse responsum אני , hoc est, *nomen meum in aeternum*. Quod quidem nomen est adeo purum & simplex, quod humana voce articulari aut componi nequeat.

At vero, quatenus diuina natura tam inest atque operatur in rebus creatis, quam extra: eatenus quidem *Tetragrammaton* est commune agens in quolibet arboris Sefhiroticæ ramo, & dominũ habet per vniuersum arboris illius truncum: cuius potestate & dominio Imperatorio subiiciuntur omnia alia eius *decem cognomina*, quę solummodo eius proprietates virtutumq; variarum effectus illius vnice & indiuiduę Essentię. Sic quidem inter cognomina Dei varia arbori Sefhiroticæ inscripta *Ehieh* importat omnium creaturarum fontem & originem, syncerę misericordię & clementię fundamentum, omnibus gratiis plenum, omnibus parcens, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis: quem Christus docet orare, in ista formula, pro beneficiis paternis: *Pater noster, qui es in cælis &c.* Atq; hinc dictum est, quod *Pater non iudicet quempiam*. Porro appropriatur Patri, quoniam Patris officium est semper cum filiis, clementer & beneuole agere. Quomodo autem Pater misereatur filiis declarat David Psalm. 103. Quare hoc nomen, quasi totius ordinis Sefhiroticæ Præses, *numerationi*, seu *porta lucida*, seu ramo arboris Cabalisticę capitali assignatur, qui *ramus*, vel quę *numratio* seu *porta lucida*, seu Emanatio sacrosancta, ob istam causam dicitur *Cheter* seu *Corona*. Nam vt *Cheter* est quasi arboris totius Radix: ita quidem *Ehieh* est Pater & Radix omnis creationis. Quibus admonemur, quod ista Emanatio sit primus totius dispositionis seu proprietatis Dei positiuę seu viuificę gradus, & consequenter in clementia & misericordia versetur, quatenus in creatione, atque in creaturarum viuificatione videtur delectari.

Porro vt cognomen Dei secundum in ordine Sefhirotico est *Iah*; quod in mundi formatione & naturę humidę è Chaos ventre extractione exercetur:

tur:

tur: ita quidem istiusmodi emanatio seu porta lucida, cui præest Iah, ab effectu proprietatis illius cognominis, dictatur *Hochma*, id est, *Sapientia*: vnde scriptum est, *Quando formabat cælos de super, quando roborabat fontes abyssi, quando ponebat mari statutum, cum statueret fundamentum terræ, ego Sapientia eram apud illum velut alumnus, cuncta componens. Quando fecit ventis pondus & appendit aquas in mensura, quando ponebat pluuijs legem & viam procellis sonantibus, tunc vidit Sapientiam.* A benigna etiam eius dispositione dicitur Sapientia esse *spiritus mitis benignus, amans bonum: & alibi quod, à Deo hominibus concedatur, ut eis ostendat, quam sit eius voluntas.* Veruntamen, ut animaduertitur, hæc emanatio inter *Cheter & Binah* collocatur: quarum illa clementiam, hæc vero seueritatem importat: Ita quidem cognomen Dei *Iah*, cuius influxus, est ipsa *Sapientia*, videtur aliquando circa punitionem & seueritatem versari, quamuis hoc admodum sit rarum, vnde dixit Iehova, de *Angelo seu sapientia* loquendo: *Ne exacerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo.*

Prov. 8.
Iob. 28.

Sap. 7.
Sap. 9.

Exod. 23.

Hic ergo habetis proprietatem duplicem in vna eademque porta lucida comprehensam: vid. priuatiuam, sed illam in proportione minori, atque positiuam, atque hanc in mensura maiori atque respectu validiori: vnde eius clementia superat longe eius seueritatem.

Cognomen tertium est *Elohim*, cuius proprietatis in numerationis seu emanationis tertiæ appellatione, quæ est *Binah*, seu *Prudentia*, lucide explicatur. Et Cabalisticæ volunt, quod nomen *Elohim* arguat pauorem & terrorem, quatenus per istam Dei proprietatem, adueniunt vtrique mundo seuera accidentia, & punitiones atque strages: Nam mediante hac sua dispositione, Deus exercet potentiam suam, tam ad subitaneas mundi alterationes, quam in puniendo flagitiosos. Hinc dixit Sapiens: *Spiritus potentia Dei ventilans & iustitia persequens injustos.* Et alibi: *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens in ca-pite impiorum, quiescit.* Sic *Isaias* ait; *Obstupescite & fluctuate, quoniam miscuit vobis spiritum soporis &c.* atque infinita alia effectuum istius proprietatis exempla in Pagina sancta sunt reperienda, de quibus hoc in loco, breuitatis causa, nihil dicam. Sed testantibus Sapientia veteris Doctoribus: Deus *Elohim* in hac sua proprietate, quasi instrumentis vititur Angelis: qui ob istam rationem dicuntur *Bene Elohim* ab Hebræis: hoc est; *Filij Elohim*: voluntque in Cabala peritiores, quod mundi plaga à qua emittuntur huiusmodi *Dæmones*, seu spiritus turbulenti, sit *A quilo*, quippe à quo omne malū seu pœna expeccato. A ctioni huius proprietatis attribuuntur mutationes & alterationes omnes elementares à constrictione & condensatione, in nubes densas, niues, grandines, glaciem, pruinas, & omnes flatus frigidi vitæ inimici: atque hæc est ratio, quod Saturni influentiæ naturæ viuificæ tam aduersæ sint, utpote quæ ab hoc fonte seu porta lucida impluuntur in orbem Saturni; à quo postea, in elementa effunduntur, uti suo loco clarius dicetur.

Sap. 11. 21.
Ierem. 30. 33.
Isai. 29. 9.

Videtis ergo, quod tota arboris Cabalisticæ vis in his tribus primordialibus ramis dependeat, non aliter quam mundus Typicus ab illo Archetypico, qui in proprietate trina, personis in Trinitate Sancta relata consistit. Nam tria in mundo intelligibili hoc idem denotat & importat quod 7. in Typico. Nam 2. est Materiæ radix, ut & 3. Formæ. Ut autem 1. est radix formalis ad 3. & materialis ad 2. Ita quidem 2. est radix materialis ad 4. & 3. formalis ad eundem: qui simul vniti constituunt numerum septenarium: ex quo totus mundus Typicus est formatus.

At vero, ut per ternariam proprietatem, hoc est per prudentiam Monadis radicalis, stricta facta est inter 3. & 4. Vno: Ita litis cum amicitia nexum facit illa inuolabilem, quo tam tenebrosa materia quam lucida forma in vnum iuncta, quandoque litigant, & more tumultuoso agunt, præcipue vbi materia tenebrosa dominium habet in regno elementari; uti in Tonitru apparet, vbi

Sap. I.

ignis in densa & tenebrosa nube contractus, erumpit non sine strepitu tumultuoso: Ita ut constet, quod in prima ternariæ proprietatis parte clementia arguitur sincera per dispositionem positivam. Nam Deus latens jam patet solummodo ad mundi creationem juxta illud Sapientis: *Deus non creavit mortem: sed fecit omnia, ut essent. &c.* In ultima, seueritas & perturbatio declaratur per dispositionem priuatiuam seu contractiuam & constrictiuam. Denique intermedia, tam de clementia quam seueritate participat: At vero quoniam ejus miserationes longe sunt ejus seueritati anteposendæ; ideo ista intermedia millies magis circa misericordiam versatur, quam circa vindictam aut terrorem.

Hic ergo proprietates binas vnius Monadis expressas in Archetypo habetis, vid. illam patentem ex vna parte, & illam latentem ex altera: & ut ambæ hæ fuerunt in potentia in Monade radicali, sic etiam cognomini *Iah*, potentialiter insunt: atque hæ tres ad trium priorum creationis dierum opera, in quibus mundus est completus, spectant. *Septem* autem sequentes *Sephirota*, ad varias in Mundo jam completo alterationes, tam faustas & propitias quam infastas attinent. Nam *Sephirota*, id est numerationi seu *porta lucida*, atque emanationi *quarta* præsidet nomen Dei *El*. quæ ob beneuolos istius nominis effectus dicitur *Chesed: seu clementia*: cujus influxus sunt gratia vita bonitate plena: unde experientia comprobatum est, quod ejus influxus in orbem Iouis infusi, inferiora vita foueant, summaque pietate & clementia, vita præditis succurrat. Ab hac ergo numeratione impluuntur in inferiora per suum canalem seu portam lucidam, vitæ, gratiæ, sanitatis & conseruationis seminaria.

Quintæ numerationi præest *Elohim gibbor*. Vnde violento illius proprietatis effectus, dicitur hæc porta lucida *Gebura*, hoc est, *Potestas & Robur*: In qua proprietate dictus est Deus elementa è turbidi Chaos visceribus deprompsisse. Atque hæc denotat violentiam, seueritatem, iracundiam, iudicium & punctionem peccatorum. Mediante qua, influunt in inferiora, per Sphæram Martis, Pestis, fames, bellum, rapinæ, desolationes, Tonitrua, cometæ, & istiusmodi.

Vnde patet, quod ut nomen *El*, per ejus numerationem *Chesed* promittit creatoris omne bonum: ita è contra, *Elohim gibbor* per ejus portam *Geburah*, emittit in creaturas mundanas seminaria, seu influxus maleuolos per orbem Martis, qui ob istam rationem ab Astrologis dicitur *Infortunium minus*, ut Saturnus *Infortunium maius*, ob maleuolos & frigidos ac congelantes ejus effectus.

Porta lucida ordinis sexti dicitur *Tephereth*, quæ denotat *gratiam, ornamentum pulchritudinem & delicias*. Quem quidem decorem à proprietate cognominis *Eloah* quod ei præest, accepit. Hinc ergo influxu istius canalis informat in sol cælestis & claritate sua admirabili & virtute viuifica decoratur, ut ejus splendore cæli ornarentur, juxta illud Iobi: *Spiritu suo ornauit cælos*. Hinc ergo est quod à sole in inferiora, tam vitarum quam claritatum vigor ejaculetur, unde tam regnum Minerale, quam vegetabile & animale crescit & multiplicatur.

Iob 28.

Septimum ordinem supplet Numeratio *Netzeth*: quæ importat *Triumphum & Victoriã*: atque etiam *charitatem & iustitiam* atque *amorem*, unde hanc sequuntur multiplicationis & generationis influxus, qui descendunt in sphæram Veneris, quæ ob istam rationem dicitur *Fortunium minus*, ut Iupiter, *Fortunium majus*. Nomen Dei, à quo istiusmodi procedunt effectus: est *Iehova Sabaoth, Dominus Exercituum, & Deus Iubilationis & Perfectionis*.

Octaua porta lucida vocatur *Hod*: quasi *Laus, honor & formositas*: huic præest *Elohim Sabaoth* seu *Deus exercituum*, in qua operatur pro voluntate sua in sphæram Mercurij influxus suos mutabiles.

Nona

Nona Dei appellatio, est *El chai*, id est, *Deus viuens*: aut *Sadai*, quasi *Deus omnipotens*: seu sibi solummodo sufficiens: atque eius Numeratio dicitur, *Iesod*, id est, *Basis, fundamentum, redemptio, quies*; & in orbem Lunæ influxus iuos emittit.

Deniq; Numeratio decima dicitur *Malchut*; hoc est, *Regnum, Imperium Templum Dei*: & hic liberos suos influxus in elementa tam mundi quam hominis.... Nomen Dei huic præsidens est *Adonai* seu *Dominus*, atque ista Numeratio importat seueritatem & seruitutem ad ipsum Deum in iracundia sua mortalibus prædominantem.

Quibus recte consideratis, videre fas est, quod in omnibus Essentiæ diuinæ proprietatibus seu operationibus in mundo, siue sit ad pœnam & flagellum; siue ad beneficentiam, Deus sit magis ad clementiam & misericordiam pronus quam ad seueritatem: nam

In *primi* nominis sui proprietate, extendit charitatem suam è tenebris in mundum, sicut pater filio, vnde & *Mundum Dei filium* vocat Hermes.

In illa *secunda*, mediante sua sapientia, ad res creandas est procliuior, quam vt genus humanum pro peccatis affligat, quemadmodum ex his verbis ad Israelitas videre est: *Deus Iehoua est longanimis multus benignitate, condonans iniquitatem & defectionem, qui prorsus non soluit fontem, &c.* Porro, quod Angelus qui præcedebat Israelitas in deserto, esset ipsa Sapientia; alibi declarabimus, de quo dictum est. *Ecce mitto Angelum meum ante te, vt conseruet te in via tua & conducat te in locum quem preparavi pro te. Ne exacerbés eum, quia non feret defectiones meas, quoniam nomen meum est in eo.*

In *tertia* cognominis proprietate: securitas, iracundia & crudelitas includitur.

In *quarta*; *El* est nomen misericordiæ: vt in *quinta*; *Elohim gibbor*, seueritatis. Sic *Eloah* clementia, vita & pulchritudine impletur, & sic in cæteris.

Sed ne quis Momus, cuius fursuris est Marinus Merfennus Monachus, aut more cachinnoso, aut cauillandi studio, aut malitia incitatus aduersus doctrinam Cabalisticam; aut potius ignorantia occæcatus; obiiceret: Quid nobis ista tua scientia Cabalistica, qua nihil in orbe vanius? (ore fere Monachi iam loquor qui homines à Cabalisticæ scientiæ studio suadere anilibus suis rationibus aggreditur) aut; Quomodo probandum sit, hoc, vel illud Tetragrammati nomen, habere hanc vel illam proprietatem, vel actionem variam in hoc Mundo, videlicet; vnã ad clementiam; aliam, ad seueritatem multiformem? Quibus respondeo iuxta veterum Sapientum obseruationem, quod ab effectu iuxta literarum sanctarum testimonium, hoc demonstratur verum, verbi gratia: Moses in oratione sua pro recuperatione sanitatis Mariæ lepra affectæ, vtitur nomine Dei *El*, dicens, *El narapha*. Ac si dixisset: *O El*, id est, *Deus gratiæ & clementiæ, rapha*, hoc est, *sana: na, queso, illam*.

Sic ergo per effectus qui nominis diuini pronunciationem in Textu sacro sunt insequuti; de natura & proprietate nominis iudicauerunt Doctores Hebraici: non aliter quam ab aspectu Physiognomico, naturam & proprietatem complexionis: vel ex signis Cæli, eorum effectus, vt in pluuia, ventis, tonitru & istiusmodi aliis obseruamus: quoniam videlicet tales in cælo obseruationes proferre solebat, ideo apparentibus illis præsagiis, dicimus statim tales effectus euenturos in mundum.

Sed ipsam diuinitatem in suã misericordia magis versatam dicimus quam in proprietate contraria: quoniam (vt dictum est) per paternam primæ portæ proprietatem omnia fecit; non vt interirent, sed vt essent. Ideo maior longe est Dei misericordia, quã seueritas: quod etiam satis aperte agnoscere videtur

Textus

*Iona 4.
Psal. 36. 15.*

Eccl. 2.

Roman. 12.

Sapient. 11.

Textus sacer: vbi inuenimus, quod *Deus sit clemens, misericors, patiens, & multa misericordia & ignoscens super malitia.* Et Psalmista ait: *Tu Domine miserator & misericors, patiens & multa misericordia.* Et Sapiens ait: *Deus pius & misericors est, remittit in die tribulationis peccata:* Et Apostolus ait: *Donec benignitate patientia, longanimitate ad pœnitentiam te adducat.* Denique quam optime describit Sapiens hanc creatoris erga creaturas benignitatem, in his verbis: *Quinetiam vno afflatu cadere potuerunt in iustitia persequente & ventilari à spiritu potentia tua: verum, omnia numero mensura & pondere disposuisti: nam quod multum potes, hoc tibi semper adest. Misereris autem omnium quia omnia potes; & dissimulas peccata hominum, vt resipiscant: nam diligis omnia quæ sunt, & nihil abominaris eorum quæ fecisti, nec enim comparasti quicquam, vt haberes odio: Ecquid autem mansurum fuisset, nisi tu voluisses, aut conseruatum fuisset, quod non accersuisses? Sed parcis omnibus, in eo quod tua sunt O Domino, animarum amans, &c.*

Quibus innuere videtur Sapiens, quod Deus sit ad misericordiã, & clementiam admodum pronus, & ad vindictam tardus: quamuis in eius manu sunt bonum, malum, vita, mors, &c. vti *supra* est testimonio literarum sanctarum confirmatum.

Concludimus ergo, quod omnia hæc Dei cognomina, à proprietate in arbore Sefhirotica, comprehensa; tam in clementia quam seueritate, sub vnico illo nomine Essentiali $\Gamma\eta\eta$ continentur, quod sua virtute implet vniuersum arboris sephiroticæ truncum: non aliter quam vbique Mundo adesse, & omnia implere dicitur. Vnde patet, quod istud nomen duplicem vnius monadis radicalis, à qua exurgit, naturam & potestatem in se retinet: videlicet tam positiuam, quam priuatiuam; quarum priori ad clementiam magis est procliuæ. Nam in positiuam suam naturam, naturali inclinatione, versatur ad vitas dandas, & ad beneficia creaturis impertienda potius, quam exitium aut maleficia: vnde in hac sua proprietate dicitur omnium misereri, & dissimulare peccata hominũ, & nihil abominari quod fecit, sed ideo omnibus parcere, quoniam sua sunt, quoniam amat animas; vtpote quas ille in benignitate sua produxit, vid. in nominibus suis, *Ehieh, El, Eloah, Iah, &c.* At vero cum naturam suam priuatiuam, seu contractiuam induit, dicitur, *inimicos suos tribulatione, tenebris, dissolutione, & angustia, persequi.* Dicitur, *aquas ita cohibere, vt arescant, atque ita condensando aerem; eas emittere vt subuertant terram:* Dicitur, quod *apud eum sit errans, & in errorem inducens; & efficere vt consulti deueniant in dementiam: & vt iudices stulti reddantur; ita vt tanquam ebrii palpent in tenebris deficiente luce.* Sic spiritu potentia sua, dicitur *ventilare & iustitia persequi iniustos.* Sic *aquas maris in cumulum congerit.* Sic *visione Dei irati aquæ formidarunt & commoti sunt abyssi, & sonum ediderunt superiores nubes: etiam lapilli sui peruasurunt.* Sic *obtegit cælos densis nubibus.* Sic *niues sicut lanam edit, pruinam, quasi cinerem dispergit, gelu tanquam frustra deicit; frigora tam vehementia emittit, vt nemo coram eo consistere poterit; Sic turbo eius furorque, dicitur egredi; procella ruens in capita inimicorum; Sic mittit spiritum soporis & miscet hominibus, ita vt fluctuent & vacillent, & inebrientur quasi.* Sic Spiritum excitat qui *mendacia emittat in os prophetarum.* Sic *immittit in homines iram indignationis suæ, iram & tribulationem per malos Angelos.* Sic spiritus Dei malus dictus est *possedisse Saulem.* Sic in Macrocosmo. *Inclinauit cælos, descendit, & caligo sub pedibus eius: & posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cælorum: sic tenebras induxit in Ægypto palpabiles: Sic moriente Christo tenebræ vniuersales, Dei irascentis argumentum sunt procreatæ: Sic in Microcosmo ortæ sunt perturbationes & morbi; & infirmitates stupidæ & frigidæ; videl. auersione faciei Iehouæ, presentia cuius est vita; Sic moritur homo receptione & contractione vitæ spiritus in se.*

Quandoque seueritatem suam tam dilatando se quam contrahendo se simul, in vtrumque mundum exercet. nam quatenus nominis Essentialis virtus vbique

Isa. 8.

Iob 12.

Sapient. 11. 21.

Psal. 33. 7.

Psal. 77. 7.

Psal. 14. 7. 8.

Ierem. 30.

Isa. 29. 9.

1. Reg. 22.

Psal. 78.

2. Reg. 22.

Exod. 10.

vbique in arbore Sephirotica seu Cabalistica dilatatur, atque Monadis suæ identitatem nihilominus retinet: ita quidem necesse est, vt eadem Essentia exerceat tam vitæ quam mortis, tam clementiæ, quam seueritatis effectus, idque per proprietates siue positiuam siue priuatiuam: vid. in *Cheter*, seu *corona* quasi radicali emanationis & reuelationis suæ decreto & voluntate, clementia & misericordia quasi Patris in filios seu creaturas, quatenus facere & creare in animo erat. In *Binah*, proprietate frigida & constrictiua, quæ vitæ opponitur, vtpote in qua tenebræ regnant; nam subtilis condensatione procreantur tenebræ. In *Chesed*, clementia & vitæ pabulum datur. In *Gebura* seueritas & punitio per igneam & destructiuam naturam. Sic Deus dictus est *ignis consumens*, atq; ita in cæteris, secundum numerum & naturas planetarum, qui omnia inferiora iuxta multiformes vnus Essentiæ diuinæ proprietates, disponere, atque ordinare dicuntur: mediantibus nuntiis, & emissariis Angelicis: quorum est immediate (teste Psalmista Regio) *verbum efficere & placitum Dei prestare*: vnde & Angeli sunt Organa Dei mediata, quippe, qui lumina cuiuslibet portæ lucidæ recipiunt: ita quidem Stellarum est, luminariorum illorum seminaria immediate ab Angelis capere: vt ventorum à stellis, & elementorum à ventis, & animalia vegetabilia & mineralia (quatenus elementata) ab Elementis.

Deniq; quomodo Deus vnicus in bina sua proprietate simul: & tum postea in decupla ex bina specialiter deriuata, tam naturaliter, quam in iracundia sua operetur in vtroq; mundo: *Tractatu sequenti* declarabimus, vbi de supercælestibus morborum causis primariis, seu essentialibus verba, Deo annuente, faciemus.

Iam vero ad partem tractatus huius secundam saltu quidem leui progrediemur: in qua declarabimus quomodo proprietatum Monadis primariarum effectus proueniat immediate ab ipsis creaturis Angelicis: & qua ratione, tam sanitatis, quam morborum actus ab ipsis multiformiter perficiantur.

LIBER PRIMVS.

DE

ANGELICA SAL-
VTIS RATIONE.

CAPVT I.

In quo declaratur, quod Deus in hunc mundum mediantibus creaturis Angelicis operetur tam ad Salutem, quam ad infirmitatem. Et quomodo omnes Angeli, seu tota natura Angelica, includatur in magno illo Angelo Mitatron, quem Scripturę dicunt Sapientiam.

Reuchlin.



NON absurda erat ista Sapientum veterum assertio, Angelum esse Virtutem quasi inter Deum & naturã, mediã: in qua fiunt operationes in rebus, quas natura earum, vel non faceret, vel non sic faceret: quas alij dicunt provenire à proprietate occulta, & alij quia tale. Nam si naturæ Angelicæ dispositionē recte animaduertamus, percipiemus quidem ipsam esse mediam, inter vnitatē diuinam & ipsam creaturam compositam, non aliter quam numerum binarium, medium esse obseruamus inter 1. & 3. Angelum ergo *alteritatem* dicunt: vt ipsam naturam simpliciter diuinam, identitatē. Atque ideo eam, alteritatem vocarunt, vtpote: qui ex duobus est compositus, more columnæ illius, quæ præcedebat Israelitas, quæ ex nube & igne erat conflata: Sic & Angelus pro suo interno, Emanationem lucis diuinæ habet: pro suo vero externo purissimum & subtilissimum mundi Spiritum creatum: qui ei loco corporis est Organici, ad lumen diuinum, iuxta proprietatis portæ lucidæ, illud emittentis naturam suscipiendum adaptati: atque hinc est, quod quandoque Spiritus dicitur Angelus à Textu sacro; quandoq; Emanatio diuina: imo vero & ipse Deus respectu Diuinitatis, quam in se recipit & continet: quare à Theologiæ patribus dicitur manifestatio luminis occulti: quia per viam influentiæ recipit lucem diuinam: quæ in se est incomprehensibilis & abscondita: illamq; emittit & manifestat Angelis inferiorum ordinum: atq; ob istam rationem *Speculum dicitur potens recipere lumen Dei*. Hinc igitur, alij volunt, quod quo magis substantia hæc spiritualis in Angelo est simplicior, eo magis à materia distat, & consequenter tanto magis, similitudo seu claritas Dei in eo relucet, expressius & clarius: non aliter, quam in politissimo speculo: & viceversa sequitur, quod vt influenza fœlicitatis diuinæ sit copiosior & dignior in Spiritibus purioribus: sic grossioribus & opacioribus magis parce & more viliori adest: vnde pro spiritibus tenebrarum potius, quam lucis, sunt habendi.

Ab istis ergo Spiritibus sic illuminatis, corpora tam superiora, quam inferiora, vel maiori vel minori lucis fœlicitate ornantur: & consequenter magis vel minus à priuationis & tenebrarum laqueis liberantur. Nam vt à Deo immediate accipiunt vitæ lucidæ virtutem: ita ipsorum est, inferioribus eam impertiri: quo ipsa, vita & esse diuino recreantur. Ista est igitur ratio, quod Cabalistsæ volunt, nullum esse animal, herbam, seu plantam, aut minerale in terra, cui non sit Stella in firmamento, quæ sua influentia percutiatea, & dicat eis:

eis:

eis: Crescite. Porro etiam, cum hoc conueniunt Scripturæ sacræ. *Num nosti* (in-^{106.38.} quiunt) *leges cœlorum: si posueris præfectum seu præsidem, seu exequutorem eius in terram?* Nam vt substantia Angeli est Organum, radios diuinos immediate suscipiens: ita Stellæ luces & actus voluntatis diuinæ immediate ab Angelis suscipiunt: mediantibus quibus, conuertuntur in gyrum: vt circulariter influxus suos impluant in creaturas Dominationi suæ subditas.

Hinc ergo liquet, quod vt in quolibet compositorū regno inueniantur alia aliis natura & conditione oppositissima; ita vt alia aliis toxico & veneno periculosiora sint: sic quidem certum est, quod Stellæ Stellis, & Angeli Angelis: quia proprietates diuinæ emanationis, proprietatibus aliis sunt natura & conditione contrariæ. Hinc vitæ & mortis, sanitatis & morborum occasio: atque hæc est ratio, quod herbæ vnus natura & proprietas est illius contrarij effectus curare: hoc est, morbidum influxus contrarij effectum tollere soleat.

Dicimus ergo, quod quicquid traditur in literis sanctis à Deo fieri in creaturis: illud mediantibus suis Angelis fieri necesse est: quod quidem sic probamus: quoniam videlicet, *Angelus* Græce, Hebraice, *Malach*, *Nuntius* latine, nomen est officij, & non essentia: nam sic, Spiritus dicitur. At vero Deus emissiuæ suæ potentia seu virtute omnia creauit: quare ille *Spiritus* à sancto Monadis sinu emissus vocatus est *Angelus*, quasi nuntius: quem *Sapientiam* dictitarunt sacræ Scripturæ: vnde dicitur, *Emanatio sancta & claritas virtutis Dei, & Speculum* ^{Sap. 7.} *sine macula bonitatis illius, quam misit è sanctis cœlis.* ^{Sap. 9.} Mediante ergo Angelo hoc Imperatorio, omnia creauit & fecit, quem ob istam rationem, *Mundi animam* ^{Eccles. 1.} vocauerunt Platonici: & Sapiens: eam fecit *primam rem creatam, qua omnium rerum creatarum perfectionem in se continet.*

Hunc, Cabalistsæ *Mitatron* dictitarunt, & *principem facierum*: cuius est animas producere coram faciem Dei. Et alij eum pro Messia ponunt, seu benedicto Christi Angelo omnia implente: vnde Christus in multis Paginæ sanctæ locis pro Angelo habetur. Et *vocatur nomen eius* (inquit Propheta) *magni* ^{Isai. 6.} *consilij* *Angelus.* ^{Exod. 23.} Similiter, inter Deum & hominem dictus est *Mediator*. Alij sumunt eum pro Angelo illo, *in quo dixit Iehoua nomen suum fuisse inscriptum*: hoc est, ipsam *Sapientiam*: quare ipsum administratoriorū Spirituum principem fecerunt & ducem: tam in directione & tuitione, quam aliorum bonorum distributione creaturis: inde concludentes, omnes alios administratorios Spiritus in eo, quem alij *Michaelem* dixerunt, tanquam speciei Angelicæ communi appellatio includi, atq; comprehēdi: quibus certiores sumus facti: quod Angeli seu Spiritus omnes sint eiusdē speciei: qua nihilominus corporum variorum tam cœli quam terræ virtutibus & operationibus facti sunt præfecti & retores: iuxta variam velle diuini proprietatis rationem: non aliter quam varios Solis vnus radios natura minime distinctos, varios proferre effectus obseruamus: vid. alij desiccant, alij comburunt, alij solatium afferunt creaturis: alij alijs obnoxij sunt, &c.

Hic ergo Angelicæ naturæ fons, ideo *Mitatron* & *intellectus agens* dicitur à Rabbi Mose & *præfectus vniuersitati*: vtpote à quo gubernantur & reguntur omnes & singulares virtutes, omnesq; formæ influunt quotidie. Quare iuxta doctrinam Rabbi Breseth: Creator dicitur quotidie creare cœlum Angelorum quos alij vocant formas: vtpote, qui sunt substantiæ formales, quibus tota sphaera generabilium & corruptibilium est plena.

At vero quoniam propter rationes à nobis *supra* allegatas, Iehouæ virtus occupat totam vim Arboris Cabalisticæ, quæ tam ad seueritatem, quã ad clementiam, quandoq; extendit se: ideo quidem certum est: quod ista Emanatio vniuersalis: quandoq; seueritatis leges amplectatur, licet ad illas minime procliuis, nisi excitatur: & quandoq; ad misericordiã, ad quam est admodum pronus: quoniam ad creationem, vitam, & beneficium mortalium est emissus &

Exod. 23.

non ad mortē aut destructionē, vnde de ipso sic loquitur Iehoua; *Ecce mitto Angelum meum ante te, vt conseruet te, in via tua. Noli exacerbare eum, quoniam non feret defectiones vestras: quia nomen meum est in eo, &c.* Sed ab effectu hoc Israelitis comparebat: nam vt ipsos in obedientia sua manentes nutrebat nouo pane & carnibus, eisq; aquam è scopulo duro præbebat: ita quidem in inobedientia sua, ipsorum plurimos nece & morbis afficiebat. Quare liquido indicatur, quod Angeli tam vindicantes quā saluantes sint ab eodem principio Angelico: cuius est tam clementia quam seueritate affici. Atq; omnes radios ab ipso, ad voluntatem Monadis radicalis siue sit in positiua seu priuatiua sua natura complendam emissos: Angelorum emissariorum nomen, atq; esse habere certum est; qui non aliter in suo fonte Angelico seu primo motore manent, quam radij solares in Sole.

Psal. 103,

Voluntas ergo Patris est in filio, quem mittit: & ille identidem emittit velle paternum, vt exequatur. Quæ quidem emissio est dispositio Angelica non magis à fonte suo diuisibilis, quam pars à suo toto. Hinc ergo dictum est à Psalmista regio: *Angeli Dei validissimi robore, efficientes verbum, ministri eius, quæ facitis voluntatem eius.*

Hic ergo habemus modum, quo Deus tam ad bonum quam ad malum: vt æstimatur, in mundo agat, & consequenter, quomodo mediantibus ipsis, tam sanitate beet, quam morbis mortales persequatur.

Iam vero ad magis particularia accedemus: quo euidentius intelligatis contra Momorum & ignorantium cauillationes (inter quos Marinū Merfennum Monachum nominamus, qui contra omnem rationē, & Principis tenebrarum motionē, Angelorum in hæc inferiora actus & operationes respuere videtur, tametsi sacras Scripturas ipsi infinitis in locis cōtradicentes inueniat:) quomodo Angeli tam sanitatis, quam morborum procuratores in hac miseræ valle existant. Sed priusquā nos profundius in hoc subiecto immergamus, vos in primis monitos esse velimus, nos admodum fuscè de Angelorum mysterio, in *lib. 1. membri 2. parte 2. portionis 4. Sect. 1. de causa Meteororum efficiente* egisse vid. in *cap. eiusdem 1. de varijs Intelligentiarū nominibus in genere: & de eorū ratione:*

Secundo: De Angelorum Essentia, compositione, & quid sit eius internum, quidq; eius externum.

Tertio: De generali Angelorum differentia: & tum postea de particulari Angelorum bonorum diuisione.

Quarto: De malorum seu malignorum Angelorum differentia.

Quinto: De Angelorum bonorum proprietate & officio tam erga Deum quam creaturas.

Sexto: De malorum Angelorum seu Cacodæmonum officiis & proprietatibus.

Septimo: De Angelorum ordinibus quibus affluuntur & impluuntur à portis lucidis, cuiuslibet nomini Diuino appropriatis: influxiones lucidæ. Et de Archangelis illis magnis, quibus in quolibet Angelorum ordine committuntur istiusmodi influxus, qui deinceps in orbes cælestes eos deferant.

Octauo: De magno & Imperatorio illo lucis Angelo dicto Mitatron: & tum postea de magno illo tenebrarum Angelo, ei natura & dispositione opposito.

Nono: De malo Angelo à Deo creato, quo vna cum suis consortibus utitur, in seueritate & iracundia sua.

His igitur à vobis bene ponderatis non opus est de natura Angelica latius ultra propositum hoc nostrum disceptare: sed ea solummodo agere, atq; tractare, quæ ad præsentis huius discursus subiectum & medullam attinent.

C A P.

C A P. II.

Quomodo Essentia diuina res ordinare dicitur: Organa vero Angelica, ordinata, seu mandata diuina exequi.

Loco superiore, ex Psalmistæ Regij doctrina, hoc optime habetis explicatum; *Benedicite* (inquit) *omnes Angeli Domino, potentes virtute seu validissimi* Psal 103. 20. *robore, efficientes verbum eius, auscultantes voci eius, ministri eius, facientes placitum, seu voluntatem eius, &c.* Quibus lucide arguere videtur imprimis, quod Angeli sint virtute diuina ita armati & ornati, tantoque robore excellunt, vt nihil creatum ipsorum operationibus resistere valeat: secundo quod verbi diuini actum in cœlo & in terra efficiant: tertio quod sint Dei ministri, ad voluntatem diuinam expresse in mundo exequendam creati atq; ordinati: quarto quod astant & præsentés sint coram Deo, auscultantes voci & verbo eius; vt tum postea placitum eius in effectum producant: cuius conditionis & constitutionis sunt isti Angeli, quos in præcedentibus narrare videtur, idque liquido satis. *Qui facis* (inquit) *Angelos tuos ventos seu spiritus, & ministros tuos,* Psal 103. 2. *ignes urentes:* In qua descriptione arguit tam occultum, quam manifestum ipsius Angeli.

Porro etiam horum Angelorum principalium numerum qui astant coram facie Dei, nobis sic exponit Raphael: *Ego sum Raphael angelus, vnus ex septem* Tob 12. 15. *qui astant ante Iehouam.* Et Gabriel: *Ecce Michael, vnus de Principibus, venit in adiutorium meum.* Et Gabriel ipse alibi ait: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum.* Dan. 10. Luc. 1. 9. Quibus est euidentis, quod Raphael, Michael & Gabriel sunt tres ex illis septem principibus Angelicis, qui astant ante Deum Iehouam. Quare vt in numerationibus diuinis est dictum, quod tres priores referuntur ad personas in Trinitate Sacrosanctas, videlicet, *Cheter*, seu *Corona*, *Patri*, *Hochma* seu *Sapientia*, *Filio*, & *Binah* seu *Prudentia*, *Spiritui sancto*. Ita quidem Sapientes septem infundunt suas lucés Dei-formes in hæc septem organa Angelica, quæ ideo dicta sunt stare coram facie Iehouæ; vt pote, à qua, tanquam fonte seu infinitudine Sapientiæ vniuersalis immensas suas claritates immediate accipiunt; easque in Angelos Olympicos, Planetis septem præfidentes & sibi subiectos infundunt: qui influentiis diuersis pro diuersitate conditionis canalium lucidorum globos planetarum rutilantes impleunt, vt ab ipsorum fontibus elementa & elementata copiose omni momento irrigantur & viuificantur. Sed de hoc alibi latius & copiosius.

Hinc igitur videmus, quod Angeli istiusmodi principales nil aliud sunt, quam venti seu spiritus abstrusissimi, lumine Sapientiæ quasi inebriati atque ornati, & dignitate super alios nuntios ideo exaltati, quoniam DEO proximiores; non aliter quam viros dignitate & nobilitate excellentiores, ipsi Imperatori loco & honore propinquiores obseruamus. Vnde, vt isti Angeli septem vitam lucidam immediate à DEO: Ita illi Olympici ab istis, & Elementares ab Olympicis acceperunt: & tamen lux illa diuina est essentia vna & eadem minime diuisa; sed eo modo à termino à quo, ad quem continuata quo radij solis à sole ad terram, nulla diuisione intercedente pertingentes.

Quo directe arguitur, quod quamuis Angeli illi septem astant coram Deo, tamen respectu indiuiduæ suæ lucidæ naturæ, vbique dicuntur adesse tam in Cœlo, quam in terra. Atque ista est ratio, quod *Sapientia* (quam vniuersum fecerunt Sapientes antiqui mundi *Angelum & animam, seu spiritum viuificantem*) omnes species Angelicas in se comprehendat; vti antea relatam est: Est autem *Sapientia* (teste Salomone) *vapor virtutis DEI, & emanatio quedam seu fluxus* Sapient. 7. *clari-*

Dionys. lib. de
diuin. nom.
cap. 6.

claritatis Omnipotentis Dei syncera: & candor seu splendor lucis aeternae, & speculum sine macula maiestatis Dei, & Imago bonitatis illius. Nonne etiam vocat Dionysius Angelos, *Agalmata*, hoc est, specula clarissima, lumen Dei suscipientia; ipsius Dei Imagines & lucis absconditae reuelationes atque specula pura & politissima sine macula? Quo facillimum erit iudicare, quod non sit immanis aliqua inter ipsum fontem Angelicum & Angelos, luce diuina immediate ornatos discrepantia.

Dan. 4.

Hic autem imprimis obseruandum est, quod vt Sapiientiae diuinæ sedes in hoc mundo, sit tam in tenebris, quam in luce, tam in terra & profundo, quam caelo pellucido: Ita quidem ipsius est, se quandoque abscondere, & nonnunquam manifestare; quandoque more venti inuisibilis mouere, & nonnunquam, instar fulguris se patefacere. In vtraque autem eius proprietate, ministros parauit sibi aptos & idoneos; videl. tam lucis & beneuolentiae, quam tenebrarum, & ad priuationem inclinatos: qui sunt solummodo Lucis seu spiritus Sapiientiae sancti Organa, in quibus ipse agit, quid, quale, quando, & vbi vult. Quare nemo debet superstitione duci tam vana, vt credat, omnia inferioribus caelitus ab Angelis conferri, sed potius ab ipsa Maiestate diuina per Angelos ea fieri opinamur, etiam in Angelis, iuxta illud Danielis: *secundum voluntatem suam facit in exercitu Caeli & habitatoribus Terrae*. Sed & hoc clarius explicare videtur Apostolus in istiusmodi sermonis filo: *Dij quidem sunt qui dicuntur in caelo & in terra: nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia & nos in illum, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum*. Quibus arguere videtur, omnia ab eo fieri radicaliter ex quo emissa est Emanatio per quam omnia sunt creata; cuius radij infiniti ad voluntatem Monadis radicalis emissi, nuntij dicuntur, qui varia sunt sortita nomina secundum varietatem effectuum aut operationum quas in mundo perficiunt. Hinc varia ipsis, à mortalibus attribuuntur nomina à proprietate sua & non essentia; nam Essentia Angelorum est eadem & vnica in Sapiientia vniuersali, tanquam omnium Angelorum radice comprehensa. Sic ergo à Sapiente dictus est spiritus Sapiientiae simplex, hoc est, respectu Essentiae vnus indiuidua; Et tamen respectu variarum proprietatum multiplex dicitur: *Est (inquit ille) Spiritus sapientiae simplex, multiplex, &c.*

Sap 7.

Rom. 11. 32.

Quare dicimus, quod licet Deus mediantibus Angelis omnia & in omnibus operari dicatur, tamen hoc non praestare solent Angeli, sed radij diuini à portis septem lucidis, seu Sapiientiae fonte emanantes, qui ab Essentia diuina minime diuidi, aut separari queant: atque ob istam rationem optime concludit Apostolus, quod *ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia. Ipsi sit honor & gloria in secula seculorum.*

C A P. III.

Qui sunt Angeli illi, qui Vitae atque Sanitatis influxus solent dirigere à suis fontibus caelestibus in inferiora.

Angelum vitae & praeservationis generalem *Mitatron* dictitarunt Cabalisticæ, & Platonici *mundi* Animam fecerunt; quem vitae & animarum authorem effecerunt: At Pagina sancta, *Verbum emissum*, dictitat, in quo erat vita: imo vero ipsum agnouerunt Scripta sacra fuisse *Christum* spiritualem, qui est ipsa vita; & *Saluator* omnia implens, quem etiam *Hochmah* seu *Sapiientiam* vocauerunt *Mysticam*; in cuius dextra est dierum longitudo, in sinistra, diuitiae, vtpote quæ est *Thesaurus regni caelorum*, quo perquisito, cætera bona omnia adiiicientur. Angeli vero qui huius mandatis proprietate sua saluari subiiciuntur, sunt illi qui ex porta lucida *Chesed*, & illa *Tiphereth*, & illa *Netzeth*, & illa *Hod*:

Hod:

Hod; accipiunt vitæ & sanitatis influxus, eosq; in Planetarum Iouis, Solis & Veneris sacrarium recondunt, à quibus paulatim in inferiora eos impluunt.

Dicunt autem Sapientes Veteres, quod Archangelus ex septem illis, qui astant coram facie Dei, *Zadkiel*, influxus suos recipiat à porta lucida *Cheter*, eosq; in vas illud cæli orbiculare, quod Planetam *Iouialem* vocant, infundunt. vnde factum est quod Planeta iste Iouialis emittat in inferiora influxus, qui beneuolis semper vitæ creaturarum adsunt; nam vt vitæ & temperiei sanæ natura est calida & humida: Ita quidem istiusmodi influxus est calorem innatum & humidum radicale fouere, atque in suauitatis mediocritate retinere. Quare istiusmodi influxus clementiæ & vitæ effectus producere solent.

Similiter, ille ex septem quem *Michaelem* vocant, & Soli *cælesti* præesse dicitur influentias lucidas à pulcherrima *Tiphereth* emanatione recipit, & eas in vas Solare effundit, à quo tum postea, in inferiora impluuntur: median- tibus quibus, vita & generatio & multiplicatio in terris & in aquis florescere obseruatur.

Similiter Archangelo ex illis septem *Hanaeli* influxus lucidi à porta *Net- zeth* emissi recipiuntur: & in globum Veneris ab ipso introducuntur, à quo tum postea deorsum in creaturarum beneficium, effunduntur. Quare Venus ab Astrologis Fortunium minus dicitur, vti *infra* latius dicitur.

Denique Archangelo *Raphaeli* influentia à porta *Hod* distillantium attribuitur receptio & conductus, qui ipsas solet in corpus Cæli Mercuriale dirigere: à quo tum postea, more beneuolo, nisi à maleuolis impediatur, in elementarem emittatur regionem.

Hic vero notandum est, quod isti Angeli principales tot dicuntur sub se habere Angelos suæ naturæ & conditioni subditos, quot sunt radij seu actus lucidi ab ipsis emissi, qui omnes nihilominus nõ minus sunt continui cum suo fonte Archangelico quam Solis radij Soli. Sic Deus in Verbum se dilatans per Spiritum sanctum Vnitatem Trinitate, & Trinitatem in Vnitate facit, quæ iterum Trinitas virtutem suam in proprietatem septenariam in Mundi Machinam effundit, quasi Sapientia Catholica domum suam super septem columnas ædificans: quæ septem columnæ lucidæ sunt septem illi Archangeli, qui immediate Mundum & Mundi secula gubernant, per septem Planetas, qui dominium habere dicuntur nutu diuino in omnes res inferiores in Mundo: vt Archangeli & Spiritus intellectuales in inferiores.

Sed & hoc optime videtur in Reuelatione in his verbis explicari: *Qui dixit, Ego Alpha & Omega, principium & finis, erat similis filio hominis, cuius oculi erant instar flammæ ignis & pedes quasi purissimum æs fustum atque in fornace coruscans. Zona vero erat aurea: & in manu dextra tenebat septem stellas, & facies eius micabat instar Solis: eius vero vox quasi murmura multarum aquarum, &c.* In quo sermone denotare videtur Angelum illum magnum, Sapientiam dictum, qui posuit Tabernaculum suum in Sole, vnde dixit, ipsius aspectum soli fuisse simillimum: & vt Sol sibi subditos habet alios Planetas, vtpote qui lucem & vitam suam habent à Sole. Ita quidem Sol iste spiritualis; Angelus iste Catholicus sub se habet Angelos septem dictis Planetis præsidentes: de quibus Iohannes: *Vidi septem Angelos stantes coram Deo, atque eis erant septem Tuba, &c.* Imo vero hic est omnium Angelorum Princeps & caput salutis: cuius radij septem sunt Archangelorum illorum septem qui stant coram eo; vitam formam & esse inferioribus effundentes: qui iterum septem suos multiplicando radios susceptos, infinitos Angelos inferioris ordinis producant: qui in effectu tamen, non sunt nisi septem. Sic enim omnes Angeli Saturni, dicuntur communi nomine Saturnini, Iouis, Iouiales, Martis, Martiales, & sic in cæteris. Sic etiam, licet *Michael, Raphael, Gabriel, &c.* dicuntur, stare coram Deo: nihilominus, nullum adest impedimentum, quin etiam tam in terris quam in cælis, & vbique ad velle diuinum

Apoc. 1.

Apoc. 8.

uinum

uinum complendum existere tradantur: idque haud inconsulte: Nam omnes Angeli subditi eiusdem generis sunt radij quasi continui eiusdem radicis septenariæ Angelicæ, quæ iterum cum fonte lucido tam arcta consanguinitate vnitur, vt isti septem quandoq; Angeli, quandoq; Deus & Dij nuncupentur. Quibus liquet, quod omnes Angeli sint Rami quasi vnus Trunci, seu Radicis, & quod consequenter inferiores à superioribus, in omnibus obedientes, & in natura conuenientes reddantur: ita vt boni Angeli iuxta suam facultatem agant & operentur, & iuxta suæ lucis radicalis voluntatem facere solent, & in prauos Angelos dominium per vices habere dignoscantur: & pari etiam ratione, Angeli seueritatis virtutes suas inclementes exercent, in quo tempore: sic volente radice sua lucida, bonis Angelis potestate & dominio præualeere solent. Verbi gratia in Dei misericordia (qui est Lux illa lucium omnium radicalis) dixit: *Ne timeto à timore nocturno, à sagitta volante in die, à peste seu caligine in nocte peruadente, à lue vastante in meridie, seu à Damonio meridiano. Plaga enim non appropinquabit ad tentorium tuum: nam Angelis suis præcipiet de te & præseruabit te in omnibus viis tuis, &c.*

Psal. 91.

Quibus manifestum est quod istiusmodi influxu benefico, boni Angeli voluntate diuina, imperium quandoq; ad Spirituum malignorum insultus reprimendos habeant. Similiter dictum est de Angelo illo salutis creaturarum præfide. *Et vidi alium Angelum ascendentem ab Oriente, qui habuit sigillum Dei uiuentis, & clamauit ad Angelos quatuor, quibus dictum est nocere terræ, atque mari, dicendo: Ne noceatis terræ, neq; mari, neq; arboribus, quousq; seruos Dei in frontibus obsignauerimus &c.* Quo sermonis filo Reuelator arguere videtur, esse angelum quendam summum, qui dominium habet tam in malos, quàm bonos Angelos, cui datum est huius, vel illius virtutem quandoq; emittere, & quandoq; iuxta voluntatem suam deprimere. At vero, in sensu contrario dicitur: *Percussit Satan Iob ulcere pessimo à plantis pedum, usq; ad verticem.* Et alibi. *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram, & tribulationem, & malos Angelos, &c.* Sic malus Iehouæ Spiritus fertur possedisse Saulem. Et alibi. *Obstupefcite admiratione, fluctuate, vacillate, quoniam miscuit vobis Dominus Spiritum soporis, &c.*

Apo. 7.

Iob. 27.

Psal. 78. 47.
Ijai. 29.

Vt ergo Angelus ille salutis magnus est Michael, seu (vt Cabalistsæ volunt) *Mitatron* & ipsa *Sapientia* dicta: Angelus (inquam) saluans & non perdens: Ita quidem Angelorum lædentium & perdentium princeps & præses Hebraice *Abaddon*: Græce *Apollyon*, id est, *perdens* dicitur, vt testatur Iohannes.

Ad *Michaelis* ter maximi curam spectat animæ, vitæ, atq; sanitatis custodia: de qua Tractatus hic noster.

Ad *Apollyonis* dispositionem hostilem & litigiosam attinet, morborum infirmitatum & mortis triumphus de quibus *Tractatu sequente*, in quo de Morborum triumpho & illo vltimo, in quo natura Microcosmi ratione contra-naturali, vbi agitur de mortis Trophæo, lucide (Deo propitiante) pertractabitur.

Denique hoc in loco de Angelorum initijs plura non dicam: quoniam de ipsorum ortu & de duplici eorum regno (quorum vnum est cæleste, quod est de illis lucidis: aliud Infernale & terrestre, quod est Lucifugorum & tenebrosorum) in Tractatu sequenti, vbi verba de morborum causis tam materialibus quam efficientibus (Deo concedente) faciam: clariusq; & profundius disceptabo. Iam vero ad Angelos Olympicos sermonis mei filum conuertam, quo videatis, & oculis quasi Lynceis, percipiatis, quomodo An-

geli ordinum inferiorum influxus diuinos à Superioribus recipiant.

LIBER SECVNDVS.

IN QVO ANGE-
LORVM COELESTIVM
IN MORTALIVM SVBLVNARIVMvita & fanitate, Potestas & Virtus
traditur.

CAPVT I.

Quod Stelle Angelis secundi Ordinis, non aliter, quam ipsi Archangelis primi ordinis subiici dignoscuntur: Quid Cabaliste hac de re existimauerint.

RLatonicorum omnium opinio erat, quodlibet cœli sydus Angelico suo Præsidi gaudere: imo vero, ipsi Peripatetici in hanc eandem obseruantur sententiam incidisse: utpote qui attribuunt cuilibet Cœlo præter formam suam essentialem, *Intelligentiam*, Orbis sui motricem: quæ vocatur *Angelus*; quatenus ipse missus ex officio implet iussa Creatoris. Et Mercurius Trismegistus ait: *Dinumeratae sunt stelle secundum eos qui inhabitant illas, Deos; ambitus amplior, cursu suo, aereo circulo conspirante, diuino spiritu vectus: Quisquis Deorum ex interna virtute ascriptum sibi opus expleuit, &c.* Quo quidem sermone, tria videtur Antistes iste nobis luculenter explicare, vid. primum est, quod quælibet in regione ætherea stella, peculiarem sibi vendicet spiritum Angelicum quo regitur; secundum, quod, virtute spiritus Sapientiae sancti, in Sphæra sua ætherea, earum quælibet moueatur, & tertium, quod actus ipsius angelo mediante quo mandata diuina pro officio suo exequitur, sit virtus diuina. Sed hoc tamen, à sacris literis etiam confirmari videtur; nam in primo loco ait Apostolus: *Dij sunt qui dicuntur in cœlo & in terra: nobis autem vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, &c.* Quibus verbis videtur Paulus intimare, quod quamuis istiusmodi stellarum cœlestium præsides angelici, à quibusdam *DI* dicuntur; tamen reuera non est nisi vnicus solus Deus, qui hæc omnia facit in Cœlo & in Terra; mediantibus organis illis Angelicis, quæ huc atque illuc in officiis suis ad mandata diuina perficienda in mundo; ducuntur per illum spiritum diuinum, qui ipsis in forma lucis diuinæ inest. Nam (vti alibi sat liquido à nobis est declaratum) Angeli sunt quasi specula politissima suscipientes emanationem & fulgorem lucis diuinæ vel immediate; videlicet illi præcipue, qui proximi adsunt faciei Iehouæ: vel mediate, illi nempe ordinum inferiorum, qui influxu vario, secundum eorum dignitatem à superioribus quibus subiiciuntur, lumen & actum suum suscipiunt: verbi gratia: videmus in scientia perspectiua, radios Solis ab vno speculo immediate recipi, quod speculo secundo per reflexionem eos communicant, ac tandem illud secundum eo etiam tertio dirigit, & tertium quarto, atque ita in cæteris. Et quamuis in ista demonstratione percipiamus organa numero varia; tamen non est fulgor ille solaris nisi

K vnus

vnus & idem in vasculis diuinis reflexione varia infusus, in quo nihilominus progressu percipimus in speculis prædictis varium esse illuminationis gradum. Nam lux à Sole in primo speculo contracta est nobilioris & dignioris aspectus quam illa in secundo: atque ita proportionaliter in cæteris. Pari siquidem respectu res sese habet in ordine Angelorum, quorum illi qui astant coram facie Iehouæ, ordine & luce sunt illis, qui ipsis subiiciuntur, digniores. At vero quatenus hi omnes Angeli vires & virtutes seu actus suos à Sapientia æterna seu emanatione diuina, hoc est, à verbo recipiunt, tutius erit has omnes virtutes actus diuinos nuncupari, quam vt eorum effectus Organis Angelicis illo modo adscribamus. Hinc ergo est quod David vocet Angelos ipsos, Virtutes Dei, in hæc verba loquens: *Angeli, Virtutes Dei, benedicite Domino: Ministri eius, qui facitis voluntatem suam, &c.* Si ergo DEI sint virtutes, tunc sequitur, quod DEVS insit ipsis essentialiter; atque iis sit quasi Anima ad corpus, vnde factum est quod in nonnullis sacrarum literarum locis, quandoque Deus (respectu scilicet, eorum interni) & nonnunquam Angeli dictantur.

Psal. 103. 2. 1.

Sap. 7.

Eccles. 1.

Pimand. 1.
2. Petr. 3.

Quare, vt DEVS in simplicissima sua Natura dicitur à sapientibus Identitas: Ita quidem Angelus ob duplicem istam naturam dicitur Alteritas; vt pote, ex spiritu purissimo quasi corpore; & luce diuina, quasi anima conflatus. Ob istam igitur rationem Sapientia illa æterna (quæ est vapor virtutis DEI, & Emanatio claritatis Omnipotentis Dei syncera, & candor lucis æternæ; & speculum sine macula DEI Maiestatis & Imago bonitatis illius) vt plurimum emissum est à fonte suo lucido; in spiritum mundanum, respectu missionis illius cum Catholico illo spiritu dicitur, prima omnium creatura, & angelus ille magnus qui est omnium aliorum Angelorum Princeps; quippe in quo vis & potestas Angelorum omnium inest, qui Angeli subalterni ideo dicuntur Dij in cælo & in terra, non alia ratione quam quatenus de diuina ista Vnitate participant, quæ est ipse Deus. Sic ob istam causam, Mundus, ab Hermete dicitur, Deus secundus, non autem absolute Deus, sed quatenus de diuina forma atque essentia participat iuxta hunc eius sensum alibi explicatum. Verbum (inquit) humida naturæ astabat. & D. Petrus ait: Cæli erant prius & Terra ex aqua & per aquam assistente Verbo Dei. Hinc ergo erat, quod Cabalisticæ hunc spiritum Dei vniuersalem Mitatron dixerunt; ac si quis diceret, Donum Dei, nam omnium donorum erat illud maximum, mediante quo, Mundus & omnes in eo creaturæ, ex nihilo, aliquid erant factæ; & à deformitatis abyssu in pulcherri- marum creaturarum nobilissimas effigies redactæ. Hinc etiam erat, quod Orpheus & Pythagorei, omnia Diis esse plena, sunt opinati; quos etiam omnes nihilominus Deos ad vnicum Iouem referebant: iuxta illud Sapientis: Spiritus incorruptibilis est in omnire; & tamen hic Spiritus vtcunque in multitudinem dilatatus, est vnus & simplex. Hos autem Spiritus vnus Catholici radios Pythagorei Deos dixerunt, quatenus reuera à Diuinitate minime diuidendos; & iterum Angeli tam in Cælo quàm in Terra dictantur, quatenus radij sunt Angeli illius magni, qui reuera est illa interna Platoniorum Mundi anima, quæ dat vitam & inspirationem, & omnia Creaturis, vt in Discursu nostro de Mundi Anima, luculentius est declaratum.

Quibus positis, est obseruandū, quod quamuis Peripatetici & Platonici Intelligentias stellis & præcipue Planetis adscribunt, quas Hermes DEOS vocat, tamen reuera, hi non sunt alij, quam influxus septenarij ex puteo vnico lucido totius Sapientiæ, modo & ratione varia emissi; cui fonti lucido quasi omnes mundi actiones imprimis sunt attribuendæ. Quare non Præfidi Angelico Saturni cum suis legionibus adscribenda est virtus, quæ ab illo Orbe, in inferiora impluitur, sed fonti totius Bonitatis, à quo primitus oriuntur istiusmodi influxus; diuinæ videlicet, Sapientiæ, quæ est Angelorum

Ca-

Caput: nam omnes Angeli terminantur in Christo ipsorum Rege, qui continet & amplectitur naturam tam Angelorum, quam Dei, in quo etiam omnia alia terminantur, vt testatur Apostolus, vtpote à quo, ad quem, & per quæ omnia. Hinc ergo est, quod vt lux ista radicalis est ipsa Æternitas, ita quidē Angeli dicuntur Æternitatis Imagines, quatenus producti supra tempus. Quicquid ergo Angelo cuiquam particulare fuit vnquam adscriptū, illud totū etiam rectius & aptius summo Angelo Catholico, Sapientia videl. erat assignatum. v.g. Ecce (inquit Iehoua) mitto angelum meum ante te ad seruandum te in hac via, &c. Et tamen ^{Exod. 23.} Sapiens ait, Sapientia populum iustum & sine querela liberauit à Nationibus quæ illum deprimebant, &c. & alibi: Angelus Dei qui precedebat castra Israelitarum, ruit à tergo eorum in columna Nubis diurno tempore, & in columna Ignis nocte. At Sapiens ait: ^{Exod. 15.} Sapientia deduxit illos via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum ^{Sap. 10. 17.} per noctem.

Denique percipietis paulo maturiori consideratione, quod quicquid Adamo, Patriarchis Noe, Abrahæ, Isaaco, Iacobo; ac etiam ancillæ Hagar fuit sub forma Angelica factum, hoc omne attribuitur summo Angelo Sapientia, vt ex eodem & sequente Sapientia capite, videre licet. Atque ista est ratio, quod ^{ubi sup. 10.} in eodem capite, & in multis etiam sacrarum Scripturarum locis, Angelus quandoque Iehoua dicitur, & nonnunquam Angelus. Iehoua (inquam) respectu verbi lucidi quod inest Angelo: vnde dixit Iehoua: Ne illum exacerbes: quoniam nomen meum est in illo: Angelus vero, respectu suæ alteritatis, videl. respectu ^{Ezech. 23.} suæ creationis, ex externo spirituali, & interno lucido increato.

Concludimus ergo, quod Sapientia est summus ille Angelus à quo sortita est, & in quo consistit cuiuslibet Angeli peculiaris conditio. Et primum quidem Angelica istiusmodi natura Catholica se expandit in naturam denariam, proprietate ab inuicem diuersa, iuxta varietatem proprietatum Nominum diuinorum à Cabalisticis numeratorum. Quod vt melius intelligatis, intelligendum est; quod Monas illa radicalis à nobis antea descripta, sit Ensoph illud Cabalistarum; seu fons Diuinitatis infinitus, è cuius puteo denarij recensentur exitus, per quos totidem in mundum tradunt fieri influxus, proprietate inter se differentes. Emanatio generalis à fonte isto lucido qui est ipsum Verbum; dicitur Sapientia: iuxta illud Ecclesiastici; Sapientia fons, verbum Dei in excelsis. Hæc Sapientia æterna iuxta denariæ proprietatis suæ ^{Ecclesi. 1.} varietatem, & denaria sibi assumpsit cognomina, quæ Textus Bibliorum sanctorum obvarios ea subsequentes effectus, variis in locis recensere animaduertitur, vid. Ehieh Patri relatum; Iah & Iehouah Filio, & Elohim Spiritui sancto: quorū proprietatū effectū conditus est Mundus ad Archetypi imaginem: nam Ehieh Pater, seu Monas radicalis emisit Iah, seu filium, per Hochma, id est, Sapientiam: & Elohim coniunxit sua virtute seu nexu Sapientiam cum creatura: vnde Alteritas erat primū producta, & Creatura facta est perfecta, iuxta illud Psalmistæ; Verbo Domini firmati sunt Cæli, & Spiritu ab ore eius omnis virtus eorum: & Propheta concludit, has tres proprietates in vnica Natura diuina, hoc modo: Deus hæc dicit, creans cælos, extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea; ^{Isai. 42. 5.} dans flatum populo qui est super eam, & spiritum calcantibus eam, &c. vbi Deus Ehieh per Iah firmat cælos; & Elohim inspirat totum & eius partes. Ehieh ergo per Cheter, agens; paterno suo amore emittit Angelum magnū Mitatron, qui vim habens in primum mobile pro voluntate sua circumrotat illū Orbem ab Ortum in Occasum, & ad eius nutum cæteri etiam Orbes cœlestes eodem motu rapti mouentur. Atque hinc est, quod à Rabbi Mose hic Angelus, Præfectus vniuersitatis dicitur; vtpote à quo, cum sit primus motor, omnes virtutes singulares descendunt: atque consequenter, omnis virtus Angelica descendit; quoniam Mitatron se habet ad radicem suam Cheter (seu Corona) in mundo Typico, vt Iah ad Ehieh in Mundo Archetypico. Quare vt Christus seu Sapientia dicitur

tur omnia implere, & omnia in omnibus operari: Sic hic Angelus est caput & Princeps omnium inferiorum Angelorum & Virtutum in hoc mundo.

Radius primus ab eo egressus est *Iophiel*, qui suos radios à porta *Hochma* seu *Sapientia* accipit. Hic Angelus ab Etymologia sui nominis arguit pulchritudinem, utpote qui vitæ dotibus est repletus. Atque ratio est, quoniam est influentiarum à fonte lucido per portam *Hochma* emissarum receptor: & ipsarum in Sphæram octauam conductor: vnde factum est, quod ista Sphæra infinita stellarum lucidarum multitudo est repleta & Cingulo seu Zona illa cœlesti ornata, quam *Zodiacum* vocant: quasi Animale, utpote qui Imaginibus viuis repletur.

Tertius fontis diuini Radius, seu Virtus recipitur ab Angelo illo *Kaspiel*: id est, Genius cholerae magnæ; qui quoniam influxus *Elohim* per portam *Binah* emissos, in Globum Saturninum impluit, dicitur esse eiusdem Planetæ Præses.

Quartus radius per nomen Dei *El* emissus; à *Israhel* id est, Genius Iustitiæ (qui dotem Dei arguit) recipitur, & in Sphæram & Globum Iouis conducitur.

A quinto Dei nomine, videl. *Elohim*, *Gibbor*, per portam lucidam *Geburah*, seu punitionem radius quintus effunditur in Angelum *Hamaelem*, id est, Genium subsistentiæ (qui horrorem importat) à quo in Globum Martis recipitur.

A sexto nomine, nempe *Eloah*, per portam lucidam *Tiphereth* (seu Gratia) dictam; radius sextus impluitur in fortem illum Angelum *Michaellem*, id est, Quis tanquam Deus? qui infundit ipsum in orbem Solis.

A septimo nomine, videl. *Iehouah Sabaoth*, per portam *Netzeth* seu Triumphum, effunditur radius septimus in Angelum *Hanaelem*, id est, Genium diuitiarum & sufficientiæ, à quo ipse dirigitur in Globum Veneris.

Ab octauo, vid. *Elohim Sabaoth*, per portam seu numerationem *Hod*, seu laudem, descendit octauus influxus in Angelum *Raphaelem*, id est, Genios medicinae, à quo in Sphæram seu Orbem Mercurij impluuntur.

A nono, vid. *Sadai*, per portam *Iesed* seu Redemptionem, radius nonus in *Gabrielem*, id est, Genium potentiae & virtutis, Angelum descendit, à quo in Globum Lunæ effunditur.

Denique à nomine *Adonai*, in Heroes: atque ab iis in regionem Elementarem impluitur, radius vltimus per portam *Malchut*.

His ergo videmus, quomodo iuxta Cabalistarum intentionem, omnes radij Angelici quasi Virtutes variæ vnius Essentiæ ab vnico *Sapientia diuina* fonte deriuentur: atq; stellis primum fixis, & tum postea Erraticis mediatione dictorum spirituum Angelicorum dirigantur. Qui omnes spiritus pro proprietatis diuinæ varietate, inter se officio & qualitate differentes varios in dictis corporibus cœlestibus solent proferre effectus.

Vbi etiã in primis est obseruandum, quod quilibet horum Influxuum lucidorum in infinitos alios radios subdiuiduntur, qui etiam Angelorum virtutes & actus habere dicuntur, & nomine spirituum seu *Intelligentiarum Olympicarum* nuncupantur: ita vt constet quemlibet horum globorum spiritibus istiusmodi esse repletum, quorum ex officio est, res diuersas pro naturæ suæ conditione hic in Elementis, & præcipue in terra & in mari curare: Ita vt nihil sit in vniuersa terra, siue mari reperiendum, quod non respicitur à particulari Angelo in Cœlo: atq; hoc etiam intendere videbantur Pythagorei, quando dixerunt: *Omnia esse DIs plena*: & Sapiens, dicendo: quod *Spiritus incorruptibilis esset in omni re*. Et Cabalistæ omnes vnanimi consensu affirmantes, quod *omnes inferiores essent representatiua superiorum*: & *vti sit inferius, sic agitur superius*. Sed hoc expressis verbis confiteri videtur Hermes; sic loquendo: *Quisquis Deorum qui inhabitant stellas ex interna virtute ascriptum sibi opus expleuit. Nata sunt*

sunt

sunt ergo viuientia quadrupedia, reptibilia, aquatica simul atque volatilia. Satio item omnis, per semina pullulans, gramen: herba, atq; germina florum. Quibus arguit hæc omnia perfici adiumento & assistentia formarum illarum cœlestium, quos Deos vocat. Quos omnes referimus ad vnicam solam Sapientiam diuinam, dicendo cum Apostolo loco antea citato. *DI quidem sunt, qui dicuntur in Cœlo & in Terra: nobis tamen vnus Deus Pater (Ehieh) ex quo omnia hæc, & nos & omnia alia in illo, & vnus Dominus Iesus Christus (seu Iah) & Sapientia æterna) per quem omnia hæc, & alia, & nos per ipsum.*

CAPVT II.

Quomodo influxus hi tam salubres, quam exitiales, effectus ratione varietatis suarum proprietatum producant.

EX his ergo, quæ supra exprimuntur, certum est, quod omnes actus & formæ inferiores procedant & continuæ sint cum fonte illo lucido & æterno: qui in se est vnicus, simplex & sacrosancta rerum omnium Origo: à qua, in qua & per quam, creata & facta sunt omnia. Qui profundus, atque etiam excelsus Bonitatis puteus, quamuis sit in se, hoc est, in sua radice paterna fixus stabilis & permanens: tamen nihil in hoc mundo est emissionem & emanationem, hoc est, radiis ipsius velocius: & in motu subtilius. Et quamuis Sapientia hæc sancta in natura sua sit vnica & simplex, tamen respectu varietatis & multiplicis radiorum ipsius, dicitur multiplex, & in proprietate sua, varia: non aliter, quam eundem ignem artificialem, imo vero solarem, (qui etiam suum actum ab isto fonte deriuauit) percipimus in sua natura idem & vnicum esse: & tamen proprietatem in se habet, vel conseruandi & fouendi beneuolo suo calore, vel destruendi, comburendi, atq; exsiccandi, in proprietate contraria.

Pari similiter respectu Mens, seu anima hominis intellectualis est vnica & simplex, & tamen, quandoque negatiua & priuatiua sua proprietate maleuole agit: vt è regione inpositiua & affabili sua dispositione, beneuole & gratiose agere videtur: sic etiam proprietate priori lædat mens humana alterum, vel negando & minime respondendo petitioni quærentis: vel emissionem radiorum suorum contractorum, cum violentia in destructionem vel damnum, quærentis; vt in viro iracundia subitanea ducto videre liceat: Nonne etiam simili plane ratione, se habet Identitas diuina; à qua Identitas illa humana procedit? Vnde & Dei Imago dicitur. Nonne à sacra Pagina docemur ipsam Deum (qui Essentia est vnum & idem) quandoq; radios suos vitæ, à creatura in se contrahere, hoc est, *abscondere faciem suam ab ea: quo creatura perturbatur & a-* Psal. 104. 29. *grotat: quandoq; recipere, contrahendo Spiritum suum, quo ipsa expirat: & quandoq; emittere Spiritum suum, quo creatura reficitur & recreatur? Imo vero quandoque in lucida sua natura, contrahit se ad creaturæ ruinam & perniciem: vnde & ignis dicitur consumens. Sic scribitur, quod Ignis Dei cecidit è Cœlo & tactas* Iob. 1. 16. *oues puerosq; consumpsit. Et alibi: Igne aggrediente à conspectu Iehouæ exanimauit eos* Leuit. 10. *Iehouæ, &c. Quandoque contrahendo se paulatim tenebrosus reddit Spiritum humanum: & hac ratione, pauore eum incutit. Quomodo factum est quod tenebrosus horror inuaserit Abrahamum. Sic etiam Deus facit, vt errent* Gen. 15. *homines tanquam ebrij & palpent quasi in tenebris deficiente Luce. Et alibi: Deus huius seculi occecat mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij Gloria* Iob. 12. *Christi. Et alibi: Ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio & angustatio & caligo persequens* 2. Cor. 4. *impium à qua non poterit auolare. At vero vbi totaliter recipit Spiritum suum, ibi* Iai. 8. *neceste est, vt creatura expiret, & in puluerem suum reducatur. Exempli gratia. Legimus Ananiam cum vxore sua Sapphira, ob mendacia sua tali proprietate diuina Spiritu & vita fuisse orbatos, vtpote, qui subito ceciderunt & expirauerunt. In beneuola vero sua dispositione seu qualitate, emittere solet crea-* Act. 5.

Psal. 31. 17.
Psal. 36. 9.
Psal. 87. 7.
Psal. 90. 14.
Psal. 27. 1.
Iob. 33. 4.

turis Spiritum suum, quo recrearētur & sanitatis fœlicitate fruerentur. Vnde dixit Dauid: *Luceat facies tua super seruum tuum: serua me benignitate tua. Vita fons penes te est: & in torrente deliciarum tuarum das bibendum filijs hominum. Vita mea fontes omnes à Deo: & vita prolongatio benignitas eius.* Iehoua, *Lux mea, salus mea, Iehoua robur vita mea.* Nam (inquit Iob) *Spiritus Dei fecit me & inspiratio Omnipotentis viuificauit me.*

Psal. 10. II.
Exod. 23. 20.
Gen. 4. 8.
Ioan. 5.
Tob. 3.
Dan. 3.

His igitur optime cognitis, atque obseruatis: percipiemus quidem Deum seu ipsam Sapientiam, hæc omnia operari in creaturis, mediantibus suis Spiritibus Organicis seu Angelis, tam bonis, quibus exercet vitæ & sanitatis benignitatem erga creaturas: de quibus sic loquuntur Scripturæ sacræ. *Plaga non appropinquabit tentorium tuum, quoniam Angelis suis præcipiet de te, vt conseruent te in omnibus viis tuis.* Et alibi. *Ecce mitto Angelum meum ante te, ad seruandum te in hac via &c.* Et Ioseph dicit: *Angelus qui me vindicat ab omni malo, benedicat pueris istis.* Et dicitur quod *Angelus Domini sanctus Raphael mittitur à Domino, vt Tobiam de sua cecitate curet.* Et, *Angelus Domini descendit cum Azaria & socijs in fornacem: & ignem excussit.*

Exod. 13.
Isai. 47.
Psal. 78. 49.
Apoc. 7.

Infinita alia exempla proferre possumus ad probandum, quod Deus vitam & sanitatem, atque præseruationem operetur, mediantibus suis vasis, seu ministris Angelicis bonis: Pari etiam ratione, per Organa sua maligna, solet ipse creaturas suas morbis & afflictionibus: imo vero & ipsa morte afficere. Sic ergo promittit Deus *Angelum suum percussorem ascensurum cum Mose in terram septem Gentium.* Sic etiam dictum est, *Angelum Domini egressum, percussisse in castris Assyriorum centum, octoginta quinque millia.* Sic etiam dictum est, quod per *Angelos malos, miserit in eos iram indignationis & tribulationem.* Similiter testatur Iohannes, *Angelis esse datum nocere terræ, & mari & arboribus.* Nonne etiam affligebat Sathan Iobum *ulcere pessimo?* Et infinita alia proferre possumus ad demonstrandum, quod Deus vitæ & sanitati creaturarum obest: idq; per malorum Angelorum administrationem. Nam Angeli omnes, & consequenter tam boni quam mali, sunt administratorij, in ministerium missi, tam propter eos, qui hæreditatem capient salutis, quam propter eos, qui pro placito Dei sunt vel angustiis, vel curis & infortuniis vel morbis vel morte plectendi. Quod etiam istiusmodi sermone Sipientis colligere possumus: *In die bona frueri bonis & malâ diē præcaue, sicut enim hanc, sic illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.* Et Apostolus ait: *Idcirco propter hanc causam sumite arma Dei completa quibus potestis resistere in die infausto, inuasionibus Diaboli, &c.* Inde arguēdo, quod vt Dæmones tenebrarum sunt fortiores nocturno tempore: ita etiam fortitudo eorum augetur in die infausto: vt viceversa, in die bono sunt debiliores. Sed de istiusmodi diebus Electionis, *infra* latius.

Eccles. 7. 14.

Ephes. 6.

Concludimus igitur, iuxta Cabalistarum normam, quod Proprietatum decem à fonte diuino emanantium, quædam ad malum & seueritatem, atque iudicium pertinent: quædam ad misericordiam, clementiam, atq; pietatem inclinant: & quædam de vtroq; extremo participant.

De seueritate conturbatione, & pauorum gustare videtur *Elohim*, vt-pote, cuius actu primordiali, aquas in mundo contrahere in nubes & perturbare eas obseruantur, vt in turbido atq; nebuloso cælo videre liceat: in quo aquæ dicuntur timore percuti propter voces & præsentiam Domini: vnde in hunc modum dicitur *Elohim* chaos distinguere.

Dogmata Cabalift.

De Spiritibus ergo sub isto nomine cōprehensis, sic scribit Archangelus Angeli nomini *Elohim* seruietes, dicuntur *Bene Elohim*: id est, *Filij Elohim.* *Elohim* ergo terrorem significat ac pauorem. Atque hinc locus Aquilonis ijs assignatur, à quo procedit omne malum. Horum caput est Archangelus *Zaphkiel*, qui influxus *Elohim* recipit, eosque in Globum Saturni dirigit. Vnde fit, vt Spiritus istius Stellæ influxus faciant vitæ humanæ infaustos, vid. frigidus &

dos & ficos & congelantes, vnde Saturnus pro Infortunio maiori ab Astrologis æstimatur. Vnde patet, quod per istiusmodi proprietatem Deus naturam suam in se contrahit: & sui ipsius contractione, creaturam constringit, ligat, inspissat & tenebrosam reddit, & consequenter, contractione sui ipsius in se, tenebras in toto mundo aut in parte, aut in creatura ipsius aliqua relinquit. Quare certum est, quod ista Proprietas sit ex parte ipsius, negatiua, & per consequens, filiis lucis, hoc est: vitam habentibus, contraria.

In proprietate etiam seuera Ordinis secundi, seipsum conuertit Deus: seipsum in lucida sua natura contrahendo in ignem consumentem, & taliter in hac sua proprietate agit vrendo & consumendo: quam in prædicta, mortificando & congelando frigore: atq; hinc dicitur *Ignis consumens*, vti antea declaratur. Angelus autem recipiens istiusmodi influens est *Samael*: qui eos con-ducit in orbem Martis, qui igneis repletur Dæmonibus: qui Samaelis imperatui subiiciuntur. Hinc, ab Astrologis, Planeta iste dicitur igneus, calidus & ficos & creaturis viuentibus admodum aduersus. Nam vt Saturni influentiæ suo frigore extinguunt calidum innatum: ita quidem illæ Martis suo calore & ficitate, humidum radicale absorbet: vnde dictus est iste, *Infortunium minus*.

Pro proprietatibus clementiæ & misericordiæ intelligendum est, quod eorum prior fluit à nomine suo *EL*: quod semper in sacris literis est via misericordiæ & miserationis & beneficentiæ. Exempli causa, quando Moses profalute Mariæ orare voluit, tali vsus est Oratione: *El na rapha na la*: hoc est, *El, Deus gratiose: rapha, sana, na: queso: la illam*: Vnde, porta per quam transeunt istiusmodi effluxus: gratiæ, dicitur *Chesed*: id est, clementia, Archangelus autem, qui recipit istiusmodi influxus est *Zadkiel*: qui eos con-ducit in Globum Iouis: qui est natura temperate calida & humida: & consequenter, vitæ & sanitati propiti-
tius: quatenus ipse est calidi & humidi radicalis fautor. Hinc ergo iste Planeta; *Fortunium maius* ab Astrologis dicitur. Quare totus hic orbis Iouialis Spiritibus humanæ naturæ beneuolis inhabitatur: qui *Zadzielem* agnoscunt pro suo Præfide.

Porro etiam nomen *Iehova Sabaoth* producit seu emittit beneuolos & pacificos effluxus, per portam *Metzeth*, quæ significat Triumphum. Nam Iehova completa creatione, triumphauit: & quieuit die septimo: & quasi in omni pace & quiete se habuit.

Huius autem influentias lucidas recipit Archangelus *Hanael*: iisque mundum Veneris ditauit: quibus ille omni suauitate, gaudio, atque hilaritate est repletus. Quare & Spiritibus Venereis, vndique inhabitatur ille orbis.

Denique quod ad proprietates attinet, quæ partim ad clementiam, partim ad seueritatem tendunt: cuiusmodi sunt illæ, quæ per portas *Iesed*, seu Redemptionem: & *Tiphereth*, descendunt: hæ omnes ad ipsum Iehouam, seu Sapientiam æternam, quæ comprehendit solum, Truncum Spheroticum Cabalistarum referuntur. Quod quidem nomen Dei, tam ad misericordiam quam ad clementiam tendere, vbi que nos docent scripta sa-
cra. Vnde (inquit) *Iehoua fortis misericors & miserator, tardus ad iram & multus misericordia & veritate seruans misericordiam millibus & auferens iniquitatem & peccatum: at visitans iniquitatem Patrum super filios filiorum, super tertiam & quartam generationem, &c.* Porro etiam vt eius ira quandoq; accenditur: ita quidem vt plurimum misericordiam & clementiam suam pro beneplacito suo mortalibus ostendit.

Ex

Ex quibus liquido demonstratur, quod ab eodem fonte tam proprietates seueræ ex parte priuatiua tenentes, quam clementes, ex parte contraria, procedentes scaturire percipiuntur. Quarum effectus per Archangelos & Angelos ijs subditos in vniuerso mundo, vid. tam Cælo quam terra .., iuxta illud Daudidis Regij Axioma : *Angeli, virtutes Dei benedicite Domino, ministri eius, qui facitis voluntatem suam, &c.* Et tamen, re bene considerata, non est angelus, sed Deus in angelo, qui hæc omnia facit. Vnde dicit Reuchlinus: *Vana superstitione ductus est, qui putat ab Angelis omnia humana mortalitati cælitus conferri: ac non potius per Angelos ab ipsa Dei Maestate omnia fieri, etiam in Angelis, iuxta illud Danielis: Secundum voluntatem suam facit in exercitu Cæli & habitatoribus Terræ, &c.* Hinc, inquit, Iehoua de angelo quem misit ante Israelitas: *Nomen meum est in illo, &c.* Virtute cuius agitantur ad velle eius perficiendum. At hæc est ratio, quod *Virtutes Dei, à Propheta Regio dicantur: & Specula politissima à Dionysio, Lucem æternam seu Verbum suscipientia.*

Psal 103 21.

De Arte Cabali. lib. 3.

LIBER TERTIVS.

D E
**ANGELIS ELE-
 MENTARIBVS, QVI VITÆ
 ET SANITATI PRÆSVNT,**

CAPVT I.

*De Spiritibus Elementorum in genere : & quod à Cælo suos recipiant
 influxus.*



VT Spiritus Olympici vires suas ab Archangelis Empyreis acceperunt, ratione antea declarata: Ita quidem illi Elementares potestatem & quasi vitam ab Olympicis, qui stellis præfunt, accipiunt & auide expectant. Quod autem sint Angeli multiformes, qui potestatem habent in aërem: non modo à veterum Sapientibus, verum etiam ab ipsis literis sanctis accepimus. Nam testatur liber, cui Titulus *Porta Lucis*, quod à Terra ad Firmamentum vsq;, non sit locus vacuus, sed omne plenum formis: ex illis puræ: ex illis capaces gratiæ & miserationum: & sunt inferius multæ effigies fœdæ, noxiæ tentatrices: & omnes commorantes & volantes in aëre: & non est à Terra vsq; ad Firmamentum locus vacuus, quin totum sunt species: ex iis ad pacem: ex iis ad bellum: ex iis ad bonum: ex iis ad malum, ex iis ad vitam, ex iis ad mortem: & omne id in habitatione inferiori, in quo nos sumus: vt testatur Ioseph Castaliensis. Et *alibi* habemus, quod Dæmones squalentes turpissimi sunt humani generis hostes, & dicuntur Angeli contrariæ fortitudinis. Hi vel in superiore Regione peruagantur, vtpote ignei: & qui propinqui nobis, aërem oberrant: vel qui terreni terrestria territant: vel qui lacus & fluuios inhabitant, & sæpe ipsum mare quatiunt: vel sub terra illos quandoq; inuadunt, qui puteos effodiunt & metalla, hiatus terræ causantur, flammiumos ventos excitant, fundamenta concutiunt: extremum, qui omnia lucis & splendoris fugiant: qui non modo genus humanum: verum etiam bruta vexant, sermones suos absq; sonitu ingerentes, &c. Hæc ille.

Quibus euidens est, quod iuxta variam proprietatis diuinæ naturam seruariam: vid. ipsius conditionem, varij numerantur in Regione elementari Spiritus: quorum alij ad naturam eius beneuolam multifariam erga creaturas exercendam ex officio habent. alij è contrà, ad eius iudicia & iracundiam: effectus in creaturas terræ marisq; exequendos sunt parati. Nam vt vbiq; versantur Angeli boni quorum est, vitam & sanitatem creaturarum curare: Ita quidem sunt Formæ Dæmoniæ, qui vitam & sanitatem creaturarum venantur: & ipsarum, sed præcipue generis humani interitum auide affectât. Quod quidem non modo à veterum Sapientia, verum etiam à Pagina sacra confirmatum habemus. Nam in Sapientia versatissimi agnoscere videntur, quod vt in *Exercitu Dei*: quatuor recensentur *Antesignani Dei*, vid. *Michael, Gabriel, Vriel, & Raphael*. Ita quidem in *exercitu Satanae* primipili sunt *Samael, Alzazel, Azael, Mahaazel*. Horum autem quilibet Legiones sub se multas habere dicitur. Hinc

L

ergo

ergo oritur generis humani benedictio : hinc iterum , ipsius infortunium , quo tot omni momento angustiis premi videmus : vt nisi Deus bonos suos Angelos in ipsorum solatium & præsidium ex gratia concedat , actum de illis esset.

Apoc. 7. Nonne etiam hoc idem à Bibliis sacris confirmatur? in quibus *Michaelem bellum cum Dracone gessisse* legimus, ac tandem : *viçtoriam aduersus eum obtinuisse: & è Cælo præcipitatū sibi subiecisse: ita vt absq; consensu Michaelis cū suis Principibus, nil mali perpetrare queant Samael cum suis sociis, quod etiam euidenter ex illo loco, vbi Angelus ascendens ab ortu Solis imperauerit quatuor Angelis, quibus datum erat nocere Terra & Mari, ne nocerent, &c. elicere fas est.*

Ephes. 2. 1.
Eph. 2. 6. 12. Porro etiam vt Satan ab Apostolo dictus est *Princeps aeris*: quatenus dicitur dominium in eo habere. Et alibi scriptum inuenimus, quod *non contendimus contra carnem & sanguinem, sed contra gubernatores huius mundi principes tenebrarum, contra Spirituales impietates, qua sunt in altis locis.* At vero huic Principi sunt Antesignani quatuor, vt infra explicabitur. Et quilibet eorum Legiones multas sub se habet. Hos Spiritus vulgares in malignitate versatos, Ioannes vocat *Locustas*, dicens, quod *Angelus Abyssis sit Rex Locustarum.*

Math. 26.
Psal. 68. 18. De bonis etiam Angelis Domini, vbiq; mentionē faciunt Scripturæ, qui etiam in Principes distinguuntur, vnde dixit Gabriel, *Ecce Michael, vnus ex principibus &c.* Et quilibet horum principum infinitas sub se turmas habet: vnde dixit Christus, *Angelorum duodecim Legiones exhibere potest Pater, si rogem &c.* Et Propheta Regius, *Dei curruum duæ sunt Myriades Angelorum.*

Psal. 19. 11.
& 12.
Psal. 10. 11. Horum autem Angelorum bonorum officium est præcipue homines à prauorum Dæmonum malitia defendere : de quibus Dauid Rex, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Et iterum. *Angeli in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Et alibi. *Plaga non appropinquabit ad tentorium tuum: nam Angelis suis præcipiet de te: vt conseruent te in omnibus viis tuis.*

Deniq; in primis considerandum est, quod tametsi istud conseruationis & destructionis officium attribuitur Angelis: tamen reuera est ipse Deus, qui hæc facit per Angelos, & in Angelis, vel in beneuola & clemēti, vel in iracunda & seuera sua conditione: vnde dictum est de magno illo Angelo Sapientia: *Ecce mitto Angelum meum ante te, &c.* Hic idem Angelus beneuole Deo incitante & ad conseruationem agit. Iunc sequitur. *Ne exacerbēs eum: nam non feret defectiones tuas &c.* vbi denotat ipsum in seuera & destructiua sua dispositione, quam more lugubri experti sunt Israelitæ, in itinere suo per desertum: nam quamuis hic Spiritus Sapientiæ sanctus: (qui non modo integram Arboris Sefhiroticæ seu Cabalisticæ naturam multiplicem induit, sed etiã totam Essentiam Angelicam in se comprehendit) quamuis (dico) hic Spiritus sit in se vnicus, simplex, modestus, innoxius, benignus & amans bonum: Tamen secundum varietatem subiecti, seu Organi in quo existit, varia pro velle suo exercere solet in hoc mundo. Et tum, omnis eius actus Angelis refertur, quamuis sit ipse qui in Angelis, & per Angelos, suam voluntatem perficere solet, vtpote à quo & per quem omnia. *Opera* (inquit Propheta Regius) *tua mirabilia & ampla, qua omnia fecisti in Sapientia.* Nam *Sapientia sua aptat pondus ventis & appendit a- quas in mensura: & facit pluuia statuta & viam fulgetro Tonitruum, &c.* Et tamen hæc omnia, Angelis assistentibus facta sunt. Nam ipse *Angelos suos facit ventos, & venti nubes congregant & sustentant: & ministros etiam suos Angelicos facit ignes vrentes, seu fulgura:* quorum virtute Tonitrua eduntur, vt testatur dictus Rex. Et tamen hæc omnia Deo lehouæ attribuuntur: iuxta hoc Prophe-
tæ: Ascendit super Cherubin & volauit, & lapsus est: super pennas venti, posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cælorum præ fulgore in conspectu eius; Nubes succensi sunt Carbones ignis. Tonabat de Cælo Dominus

Psal. 103. 24.
Iob. 28 25.
Psal. 104. 4.
2. Reg. 22.

Dominus

Dominus & Excelsus dabat vocem suam: misit sagittas suas & dissipavit eos fulgur, &c. In quo sermone, omnis istiusmodi operatio, & ipsum Tonitru ascribitur Iehouæ soli: tametsi hæc omnia, mediantibus Angelicis suis Ministris vid. Cherubinibus, ventis & fulguribus perfecerit. Iehouæ (inquam) & eius Sapientiæ, quæ est Angelorum caput, & quasi illud Totum, quod in se habet multamembra Angelica. Quare & omnis Spiritus, siue bonus, siue malus, ipsi, nutu quasi oculi, obediens redditur.

CAP. II.

In quo probatur ipsa elementa esse de ventis, & non ventos de elementis. Similiter agitur de Angelis quatuor Magnis, qui præsumunt cardinibus cœli: & de Sigillo magno vitæ: atq; eiusdem Custode.

IN *Sectione I. Part. 4. Parte I. lib. 2. cap. 4. & 5. de Meteorologia nostra Cosmica:* clarissime à nobis est natura aëris explicata. Aerem autem appellamus, Spiritum cœli elementarem: qui se extendit à Terra & Aqua: vsque ad concauam Lunæ superficiem. Qui quidem in sua substantia non differt à Spiritu tam Ætherio quam Empyreo: præterquam, quod ob lucis formalis inopiam: illis crassior esse dignoscitur: nam intelligendum est, quod tam Cœli quam Terra, fuerint prius *ex aqua & per aquam existentes verbo Dei: vt testatur D. Petrus.* Quare sequitur, quod Spiritus mundi insensibilis sit Aqua subtilissima: & Spiritus mediocris visibilis sit aut vapor seu nubes, aut aqua: & quod terra sit crassior Aquæ pars.

Hinc ergo neminem latere potest, quod vt Aqua simplex sit cuiuslibet impressionis capax: vid. facultatem vel calefaciendi, vel frigefaciendi, vel congelandi, vel resoluendi, in se habet: Ita quidem aër, more Mercurij cœlestis (qui mutat qualitatem & naturam suam secundum dispositionem Planetæ, cum quo in aspectu coniungitur) aër (inquam) naturam suam mutare solet, pro ratione venti, qui ex aliquo mundi angulo spirare animaduertitur. Verbi gratia. Spirante Borea terream induit aër dispositionem vid. frigidam & siccam: vnde & in niues, grandines, gelu, atq; pruinas constringi videtur. Flante vero Austro, Euro-Austro & Austro-Africo, aër congelatus fit liquidus, & naturam induit madidam cum calore simul mixtam: vnde reuera ad supremæ Sphæræ humiditatis portionis naturam (quæ elementum aëris vocatur) reducit. At si Subsolanus, vel Eurus vel Cæcias flat, in conditionem æstuosam & siccam reducit: vnde, admodum est iste Spiritus calidus: & siccus: vnde in tali natura desiccatur & consumit fructus & herbas. Denique si Fauonius, vel Corus vel Africus flat, aërem in naturam frigidam & humidam, reducit, vel in intēfiori vel remissiore gradu, secundum ventum, qui flat: quare, in isto statu, pro elemento aquæ haberi potest. Atque hæc est ratio, quod aër haud inepte *Philosophorum Mercurius* nuncupetur: quoniam naturam & conditionem suam mutat, secundum naturam Venti, qui flare obseruatur. Quod quidem cum ita se habeat, sequitur, quod Venti sint elementorum parentes, & non elementa Ventorum.

Ex his igitur præmissis concludimus: quod Ventorum authores & actus sunt Angeli, Angelorum Deus, seu eius Sapientia: elementorum, Venti. Quod quidem hoc modo probare aggredimur: atque incipiemus à Septentrione.

Ab Atcturo, seu Septentrione egreditur frigus: flante Deo concrefcit gelu. Et inquit Propheta: *Emittente Iehova sermonem suum in terra: quam celerrime excurret verbum: qui emittit niues sicut lanam, & pruina sicut cineres dispergit:* Psal 147. 16.

Psal. 147. 16.

deicit gelu suum tanquam frusta : Coram frigore eius quis resistit? Quibus liquet, quod sit Spiritus Dei, seu magnus ille Angelus, qui hæc facit. Cuius est eodem tempore, à quatuor angulis terræ simul pro placito spirare : nam *veni* (inquit Ezechiel) *Spiritus à quatuor ventis, & inspira istos interfectos, ut reuiuiscant.* Deinde, cum spirat ab Austro, resoluit hæc omnia, quæ Septentrionalis Spiritus congelauit. Quare in prædicti loci versu consequente hæc habentur: *Emittit verbum suum, & liquefacit ista: simul ac efflat ventum suum, effluunt aquæ.*

Exod. 14. 21.

Exod. 10. 13.

Pro Occidente, ait: *Vento tuo flauisti, & operuit eos mare: & pro Oriente: Et flatu narium tuarum coaceruatae sunt aquæ.* Quod autem hic ventus adurit terram: in multis literarum sanctarum locis exprimitur. Et sic in cæteris.

Psal. 68. 18.

Ex quibus indicatur, quod Spiritus ventos exagitantés siue ad bonum, siue ad malum, sunt à Deo: & in conclusione, non nisi vnus Spiritus omnia operans: licet in Angelicis Organis diuersimode operantur: vti *infra* latius. Hinc dixit Dauid loco antea citato. *Dei curruū duæ sunt Myriades Angelorum, multa millia Angelorum: Dominus cum illis est, Dominus Sinai in Sanctuario habitans, &c.*

Quare virtus omnium Angelorum, non est nisi vnica: & eadem cum diuina Virtute: vnde & alibi dicuntur *Virtutes Dei*, vti *supra* est dictum. Ad ventorum autem Angelos descendamus.

Vt Venti à quatuor Angulis terræ flare obseruantur: ita quidem magni eorum Præsides sunt Archangeli boni, qui post eorū in Luciferū triumphum, dominium habuerunt in dæmones malos. Archangeli autem boni, qui dominium habent in mundi Cardines, sunt *Michael, Gabriel, Raphael & Vriel*: de quibus sic scribit Te decus Leui, *libro de decē Nymerationibus*: post explanatos quatuor ventos: Aquilonem, Meridionalem, Orientalem & Occidentalem: tandem sic scribit. *Et illis quatuor ventis creauit quatuor Angelos, qui præfecti sunt super eos in die & in nocte. Michael autem, qui est de parte clementiæ & miserationum, constituitur mamona, id est, Præfectus super ventum Orientalem: vsq; ad dimidium diei, & vsq; ad noctem: regitq; ventum Occidentalem. Raphael, qui similiter est de parte clementiæ. Tum Gabriel in virtute Iudicij & seueritatis, præfectus est cum vento Boreali super dimidiū noctis & duas mensuras mundi. Noriel seu Vriel præsidet Austro: sed & hi plures suble species habent: quas Liber Arcanorum continet: Imo vero Iosephus Castaliensis narrat (vti antea est dictū) quod à Terra vsq; ad Firmamentum non sit locus vacuus: sed omnis, sit speciebus plenus: quarum aliæ ad pacem, bonum, & vitam: aliæ, ad bellum, malum, & mortem sunt pronæ iuxta proprietatem vel clementem vel seueram suorum ducum. Quæ species tunc dicuntur exercere & imprimere in mundo inferiori suos effectus, quando venti illi flant, quorum præsidibus sunt subditæ.*

Apo. 7.

Vt autem aëris vniuersi principalitas Principi tenebrarum ascribitur: ita quidem ipse habet suos dæmones, seu Spiritus Angelicos, quorū est officium, iuxta sui principis malitiam, etiam malo afficere terram & mare & creaturas eiusdem. Et tamen nihilominus ab Archangelis, Antesignanis illis Dei, qui potestatem habent supremam in quatuor plagas, seu cardines cœli, refrænatur eorum malitia: simul atq; ipsorum Principis: vti ex verbis huius Reuelatoris percipere fas est. *Vidi* (inquit) *quatuor Angelos super quatuor angulos terræ: tenentes ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque super vllam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui: & clamauit voce magnâ quatuor Angelis terræ, quibus datum est nocere terræ & mari: dicens, nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quosq; signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum, &c.* Quo quidem sermone sunt permulta, & vt opinor, obseruatione digna.

Primum scilicet, quod sit quidam Spiritus Imperialis, natura sua beneuolus & bonus, qui potestatem habet in malignos & nocentes spiritus: Deinde, quod ex parte Orientis ascendit. Tum postea, quod Signum seu Sigillum Dei viuentis magnum habet, quo seruos Dei signare solet in frontibus. Ac vltimo loco, quod Angeli qui præsidet angulis terræ, sint nocentes & maleuoli, tamen si eorum rabies bonitate & dominio Angeli istius magni supprimatur.

Quibus rite cōsideratis, apparebit, quod iste sit Spiritus Imperialis; quia ipsi obedientiam præbuerunt aëris Principes, quod etiam erat *Angelus ille fortis*, qui in Apocalypsi describitur;

cuius facies erat instar Solis; in eo videtur confirmari, quoniam Michael Angelus ille magnus est Solis præses, qui habet suam fortitudinem in Oriente Lux (dico) Sapientia æternæ, quæ Solem fecit suum domicilium, atq; eo magis, quoniam ipse pro salute animarum, cum Serpente antiquo pugnasse, & armis spiritualibus Luciferum cum suis Angelis debellasse, & ipsi obedientem reddidisse fertur. Hinc ergo est, quod Sol sit vitæ fautor, multiplicationis author, & consequenter, destructionis atque detrimenti Saturnini aduersarius.

Ad Sigilli vero Mysterium, quod attinet, quo Electi in eorum fronte, ab Angelo magno signari traduntur; Ego hoc in loco vos docere conabor, quale sit illud magnum Cæli Sigillum, quod Angelicus ille Regni cælestis, Cancellarius secum fert in salutem Electorum, & eorum quos Deo saluare placuerit. Dan. 7.

Doctores Hebraici (inter quos Eliezer Hatzlir nominatur) dicunt, quod מַתְּמָה, id est, *Emeth* sit Sigillum Dei; Significat autem hoc vocabulum *Emeth*, Hebraice, *Verbum* seu *Veritatem*, Latine. Estque *Domini Pax*, & consequenter, mediante eo, *Quies & Salus* creaturæ sigillatur, quasi & firma obligatione conceditur: ita vt qui istiusmodi Sigilli magni & fortis habet in se signum, prauorum spirituum insultus timere nequit. Quoniam vbicunq; inuenitur Spiritualis istiusmodi Sigilli impressio: ibi Imperatoris æterni Pacem esse intelligit destructor.

Porro vt hoc sit magnum regni cælestis & spiritualis Sigillum: Ita quidem necesse est, quod ipsum sit mere formale, seu spirituale, & consequenter, quod eius Impressio, seu Character sit talis, videl. inuisibilis & à mortalibus oculis minime percipiendus.

Locus in quo fieri solet ipsius Character, iuxta exilii hominum capacitatem traditur esse in fronte, quasi totius fabricæ frontispicio, & sede oculis magis aperta: vt & Character ipsius ideo dicitur esse הַ טָּוּ: quatenus comprehendit omnes alios Characteres sanctos, qui in se omnia includunt & significat: ac si quis diceret: *Alpha & Omega*, vel *Aleph & Tau*: nam מַתְּמָה incipit cum אַ & finitur eua הַ & הַ in medio denotat iuxta Cabalistarum intentionem, aquas vniuersales, quæ per *Alpha & Omega*, vel אַ & הַ commensurantur, animantur & implentur.

Quare, vocabulum seu Sigillum hoc, integram in se virtutem magni illius Angeli comprehendit, qui in Apocalypsi vocatur *Alpha & Omega, Principium & Finis*, quippe quod arguit (vti dictum est) *Verum* seu *Veritatem*, & *Pacem*. Vnde proculdubio, hic erat Angelus ille magnus, qui ascendens ab ortu Solis, habens signum, siue sigillum Dei viui, clamauit voce magna quatuor Angelis super quatuor angulis terra stantibus, quatuorq; tenentibus ventos terra ne flarent: quibus datum erat nocere terra: Nolite nocere terra & mari quousq; signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum, &c. De quo etiã Propheta hæc: *Et gloria Dei quæ assumpta est de Cherub vocauit virum illum, linteis amiculis vestitum & dixit ad eum: Transi per mediam ciuitatem & signum Tau super frontes virorum gementium & delentium super cunctas abominationes quæ fiunt in medio eius. Et dixit illis qui veniebant de via porta superioris quæ respicit Aquilonem. Vnusquisq; vas interitus in manu eius tenens, transite per ciuitatem sequentes eum & percutite. Non parcat oculus vester, neque misereamini senem adolescentulum & Virginem, paruulum & mulieres interficite, omnem autem in quo videritis Tau, ne occidatis, &c.* Typice etiam hoc modo præfiguratur liberatio Israelitarum à percussore, ea nocte, in qua omne primogenitum Ægyptiorum erat interfectum, videl. per Tau typicum, quem super postes ædium sanguinem notauerunt Israelitæ. Apoc. 7. Ezech. 9. Reuchl. li. de Arte Cab.

Denique ex prædicto Prophetæ testimonio habemus confirmatum imprimis, quod *Tau* sit character totius plenitudinis, quem, Angelus ille Salutis magnus, Sapientia virtute repletissimus illis tempore contagionis, quos Dei est voluntas conseruare, imprimere solet: & tum postea quod Angeli nocentes, *Bene Elobim* dicti (iuxta Rabbinorum sententiam) in plaga mundi Aquilonari sunt frequentissimi; qui nihil præstare queant aduersus eos quos Angelus ille potentissimus, & in clementia affluentissimus sigillo regni cælorum potentissimo & preciosissimo signauit, seu notauit.

Sed quoniam de his spiritibus nocentibus, & ipsorum effectibus lugubribus in volumine sequenti plura explicabimus, eos hoc in loco omittemus: Et de angelis potentibus, quatuor cardines cæli gubernantibus, simul atq; spiritibus iis subiectis, pauca tractabimus.

Ex sermone igitur nostro antea proposito constat, quod quatuor sint Angeli in quibus consistit quatuor Ventorum potentia & virtus, quorū etiam meminisse videtur Propheta in his verbis: *Ecce quatuor venti Cæli pugnabant in mari magno: vbi per quatuor ventos intelligit grossas quatuor Intelligentias Angelicas; quæ præsidet quatuor Mundi cardinibus: & per Mare magnum, intendit aerem apertum. Sed hoc etiam melius confirmatur in alio loco: Ecce quadrigæ quatuor egredientes de medio duorum montium & montes ærei. In quadriga prima, equi rufi: in quadriga secunda equi nigri, in quadriga tertia equi albi, in quarta varii & fortes: Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quæ sunt hæc Domine mi? Et respondit Angelus, Isti sunt quatuor venti Cæli qui egrediuntur, vt stent coram Dominatore omnis terra. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: albi egressi sunt post eos; & varii egressi sunt in terram Austri: qui autem erant robustissimi; exierunt & quesuerunt ire & discurrere per omnem ter-* Dan. 7.

ram, &c. Quibus luculenter indicatur per equos, quod Angeli tales cum suis turmis egrediantur è suis regionib. ad voluntatem diuinam exequendam: atq; etiam per colorem arguit Propheta eorum naturas. Ad voluntatem dico diuinam vel beneuoli vel maleuoli exequendam; iuxta illud Baruch: *Ventus facit voluntatem Dei.* Porro, sic loquitur Dauid: *Spiritus procellarum, qui faciunt verbum Dei.* Et alibi: *Qui facis Angelos tuos, ventos.* Et alibi: *Angeli Dei, validissimi robore, facientes verbum eius, ministri eius perficientes placitum, &c.*

Baruch. 6.60
Psalm. 148.

His igitur docemur, quod quatuor sunt Angeli, qui reguntur & gubernantur in suo officio, iuxta voluntatem æternæ Sapientiæ, cuius proprietates quaternæ quatuor Elementorū formas in se comprehendentes, quatuor illis Archangelis, seu Principibus magnis qui semper stant coram facie Iehouæ; quorum est emittere dictorum Angelorum spiritus, in mundi sublunaris malum, vel eos reprimere, ne noceant terræ aut mari, aut habitatoribus in illis. Et quod quilibet cuiuslibet Angeli cardinalis flatus à spiritibus seu legionibus illius Elementi Sphæram habitantibus, cuius conditionis est ventus ille cardinalis, aude expectetur, recipiatur, & ipsius virtute animetur, & dominium in aere, illa tempestate habere sentiatur. Verbi gratia: Flante Angelo Orientali, qui regit & flat ab angulo Orientali; Spiritus ignei exultare & animari, atque totam terram in suo vigore percurrere solent, aerem inflammando, & in igneam conditionem transmutando; vnde Eurus desiccet, & adurit vehementer. Harum autem Legionum ignearum Dux est *Samael*; cuius est regionem ignis regere; vtpote, qui à *Marte* influxus eos igneos impluit, quos à porta *Sephirotica Geburah* accepit, cui præest Nomen Dei, *Elohim Gibbor*. Hic autem ab Archangelo *Michaele* imperatur, eique obedientem se reddit.

Atque flante *Egyn*, qui est Angelus in cuius potestate est cardo *Septentrionalis* Spiritus terrei (inter quos illi *Bene Elohim* nuncupantur) animantur, & in mari magno dominium habebunt. Et tunc Cœlum seu Aer in naturam terream conuertetur. Huius autem Elementi Princeps est *Azael* (vti Cabalistsæ volunt) qui vim suam ab Archangelo orbem *Saturni* gubernante habet, qui influentias suas, congelantes & siccas atque frigidas à fonte lucido *Binah* recipit eosque recondit in *Globo Saturnino*, à quo tum postea impluuntur, & per ventos Septentrionales disperguntur in mari aereo. Denique iste *Egyn* qui est præses venti Septentrionalis regitur, & vel refrænatur vel emittitur ab Archangelo *Gabriel*, qui est Princeps Orbis Lunæ.

Similiter, spirante *Amaymon*, qui est Angelus cardinis *Australis* seu meridionalis, Spiritus Elementi aeris gaudent & animantur, cuiusmodi spirituum seu turmarum dux est *Mahazael*: cuius vis est partim à *Marte*, partim à *Ioue*, at vero in *Iouiali* sua natura non nocet, sed prodest creaturis; vt & in *Martiali* eiusdem conditione obest. Tam ducis aerei quam illius cardinis *Australis*, dominus est *Noriel*, seu *Vriel*, qui vel laxat, vel contrahit eorum fræna, vt voluntas Dei sit, siue ad bonum, seu ad malum; vnde vel bonum vel malum profert creaturis. Denique Dux occidentalis, vim habens super ventum illum qui suo flatu recreat spiritus elementi Aquæ, vocatur *Paymon*: cuius Dominus Angelicus est *Raphael*. Et sic in cæteris.

C A P. III.

Quomodo spiritus istiusmodi à ventis animatus agat, tam ad salutem, quam ad infirmitatem, & mortem secundum voluntatem Creatoris.

IVxta Iosephi Castalionis doctrinam, loco antea citato, eorum spirituum qui in aere inter cœlum & terram volant & habitant, alij ad pacem, alij ad bellum, non-

nonnulli ad bonum & nonnulli ad malum, aliqui ad vitam, & ex ijs quidam ad morbos & mortem deducere gestiunt.

Quibus indicare videtur, quod ubiq; tam species adsunt humanæ naturæ tam beneuolæ quam malitiosæ & maleuolæ.

De maleuolis Spiritibus & generi humano aduersis in *Historia nostra de Morbis*, verba faciemus. Hic vero vt subiectum istius Tractatus suadet: de illis solummodo ad vitæ & sanitatis semitas ducentibus discurremus.

In *Macrocosmo* videmus pluuias, niues, ventos & huiusmodi alia meteora ad beneficium plantarum pecorum, atque ipsorum hominum inferuire, quæ omnia depromit Iehoua mediantibus suis Angelis: de Thesauris suis in aëre delitescens. Thesaurus autem Dei sunt lucæ Sapientiæ è diuini Sacra-rij adytis emissæ, & ubiq; in mundum aëreum expansæ pro voluntate ipsius vel ad mortalium.

Nam (vt antea est declaratum) nomen *Iehouæ* comprehendit integrum truncum *Sephiroticum*, cuius rami versantur tam in seueritate, quam in clemencia. Sic Angelus quem misit ante Israelitas ad conducendos eos in itinere suo erat quandoq; seueritate occupatus.

Hinc ait ipse Deus: *ne exacerbetis eum, quia non feret defectiones vestras.* At hic Angelus erat ipsa *Sapientia*, vt antea declaratum est. Atq; hinc, in mundi inferioris beneficium dictum est: *Aperiet tibi Iehoua thesaurum suum optimum, cælum: vt det pluuiam terræ tuæ in tempore suo: & benedicendo, cuiq; operi manus tuæ &c.* Deute. 28. 12. Et alibi. *Nubibus densis obtegit eos cælos, qui comparent terræ pluuiam, qui faciant, vt proferant montes fœnum & dent iumentis cibum.* Psal. 147. 7.

At vero in seueritate sua, ita dictum est de eo. *Iehoua ita accensus est ira in vos, vt non sit pluvia: & terra non edat prouentum suum.* Ac si dixisset in primo sensu. Deo benedicente, emisit ventum Australem, vel aliquem alium illius naturæ: hoc est, suscitauit *Vrielem* in beneuola Iouis proprietate, à nomine eius *Elinfluente*; vt Angelus ei plagæ præpositus emittat flatus quo humidi aeris spiritus exercent vires suas. At in maleuola sua dispositione, imperat per proprietatem *Michaeli*. . . . Angelum spirantem per Eurum vt pellat nubes & deficcet terrâ, & destruat fructus. At vero quando in nimia quantitate pluuias emittere velit in ira sua; tunc, aut Austrum aut Euro-austrum flare cogit: vnde Aer. . . pluuiæ, & terra magna inundatione affligitur. Sic ait Iob: *Aquas ita cohibet Deus vt arefiant; Et ita emittit eas vt subuertant terram.* Iob. 1. 13. Denique, turbo, frigus, glacies, gelu, nubes, pluuiæ, fulgura; quodcunque Deus præcipit istis faciendum in superficie Orbis terrarum, siue ad flagellum, siue ad . . . siue ad faciendam . . . efficit, vt præsto sint, vt testatur Propheta & Iob, idque operantibus Angelis, quorum princeps est summus ille Angelus *Sapientia* dictus à quo vires & virtutes suas habent, & ab ipso solo pro velle eius ordinantur. Vnde inquit Iob: *Deus intelligit viam Sapientia, & ipse nouit locum eius. Ipse enim fines Mundi intuetur; & omnia quæ sub Cælo sunt, respicit; qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus, tunc Sapientiam vidit ille, & enarrauit & preparauit, &c.* Baruch. 5. 60 Iob. 37. 8. Et alibi: *Quis Sapphirina effecit nubes sapientia? & vtres Cæli quis prosternit?* Et alibi: *Nubes sapientia distillant rorem & Abyssus. . . .* Denique omnia Dei opera suæ Sapientia attribuantur; & illa Sapientia Angelis referuntur, quorum est (teste Dauid) *efficere verbum*, quod est *Sapientia* fons. Vnde liquet quod Materia mundana tam ad pœnam, quam pietatem à Deo mediante Sapientia per Angelos. Iob. 38. 37. Prouerb. 3. Psalm. 103. Eccl. 1.

Nubes spargunt lumen suum: quæ lustrant omnia per circuitum quocunq; eos voluntas gubernantis erit. . . . ne quod præceperat illis super faciem terræ siue ad flagellum, siue ad terram suam, siue ad faciendum beneficentiam & misericordiam, &c. Iob. 32. 12.

At

At vero ut Angelos suos fecit Ventos & Spiritus inuisibiles; ita quidem ministros suos fecit *flammam vrentem*; qui res prædictas exequi solent. Hi ergo sunt illi qui obediunt voci Domini. Hinc ait Propheta: *Spirituum horum potentum actus in nubibus, cum flamma & tonitru in die Iehoua, &c.*

Psal. 103. 10.
Joel. 2.

Pari etiam ratione agit Iehoua in *Microcosmo*, seu *Homine*. Nam ut flatu suo benigno, hoc vel illud Meteoron in *Macrocosmo* agitat: Ita quidem spiritibus suis bonis in misericordia emissis, afficit hominem vel malis in feelicem, & vel ægritudine vel morte affligere solet: idque vel per inspirationem aeris vel bonis vel prauis spiritibus infecti; vel victus ratione, utpote qui victus istiusmodi spiritibus iuxta voluntatem diuinam nutriri necesse est: quoniam inest aeri occultum vel vitæ & sanitatis, vel morborum & mortis seminarium. Et quamuis huiusmodi seminaria infausta per mare aerem vndique per ventos disseminantur, quibus meteora infausta & morbida, & contagiosa sæpissime in Cælo procreantur, & ipsius aeris medulla inficitur; tamen eodem tempore à bonis Dei Angelis defenduntur nonnulli quos Deus saluare vult, tanquam illi, quos *Angelus ille magnus signauit in frontibus eorum*; uti in Apocalypsi habetur; quos etiam vigilanter & diligenter custodiunt boni Angeli, iuxta illud: *Ne timeto à pauore nocturno: à sigitta volante in die, à peste in caligine peruadente, à luce vastante in meridie, vel à demonio meridiano: Plaga non appropinquabit ad tentorium tuum; nam Angelis suis præcipiet de te in omnibus viis tuis.* Quibus docemur inprimis, quod Deus per Angelum nocentem à quarta Meridionali mittit malos spiritus Pestem & contagionem inducentes. Deinde quod bonos suis Angelis defendit, & custodit quos præseruare vult; ac vltimo, quod spiritus istiusmodi malignus sit occultissimus, & inuisibiliter in aere dispersus, vnde ait: *A peste in caligine, seu tenebris, seu nocte peruadente*; hoc est, more abdito & occulto: Atque istiusmodi spiritus vocauit Iob sagittas Dei: Sed de his, in *Tractatu huius secundo*, vbi de Morbis agemus, clarius.

Psal. 91. 5.

Iob. 6.

Hic autem inprimis est obseruandum, quod ut *Macrocosmus*, habet duos spiritus, seu angelos magnos conditione auersissimos, quorum vnus est bonus ille *Michael*, in quo *Sapientia* diuina admodum splendet & potens est: cui assignatur sedes in Cælo *Empyreo*: Alter vero *Lucifer*, seu *Satanas*, cuius nunc Lumen tenebris obfuscatur & in malignitate est positum; atque huic Aeris Principalitas adscribitur, & ut duo Extrema esse nequeunt, sine respectu ad aliquod medium: Ita quidem res se habet in *Homine*, videl. quod Luminosum eius Cælum Angelo custodi Ordinis eorum, qui cum Michael e stant coram facie Dei, muniatur atque adornetur, iuxta illud *Euangelistæ*, *Angeli pusillorum istorum semper vident faciem patris mei qui est in cælo.* Vnde certum est, quemlibet hominem habere Angelum suum custodem, siue Genium. Quod etiam agnoscere videtur Iacob in istiusmodi sermone: *Angelus Dei qui me vindicat ab omni malo, benedicat pueris istis.* Et alibi de Angelo D. Pauli scriptum est: *Angelus Dei, cui Paulus seruit, & cuius est, astitit, dicens, &c.* Sic etiam Angelus Petri recognoscebatur ab eis qui manserunt in domo. De principis tenebrarum & potestatum ipsius actione & potentia in Aere, vbi loquitur Apostolus. Deniq; Angelum in vitam dominium habentem, ex actu & virtute liberi nostri Arbitrij hoc modo discernere possumus; Nam si non essent duo Extrema, Medium vtriusque naturæ participans esse non potest. Quare euidentis est, quod ut bonus conceditur homini Genius, mediante quo, hortatur ad bona, & in viam veritatis atque salutis allicitur (tali enim ratione præseruari solet homo in sanitatis limitibus per bonos Angelos qui se opponunt Angelis prauis.) Ita quidem eius Angelus malus suadet ad peccatum & pessima, mouetq; toto suo conamine medium Genium qui præest vitæ; à mentis suæ Præsidis obedientia, ut eam in suam potestatem redigat. Vnde hominem, morbis & quandoque morte afficit; Sed quoniam de hisce Geniis abunde in *Sophiæ cum*

Act. 2.

Ephes.

Moria

Moria certamine, seu Responso nostro ad Marinum Mersennum, egimus; ideo plura de hoc subiecto hic loqui non intendimus: præterquam quod infœlices illos reputamus qui ignoranter hominibus suos Angelos custodes omnimodo abnegare videntur, cuiusmodi farinae est Mersennus iste, quem ex corde moneo, ut resipiscat, & in animum suum recolligat verba Arbatelli in summo Sapientiae studio, haud insipienter prolata, in hunc sensum: videl. Quod & Theosophiae membrum vnum, sit Notitia verbi Dei, & vitæ iuxta illud, institutio, aliud, notitia gubernationis Dei per Angelos quos Scriptura vigiles vocat, simulatq; intelligere Angelorum mysteria: Ita quidem Cacosophiae membrum vnum est contemptus verbi Dei & viuere ex Diaboli voluntate: aliud est ignorantia gubernationis Dei per Angelos: & tertium: Contemptus custodia Angelorum: quo quidem modo se reddunt homines socios Diabolorum. Hæc Arbatellus: idque è Veritatis cortina.

Concludimus igitur quod Sanitas humana præcipue videtur à Spiritu ex cardinibus flante provenire: atque etiam quod ab ipso provenit omnis generatio & præservatio. Vnde dixit Propheta: *Spiritus veni à quatuor ventis & insuffla interfectos istos, ut reuiuiscant, &c.* Quo sermone & effectu Inuocationis illius arguere videtur, quod tam viuificatio; quam membrorum auctio, atque totius generationis virtus, atque etiam mystica à mortuis resurgendi ratio: ab illo vnico Spiritu à quatuor ventis flante proveniat, atque etiam quod omnes Angeli, in effectu, non sint nisi vnicus Spiritus Catholicus, qui omnia operatur tam in Macrocosmo, quam in Microcosmo. Hinc ergo dixit Iob: *Spiritus Dei Iob. 23. 4. fortis fecit me & spiraculum seu afflatus Omnipotentis viuificauit me.*

Porro obseruandum est, quod ut nubes steriles, seminariis vitæ plenæ & suaues, à Ventis seu Spiritu propitio & clementi coagmentantur in magno mundo; Ita quidem Sperma in *Microcosmo* (quod in Vasis suis ad procreationem reponitur) ex viuifico Dei Spiritu centraliter agente; & subtili aereo seu elementari totius compositi, idque afflatu Spiritus occultissimi ex quatuor quasi angulis Terræ Microcosmicæ congregatis, perficitur & ad generationem adaptatur. Sed iam ad rationem Vitæ & Sanitatis cœlestem vulgarium Astrologorum more procedamus.

M T O M.

LIBER PRIMVS.

DE

COELESTI VITÆ
ET SANITATIS
ORTV,

CAPVT I.

*In quoratio Vitæ & Sanitatis Astrologice ex-
plicatur.*



VT in Arithmetica, ab Vnitate in multitudinem progredimur: Ira quidem fit, in formalis apud homines numerationis progressu. Vt cunq; tamen, certum est, omnem numerationem non esse (in effectu) aliud, quam multiformem Vnitatis eiusdem repetitionem: & consequenter, ab Vnitate comprehendi. Eodem plane respectu se res habet in causarum efficientium consideratione: nam alij æstimant & reuera habent Deum Monadem pro vnico & solo agente in hoc mundo: Alij Angelum, seu Angelos dicunt primas causas efficientes: nonnulli ponunt Stellas, præcipuos in Fatalitate Actores: dicentes ipsas primitus in inferiora agere: cuiusmodi sunt, in Astrologia versatissimi. At Philosophi, Mediciq; antiqui, Elementa & eorum formas pro efficientibus rerum causis statuunt. Hinc adeo ortum est, quod tot ordinauerint homines causas subalternas, quot fere sunt in mundo Scientiæ. Cum tamen re paulo maturius considerata, Deus, mediante sua Sapientia sit solus in hoc mundo actor, & nullus secum: vt testatur Isaias. Et Apostolus ait: *Ab ipso, in ipso, & per ipsum sunt omnia.* Quare errant, qui dicunt, Angelum seu creaturam aliam, hoc vel illud facere: cum potius Deus in Angelo, & per Angelum, vel aliam creaturam (quasi Organon) omnia operetur. Non est enim barbiton seu Lyra: qui facit Musicam: sed Musicus: nec Musicus, sed Anima pulsantis: nec tamen Anima pulsantis: sed actus diuinus, qui est illud centrale agens quod Spiritum, quasi vehiculum immediatum mouet: & prouocat: & Spiritus (incitante radio diuino) mouet corpus, & corpus mouente Spiritu, pulsat chordam & chorda pulsata facit Organum seu Instrumentum sonare.

Quare in tota ista causarum multiplicatione, non inuenimus reuera, nisi vnicum agens Essentiale, quod est ipse Deus, qui quatenus est in se vnicus & indiuisibilis, & solus in omni Instrumento mundano actor & forma mouens. Nam nec spiritus in homine, nec corpus nec chorda in Instrumento, nec ipsum instrumentum per se plus possunt quam res materiales forma destitutæ: Pari etiam ratione sine lucis increatæ radio nec Angelus, nec Stella, nec ventus, nec Elementum, quippe quæ sunt Organa vnus Diuinitatis vnice agentis, quicquam præstare possunt.

Quare

Quare dicimus Angelum se habere vt Spiritum humanum, in quo insidens Mens diuina, ab eius Centro immediate agere animaduertitur. Nam DEVS per Angelum quasi eius Organum, agere dicitur: Sic etiam Stella corpori humano refertur, vtpote in qua agit Angelus, incitante centraliter DEO non aliter quam Anima in corpore & per corpus operante; tanquam principio interno ipsa mente: & Stella agit in terram & Elementata, more corporis pulsantis instrumentum, quæ tandem Elementa suæ Harmoniæ effectus in aere aperto (more Instrumenti) proferre solent. Quibus, Sapientes minime latere potest Deum esse solum & vnicum in natura & rebus naturalibus Actorem, cui ergo soli sit laus & honor.

Et tamen more vulgi iam nunc loquemur, & cœlum atque sidera solos, in inferiora actores cum Astrologis & Medicis fingemus, vt cum mundanis mundano more agamus.

Inquit Hippocrates: *De cœlestibus rebus & sublimibus mihi nihil dicendum* Hip. lib. de videtur, nisi quatenus homines animaliaque cetera quæ in terris degunt & gignuntur car nibus. *nataque sunt; Principium & Originem inde habere demonstrabo: & quod Anima de cœlo est: quodque dolere, languere, mori, & denique quicquid boni maliue, in homine est, de cœlo proficiscitur, &c.* In quo sermonis filo agnoscere videtur iste Medicorum Ethnicorum facile Princeps, quod inferiorum Author formalis sit Cœlum cum suis ignibus rutilantibus: imo vero & ipsum animarum fontem statuere haud videtur hæsitare: Quamuis, vt antea est declaratum, illius virtutis origo sit à fonte longe excelso.

Porro etiam Ptolomæus scriptis mandauit, quod vultus huius seculi Elementaris sint vultibus cœli subiecti: Et Philosophi omnes in hoc videntur consentire, quod superiora agant in inferiora; inferioraque à superioribus regantur. Similiter mundum inferiorem corporibus superioribus esse contiguum concludunt.

Et Cabalistsæ omnes in hoc consentiunt (vt antea) quod omnes res inferiores sint repræsentatiuæ superiorum, & quod vti fit inferius, sic agitur superius, &c. Reuchl. Art. Cab. lib. 2.

Ob istam igitur rationem, Hermes vocauit Cœlum sensibilem DEVM, Asclep. 2. quatenus est administrator omnium corporum, quorum augmenta detrimentaque Sol & Luna sortiti sunt, &c. At vero more Christiano concludit ipse sic. Cœli vero & ipsius animæ & omnium, quæ in mundo sunt, ipse gubernator est, qui est omnium effector, Deus. Hæc ipse. Quare & alibi ait: Ipsum Cœlum plenum est Deo, &c.

Sed pergamus more vulgi. Aristoteles ait; *Quod iste Mundus sit superioribus latioribus fere continuus, vt inde vis eius vniuersa regatur.* Quare concludendum sentio, quod Stellarum iudicium in Sanitatis tuitione minime sit omnimodo negligendum: quoniam plus arguere videtur ille Paganæ sacræ locus, quam solam illuminationem accidentalem: Lib. 1. Met.

qui sic se habet: Deus fecit corpora cœlestia in ministerium cunctis Gentibus, quæ sub cœlo sunt, Sed de hoc, paulo lucidius in sequentibus. Deut. 4.

C A P. II.

Quod Astrologia cognitio sit admodum in quolibet vero Medico necessaria.

EX præallegato igitur Hippocratis loco colligere fas est, quod Astrorum observatio sit à Medico vero inprimis requirenda, & perquam necessaria, quo non modo de morbi infestantis conditione possit iudicare, verumetiam ut cautela diligenti prævideat quid sanitati aduersum cuiquam contingere queat: & consequenter, ut possit sagaciter malo futuro & sanitati periculum minanti præuenire, atque illius effectum maleuolum impedire. *Haly.* Hoc autem videtur Haly in quodam præludio paruulo Hippocratis Operi præposito sic confirmare: *Medicus qui Astronomiam ignorat, est tanquam cæcus viam baculo examinans; huc atque illuc miserabiliter cespitans pro qualibet boni maline apparentia phantastica & inani, ut fatuus trepidans, &c.*

Quibus denotare videtur quam incerta, inconstans & manca sit Medicinæ professio, ignorato Astrologiæ mysterio.

Ptolom. in centiloq. Hinc igitur Ptolomæus (Astrologorum facile Princeps) talia profert verba: *Optimus Astrologia professor multos effectus stellarum auertere potest, quando nec naturas illarum ignorat, & seipsum antequam effectus harum accidant, diligenter preparauit: Atque sic in cæteris.*

Porro etiam hæc docet horas Electionis, in quibus Medicina tam purgatiua, quam astringens debet conuenientius pro corpore humano viurpari. Nam sæpissime medicamenta purgatiua à Medico Astrologiæ ignaro sub Influentia astringente dantur: atque hac ratione minime solet expectatum producere effectum. Sic etiam in fluxibus ventris, medicamenta stiptica, dum Influentiæ lubricæ & laxantes dominium habent, effectum à medico expectatum proferre nesciunt. Hinc ergo est, quod quandoque purgatiua facilius, & quandoq; cum maiore difficultate & pauciori quantitate purgare atque euacuare obseruantur.

Sed de hisce in *Tractatu huius Tomi secundo*: vbi de Medicamentis agemus, & copiosius.

C A P. III.

De Stellarum fixarum proprietatibus, & influxibus in hæc inferiora: & quomodo tam morbos quam sanitatem per vices procreare soleant.

QUOD Stellæ fixæ in Firmamento dispersæ admirabiles producant mediantibus suis influxibus in hæc inferiora effectus, nos docet inprimis *stella illa polaris*, ab Ægyptiis *Alruckaba* dicta habens naturam Saturni & Veneris: utpote, cuius est ad se Magnetem affectione ardenti attrahere, quod & acus marinæ proprietates arguit. Tanta est enim inter Magnetem & ferrum relatio, ut ipse illud auide affectando, fortiter ad se trahere animaduertatur. Qua obseruatione docemur, quam fortis sit operatio superiorum in inferiora: atque etiam quod creaturæ illæ in quas agit stella dicta polaris ex officio, illis vitam occultam & esse attribuens, sint ex lapidibus, Magnes, ex metallis Ferrum. Atque hinc est, quod Cichus Esculanus vbi loquitur de duodecim signis Zodiaci affirmet, *quodlibet eorum nomen suum particulare & speciale de natura & proprietate cuiuslibet animalis, cui præsumunt accepisse: quoniam vnius natura videtur symbolizare cum natura alterius.*

Et

Et Moses Arabicus ait; quod omnis res animata habet à cœlo Stellam ad se influentem: cuius est ei præesse: hoc est: & sanitatem tueri, & præseruare ipsius Essentiã: hocq; diuino imperatu. Verbi gratia: Stellæ existentes in signo ♃ influentias suas fundunt in arietem terrestrem: & Scorpio cœlestis mittit vitæ & Essentiæ influentias in scorpiones terræ: & sic in cæteris, iuxta illud Cabalistarum axioma antea prolatum: vid. *Omnes res inferiores sunt representatiuæ superiorum, & uti fit inferius, sic agitur superius.* Sic item Hermes: quod ex lapidibus, Carbunculo præest Stella dicta Aldebaran, quæ posita est in gr. 25. ♃. ex plâtis, Tithimalli: & sic in cæteris. Deniq; non est herba aut planta, aut lapis, aliudue minerale, aut animale inferius, cui non sit Stella, quæ percutiat illud: vt testantur Hebræorum Doctores.

Reuchlin. 198

Dicimus ergo, quod ex istiusmodi Stellis fixis aliæ sint vitæ & salutis hominum propitiæ magis: aliæ vero aduersæ & magis contrariæ: verbi gratia: illa Zodiaci signa, quæ domicilia sunt Iouis & Veneris sunt vitæ humanæ gratissima: cuiusmodi sunt Tauri: à quo suaues impluuntur Pleiadum influentiæ, vt testatur Iob: & ob istam rationem & propter fœlicem nexum, qui factus est inter Geminos: hoc etiã signum est admodum generi humano salutare: quatenus madorem suauem & influxus moderate calidos animatis inferioribus emittit. Similiter & Libra est admodum vitæ & sanitati gratiosa, quoniam influxus humidus & calidos infundit in inferiora. Sic etiam & Pisces influentias salutiferas Iouiali numini ascriptas, atque sacratas in inferiora impluunt liberaliter, necnon & Sagittarius complexionibus phlegmaticis benefice adesse solet.

Valde quidem foret hoc in loco tædiosum de hisce omnibus plene discurrere: quare plura de Stellis fixis ad vitam & salutem ducentibus hic proferre nolumus. Quod autem ad Stellas fixas humanæ salutis aduersantes attinet, de ipsis verba plura in *Tractatu secundo* (Deo volente) faciemus.

DE

PLANETIS ILLIS QUI AD SALVTEM HVMANAM CON- ducunt.

CAPVT I.

Quomodo inferiora à superioribus regantur, & quod tam generatio & sanitas, quam morbus, corruptio & mors ab influxibus superioribus causentur,



Pim. 9.

Pim. 12.

Pim. 11.

Asclep. 2.

HERMES dicit, quod Mundi reuolutio generationes exagitans qualitas efficit quasdam, inficiens malò, fædans, quasdam defensans bonò, purgans. Diuinum hoc voluntatis diuinæ Organum & hac potissimum ratione constructum, vt à Deo semina suscipiens vniuersa, eaq; toto sinu recondens, omnia quidem componendo producat: omnia rursus aufert diuidendo: atq; instar agricultoris periti, quodcumq; nimis adultum est, amputat, vt statutis temporum intervallis reuiuifcat: nec est quicquam cui vitam mundus non præstet, simulq; vita locus atq; etiam institutor, &c. Hinc igitur, alibi mundum vocat secundum Deum: quatenus de Diuinitate primaria participat. Ex quibus arguere videtur, quod seminaria diuina, vbiq; in vasto mundi expanso disseminantur, & quod per reuolutiones Planetarias, tam ad generationem, quàm interitum indies ordinantur in creaturis compositis variæq; in Elementis producuntur alterationes. Quod etiam alibi sic confirmare videtur. *Sine Fato* (quod est dispositio Gubernatorum septem) nihil operatur in mundo inferiore: malum enim sine illo non fit, nec bonum sine illo quicquam. Quare alio loco dicit. *Respice mundos septem suppositos, ornatu mirifico fabricatos, ordine sempiterno cursu suo indifferenter complentes æuum.* Plena sunt luminum singula: ignis vero in illis nullo modo: amicitia enim contrariorum dissimiliumq; commistio lumen instituit illustratum ab actu Dei: bonorum omnium genitoris, totius ordinis Principis: septemq; mundorum Ducis æterni. Sol autem & Luna ad rerum ortus & obitus, ad rerum augmenta & decrementa, Diuinitatis Organa sunt, &c. Cuius Antistitis sermone arguitur, quod septem Planetæ & eorum Intelligentiæ ordinantur ad dispensationum leges tam amicitiae, quam inimicitiae, tam vitæ seu ortus, quam mortis seu interitus in rebus omnibus, & quod Sol & Luna sint organa præcipua ad munus illud obeundum.

Hic autem de Planetis illis præcipue agemus, quæ ad vitam & salutem attinent: nam de illis qui ad creaturæ viuentis perturbationem, dispositionem morbificam & destructionem magis sunt proni, in *Tractatu huius secundo* prolixè agemus.

Sed in primis quidem diligenter est obseruandum, quod *Arbor Planetaria*, eodem plane modo se habeat, vt illa *Cabalistica*: à cuius ramis originaliter suas excepit *Mundus Planetarius* virtutes. Nam horum alij naturali inclinatione ad mortalium beneficium ordinantur & disponuntur: vid. *Iupiter & Venus* vnde ab

ab

ab Astrologis *Fortunia* dicuntur. Alij naturali consensu mortalium pernicipi sunt magis dediti vid. *Saturnus* & *Mars*: quare ambo appellantur *Infortunia*. Alij vero de vno vel altero extremo participant: cuiusmodi sunt, *Sol*, *Luna*, & *Mercurius*.

CAP. II.

De Iouis proprietate.

PTolomæus ac Galenus (vti refert Iulius Hyginus in *Areteæ Phænomena*) de numerosissimo Stellarum choro duas simpliciter adiutrices, beneficas & naturæ amicas esse dixerunt: Iouem vid. & Venerem: vt & duas itidem alias Saturnum scilicet & Martem, corruptrices, naturæ inimicas ac maleficas. Hic ergo de beneficis ordine suo.

Iupiter est clementissimus rerum sublunarium fotor, fospitator, seruator, fructifer, sator, hospitalis, beneficus, salutare & benignum numen, nec non & omnium Pater. Vnde quidā nomen illud vid. *Iupiter* à proprietate illa sua ipsi ascribi volunt. *Iupiter* (inquam) quasi iuuans Pater: Et *Zeûs* à *Ζωή*: hoc est vita. Hinc ergo est quod in mense partus, quo potentior est *Iupiter*, in eo vid. nono salubriter in lucem editur infans. Huius autem rei ratio ab istius Planetæ conditione colligitur: nam cum ipse sit in sua constitutione temperate calidus & humidus (quod etiam arguere videtur ipsius in cœlo positio) quippe, quæ est inter Saturnum frigidum & Martem calidum: ita vt natura Saturnina frigida & congelata calore Martiali dissoluta in mediocrem Iouis temperiẽ incidere videtur: ideo aëream dicitur habere in se dispositionem: quare suam influentiam habet præcipue in aërem Macrocosmi, quem solet vitæ seminariis implere: quæ vita conflari solet ex calido natiuo quasi agente & humido radicali tanquam patiente, ex quibus, mediantibus radiis solaribus oriuntur Spiritus tam vitales, quam naturales. Nam mediantibus hisce viuit & spirat quælibet creatura.

Quin & se vnit ad istiusmodi vitæ coniunctionem faustus ille Planeta *Venus*: vnde dicit *Ficinus* (idq; haud inconsulte) quod *tres Gratia ad vitam conferentes sint* ♃ ☉ & ♀. At facit ♃ *Gratiarum geminarum* mediam, & maxime vitæ humanæ accommodatam. Quare & *Fortunium maius* dicitur. Hic ergo dominium habens per suas influentias in aërem, ipsum benignum, mediocriter calidum & humidum & vitæ pabulo admodum vtilem reddit: vti in *Solis* descriptione clarius explicabitur, & in sanguinem creaturæ dominium habere traditur, & *Hepati* dicitur: atq; ex facultatibus vim naturalem sibi vendicat. In qualitate calidus est & humidus.

At vero *Stella* ista *Regia* quandoq; à peioribus Planetis dominium in cœlo habentibus inquinatur, & morborum factus est incitator (vti in *Tractatu sequenti* dicitur) sed hoc præter suam naturam est per accidens tantum.

CAPVT III.

De Venere.

Cicero vult quod hæc *Stella* dicatur *Venus*, quasi ad res omnes beneuole veniens: & ab aliis dicitur genitale astrum & prolificum, vtpote in sua natura vitæ & generationi benignum & beneficum. Nam credunt Astrologi: quod mediante hoc, corporibus & substantiis inferioribus dum generantur vel fouentur, succus blandus & roridus suggeritur. Hinc volunt aliqui, quod natura huius Planetæ conueniat cum aëreo calore cholera quasi excitata, & subtili ac frigido aqueo. Vnde oritur, quod ad voluptates allicitat & circa res molles & suaves magis circa circumferentias, quam centrum vergentes versatur: si eius natura non refrænaretur per vicinitatem *Solis*, aut in mundo humano

mano per frænum rationis non detineatur. Vt cunq; tamen Venus propter naturæ suæ temperiem, humiditatis natiuæ est foetrix, atq; calido innato minime aduersa: atq; ob istam causam ab Astrologis *Fortunium* dicitur *minus*: & etiam *Alma*: vt quidam volunt: ab alendo.

Concludimus igitur quod Veneris Spiraculum sit humidum, sed absque vilo excessu cum pauco, eoq; temperato tepore. Atq; hinc est, quod Poetæ antiqui, idq; haud inepte, Venerē à spuma maris, veluti Aquarum Spiritu genitam finxerint, vel quoniam animalium semina sunt spumola: vel vt Euripides vult, quia mentis parum sanæ sunt, qui à Venere seu Concupiscentia sunt capti & superati. Tam huic igitur Planetæ quam Ioui, ex corporis partibus attribuitur Hepar in quo concupiscibilis facultas: Cupidinisq; pharetrati (cuius mater, Venus) necnon titillationum & appetituum sedes inesse existimatur, tam à Platone quam Galeno: sine quibus nullum animal sentiens esse potest. Hinc Poeta.

Splen ridere facit, cogit amare Iecur.

Deniq; gubernat ipsa, ex membris, pudenda, vtpote voluptatum ministra: ex sensibus: præest gustui & odoratui: in quibus cum animi tum corporis delicias esse sitas nemo ambigit. Ex facultatibus, illam appetitricem & vim concupiscibilem: ex humoribus, pituitam dulcē, insipidam & naturalem sibi vendicat, quæ in sanguinem mutari & à calore natio concoqui potest.

Ex naturæ dispositione, reddit homines, ratione suæ temperiei lætos & in societate marium gaudentes: musica & saltatione delectantur, floribus ornari gestiunt, & natura sunt (istiusmodi) delicati. Et quamuis hæc omnia commoda hominibus afferat Stella ista ex sua natura benigna: tamen per accidens: hoc est, maleuolo maleuolorum in cælo prædominantium aspectu, male afficitur: & morbidos quandoq; obseruatur producere effectus: vt in *Tractatu istius voluminis sequenti* declarabitur.

C A P V T I V.

De Planetis, qui in sua dispositione tam salubri quam insalubri operantur in corpore animalis: & primum de Sole cælestium Principe.

A/clep. 2.

SOL & Luna (inquit Mercurius Trismegistus) ad rerum ortus & obitus, ad rerum augmenta & detrimenta, Diuinitatis Organa sunt, &c. Et tamen hoc certum est, atq; experiētia comprobatum, quod ipse Sol sit in sua dispositione manifesta, viuentium non aduersarius, sed amicus, omnium aliorum in cælo beneuolorum summus, vti mox clarissime probabimus. Nam tametsi eius temperamentum videatur cum cholera rubra conuenire, & cōsequenter, igneam induere qualitatem, tamen in suo calore & siccitate est admodum temperatus, & ob istam suam conditionem moderatam, vitæ creaturarum, quæ in humido radicali & calido iuncto consistit, propitius: Imo vero tota eius substantia videtur esse facultate viuifica plenissimus quippe, mediante qua tam signa cælestia cum cæteris Stellis firmamenti fixis & plane reliqui, quæ creaturæ omnes sublunares viuunt, in generationibus versantur & sanitate optata fruuntur. Quare haud inconsulte Heraclitus in istum sermonem erumpit: *Si Solem è mundo sustuleris: quid est nostrum corpusculum si desit anima? nulla ibi tractatur vena pulsantilis: sentiendi nullum inest indicium, nullus in eo vitalis habitus aut vlla spiratio.*

Atq; hæc est ratio, quod Sol à nonnullis dicatur *cor cæli*, quoniam sicut in corde viuus extat sanguis, cætera humani corporis membra madefaciens, & irrigans motumq; vitalem infundens: Sic in Sole videtur esse omnium rerum, tam inferiorum, quam superiorum vegetatio & conseruatio: quoniam vitam & calorem inferioribus spirat lumine seu luce sua. Vtpote, quæ est actus simplex: cuncta ad se viuifico calore conuertens, cuncta permeans Entia: & qua-

qua-

qualitates seu virtutes eorum ducens per omnia: ac tenebras caliginesque dispersens.

Ob istam igitur rationem Hermes dicit. *Sicuti mundus est sempiternus: sic Asclap. 10. etiam est Sol: semper gubernator vitalium vel totius viuacitatis: eorumq; frequentator & dispensator est.*

Hinc erat, quod Platonici, ipsam mundi animam in Sole sedem & tabernaculum suum habere existimauerint: à qua creaturæ non modo sublunares, verum etiam cœlestes, vitam luces splendores gloriaq; suas sunt sortitæ: & idcirco Heraclitus vocat *Solem cœlestis lucis fontem*, & alij *cor cœli*: Quare haud consultum credimus esse, hanc Ciceronis opinionem, vid. Stellis omnibus (Luna excepta) proprium lumen & splendorem esse attribuendum. Sed & hoc eo luculentius declaratur, quoniam cum Sol est in signis Zodiaci, tum emittunt ipsa suas virtutes & vires, & cum ipse aut coniunctione, aut aliquo alio aspectu se applicat ad Stellas cæteras erraticas, ipsas suo more alterare: ipsiq; suo quasi nutu imperare obseruatur.

Hinc ergo erat, quod Speusippus Solem ideo Apollinem dici existimauit: quia vis eius consistit in pluribus ignibus: quatenus ipse solus continet vim & lumen omnium astrorum. Nam astrorum concursus non producant effectus, quousq; semine Phœbeo sunt grauidi. Et Chrysippus Apollinem ab α & ω derivat, id est, multitudine: utpote, qui vires omnium astrorum continet. Vnde à Latinis dicitur *Sol*: quasi solus lucens, & vita lucida.

Porro, eius luce, virib. & calore vndiq; perfusa, leniter calefacit & fouet & suauiter desiccatur omnia inferiora: ut testatur Ptolomæus: & Auerroes quod penes ipsum sit vitæ & generationis origo: quatenus ille calore moderato, humidum rerum primigenium fouet, & ad generationem & vegetationem quotannis excitat. Atq; hoc experientia docemur esse certissimum: nam quisque naturæ seriem contemplanis vidit Solis accessu vitæ beneficia in omnibus infundi. Hinc ergo conclusit Aristoteles, Solem & hominem, ipsum hominem; & Solem & Plantam, Plantam generare. Inde est, quod Phœbus, quasi $\Phi\omega\varsigma \tau\epsilon \beta\iota\epsilon$ dicatur: hoc est: lumen & vitam omnibus infundens: itemq; Apollo teste Eusebio, quod $\alpha\pi\alpha\lambda\lambda\acute{\alpha}\tau\tau\eta \tau\eta\varsigma \nu\acute{o}\sigma\sigma\varsigma$: id est, morbos delet: vel *Apellin*, loco Apollinis, ab Antiquis: & ab Atheniensibus $\alpha\lambda\epsilon\acute{\iota}\kappa\alpha\kappa\omicron$: id est, pulsans malum: & ab Homero $\omicron\upsilon\lambda\iota\omicron\nu$, hoc est, Sanitatis author: vel (ut alij) $\alpha\pi\omicron\lambda\acute{\upsilon}\omega\nu$, id est, lauans & purificans, & consequenter curans. Quibus obseruare fas est, quod non modo sit vitæ Pater, verum etiam salutis, conseruationis & purificationis Author.

Concludimus igitur, quod homo quamdiu spirat, viuere dicitur, atq; ideo Spiritus corpus mouentis sensus excitantes & cogitationes mentemq; fouentes, Soli (qui vniuersa mouet, agitq; & viuentium omnium post Deum est causa) iure optimo veneranda adscripsit Antiquitas.

Hi Spiritus (teste Homero) tales quotidie nobis inesse traduntur, quales Sol, Planetarum Princeps & Dominus, in mundi Spiritum afflat, mouet, irradiat & per medium aërem apparat, excoquit & elaborat. Quem aërem qualis qualis est velimus, nolimus, continenter ac necessario inspirare cogimur, & pulmonum adminiculo per os & asperam arteriam attrahere, & in cerebrum per nares & in corpus vniuersum (quod totum est conspirabile & confluxile) per Arteriarum Anastomoses & poros recipere: ut Hippocrates & Galenus attestantur. Sed & hoc etiam ab ipsa experientia docemur: nam pro aëris motu & temperantia de Sole & vniuersa cœli facie pendente, vno die quam alio hebetiores nobis Spiritus aut auctiores inesse deprehendantur: præsertim animales & qui ab his manant sensus rationi perinde seruietes, atq; etiam ipsi sanguini Spiritus. Vnde illi tales nobis adesse solent quales sunt Spiritus & Spiritus tales qualis est sanguis humores reliquos complectens.

Deniq; Spiritus viuentium ab aëre per influxus cœli præparato, succes-

N

fuo

16. suo motu reficiuntur: quem Sol suis radiis gubernare, atq; mouere cognoscitur: iuxta istam Sapientis sententiam: *Sollustrans vniuersa in circuitu pergit Spiritus seu aër & in circulos suos reuertitur, &c.*

Verum hoc totum luculentius in *Anatomia nostra Mystica*: vbi mystica cordis *Ανατομή* pertractatur: atque etiam in *Tractatu nostro de Sophia cum Moria certamine*, vbi mundi anima quam clarissime describitur expressum atq; explicatum habetur. Quare plura de eo isto in loco verba facere mihi nõ proposui.

Planeta iste vitæ radiis plenissimus, ex corporis partibus dicitur cordi præesse: vnde vt Sol dicitur *cæli Macrocosmici cor, & Vitæ vniuersalis Sedes*: Ita quidem cor, in Microcosmo est Fons vitæ, seu Spirituum vitalium scaturigo: & quasi verus cordis Macrocosmici seu Solis mundani filius: non aliter quam Microcosmus dicitur ipsius Macrocosmi sedes. Similiter, Sol oculo dextro ex membris corporis, ex sensibus visui: ex humoribus, sanguini vitali & cholerae rubrae referri traditur.

C A P V T V.

De salubribus Lunæ proprietatibus.

LVna à peritioribus in naturæ mysterio Inquisitoribus *Soror Solis* haud immerito dicitur: quatenus hi ambo pro vniuersalibus rerum in mundo omnium Rectoribus habentur. Nam vt Sol est caloris natiui genitor, & præcipuus in mundo actor. Ita quidem Luna dicitur humorum mundanorum rectorix, & humidi radicalis fons scaturigo & moderatrix: Imo vero in Microcosmo, humorū est ipsa ab illius natiuitate gubernatrix. Nam à nonnullis Astrologis (inter quos Firmicum nominamus) accipimus, quod certum sit compositi naturam pro varia cursus Lunaris dispositione alterari, ipsumq; animatum tam animale, quam vegetabile vires illius ab eo tempore, quo vitalis aura hominem perfectum suscepit, spiritusq; diuinæ mentis se corpori infudit: agnoscere, atq; persentire.

Porro etiam in adulta ætate ab Astronomis Ægyptiacis est obseruatum, Lunam non modo agris, sed etiam sanis, dies quales futuri sunt, posse præmonstrare. Imo vero ipsa etiam in cælo & in mari se potentem declarat, vt in fluxu & refluxu, atq; etiam madido aëris statu se rectoricem sat liquido indicat: inq; creaturarum humoribus matrem se præbet. Quare constat, quod in rerum generatione ob humidum, cui præest, pro materiæ subministratrice habetur: perinde ac eius frater vid. Sol ob calidum, formæ: quorum alterum sine altero, indiuiduo & fraternalis societatis vinculo, quam ægre stare possit: quatenus nullum agens sine destinato suo patiente existere videmus.

Hæc ergo Stella iuxta Ptolomæi doctrinam humectando ideo excellit, quoniam est Terræ proxima: & humidis vaporibus vicina. Quare ista ratione corpora afficit mollia reddit & consequenter est præcipuum passiuum in putrefactione.

Porro etiam vt in Generatione, *Sol* dicitur *Pater*: Ita quidem & *Luna* nuncupatur *Mater*: atq; hinc est, quod signum seu Domus Solis est masculina vid. Leo: vt & illa Lunæ fœminina.

Quibus lucide videre est, quod nulla fieri possit generatio sine vtriusq; assistentia: & consequenter absq; mutuo ipsorum congressu ac præsentia, nihil in inferiori hac rerum materia nasci aut produci queat.

Ob istam igitur rationem Orpheus in suis Hymnis hos ambos vocat, *uiuifcos & prolificos mundi oculos*: Et *Hermes loco antea citato* eos præstantissima naturæ diuinæ Organa, tam ad rerum ortus & augmentum, quam ad earum obitum & decrementum. Quare & *alibi* agnoscit Solem & Lunam rerum omnium generationis post Deum Authores & quasi Parentes. Nam Luna materiam

teriam aptat, Sol formam inducit. Qua docemur Lunam esse Solis sociam, Vicariam & sororem. Hinc ergo vtille *Phœbus*: ita quidem ista *Phœbe* à Poëtis appellatur.

Denique Luna obseruatur in viuentibus tantam habere potestatem, vt decreſcente ea, decreſcere animaduertitur medulla offium illius, atq; etiam in Cerebri ventriculis aquofitas: At vero è regione in ipsius incremento creſcit tam medullæ quam humorum aquoſorum quantitas.

Præterea, corporis tam ſani, quam ægrotantis temperies à variis Lunæ quartis variare notantur: vtpote quarum iuxta Peripateticorum rudimenta, prima eſt calida & humida: ſecunda eſt calida & ſicca, tertia eſt frigida & ſicca: atq; quarta eſt frigida & humida.

Nonne etiam obseruatione Medicorum infallibili eſt comprobatum ipsius morbi criſin ſequi Lunæ quartas, numerando à loco ſeu gradu in quo mouebatur ipſa in hora decubitus? Imo vero in ipſis mulieribus ſanis menſtrua motus Lunæ more exquisito ſequi neminem illius ſexus latere exiſtimo.

Concludimus igitur, quod tota corporis terreni ſubſtantia, ſiue in ipſa ſimplici ſua natura ſiue in compositione conſideratur iſtius luminis ſeu numinis prouidentia quodammodo gubernetur. Denique ex corporis partibus, ſibi vendicat matricem in qua fœtus concipitur & conceptus fouetur, donec imperante Lucina, partus materna clauſtra ruperit. Præterea mammis præſidet oculoq; Luna ſiniſtro, vt Sol dextro præſeſſe dicitur. Ex facultatibus illam naturalem & vegetatiuam regit. Ex humoribus, Pituita ipſi aſcribitur: nam Pituita creſcente Luna creſcere, decreſcente vero ea, decreſcere deprehenditur. Complexione ſua reddit homines pituitoſos & phlegmaticos.

C A P. V I.

De ſalubribus Mercurij proprietatibus.

Hic quidem Planeta inſtar Protei cuiuſdam, natura & conditione ſua eſt admodum verſatilis, vt omnes cum Ptolomæo eorum Principe in Aſtronomia docti agnoſcere videntur. Nam huius ſpiraculum ſeu influxus obseruatur eſſe maſculinus ſi Planetas reſpiciat maſculinos, fœmininos vero cum fœmininis & conſequenter Hermaphroditus calidus cum calidis, humidus cum humidis, frigidus cum frigidis & ſiccus cum ſiccis: ac deniq; fortunatus cum fortunatis, idq; præcipue ſi laudabili cum ijs aſpectu fuerit coniunctus, imo vero, in ſua propria conditione ob rationes antea allegatas inſtar Aeris naturæ (qui proprie ob iſtam rationem, *Mercurius* dici poteſt) admodum obseruatur eſſe mutabilis conuertibilis & communis: quoniam quandoq; ventos ciet in aère, & naturam induit ventoſam, nunc Solis, nunc Lunæ, & quandoq; aliorum conditionem celerrime ſibi aſſumens.

Porto autem, quatenus à Sole longe non recedit: eatenus quandoq; vim fere parè, creditur habere in humiditatibus deſiccandis abſorbendisq; ac ipſe Sol: & quandoque propter eius ad Lunæ vicinitatem, ipſum magnam in humectando virtutem habere: teſtatur Ptolomæus. Quare dicit, quod *hæc Stella ſit mutationum in vtramq; partem ſubitanearum effectrix.*

Lib. 1. Apol.

Ex hominis facultatibus, vim regit animale & præcipue phantaſticam & rationale: redditq; ingenium ſubtile & admodum penetrans. Ex complexionibus vim habere dicitur in Melancholiam. Vnde eſt quod Melancholici iſtius generis obseruantur eſſe ingenioſiſſimi & omni Scientiæ deditiſſimi. Ex humoribus, illi bilis flaua & atra attribuuntur. Ex membris, ſunt qui huic ciſtam fellis aſcribunt.

Concludimus igitur, quod, vt iſta Stella ſit Chamæleontis more verſatilis & mutabilis: Ita quidem cū bonis animaduertitur eſſe bona: & tunc eius

natura valde percipitur esse salubris & medicabilis iuxta sui Præsidis dispositionem: quem *in precedentibus* diximus esse Angelum *Raphael*: quod vocabulum denotat, *Medicinã Dei*. At vero quatenus ipse cum malis fit malus, eatenus morborum variorum Mercurialium, quandoq; est author & actor. Non aliter quam ipsum aërem obseruamus nonnunquam sanabilem & generabilem, & nonnunquam putredine contaminatum, noxium & corruptum, morborumque fere omnium tabernaculum.

C A P. V I I.

De salubribus Saturni & Martis proprietatibus.

QVamvis Saturnus tam à Chaldæis, Arabibus & Græcis in genere: quam à Ptolomæo & Galeno in specie pro Stella intemperata, & malefica æstimatur: & consequenter pro *Infortunio maiori* habetur, tamen in quibusdam rebus sagacis & periti Medici obseruatione diligenti præeunte admodum animaduertitur esse salutaris: Verbi gratia. Vis eius restrictiua multum ad fluxuum curationem confert. Quare Medicus horam in qua Saturnus habebit dominium, atq; etiam tempus illud in quo ipse fortior in cælo existit: in applicatione medicinæ ad fluxum constringendum & cohibendum destinatæ expectare debet.

Præterea sæpissime euenit, quod Planeta efficiens fluxum aspectu quodam propitio cum Saturno facto corrigatur & in sua malitia diminuatur. Deinde huius Stellæ malignitas præsentia bonorum siderum, eo in campo cælesti fortiorū, quandoq; refrænari, contemperari & in bonitatem verti animaduertitur: vti *alibi* abunde. Denique Stella hæc cogitationis firmitate, studiorum assiduitate & pertinaci labore, ubiq; comites fere secum ducit voluptatem ac delectationem, quod quidem animo videtur summum quoddam & peculiare bonum. Istiusmodi enim desiderabile Melancholiæ genus Philosophis admodum gratum & familiare secum affert Planeta hic.

Pari quidem ratione se habet *Planeta Martialis*, qui est igneus & æstuans, in sua conditione non minus quam Saturnus, est frigidus & siccus. Vnde ob eius intemperantiam seu calorem vrentem magnopere est ille noxius. At vero istius calor immoderatus desideratur in quorundam morborum curatione. Nam in Paralyfi solent medici periti febrem Martialem incitare, vt mediante ea, curetur morbus. Sic etiam in frigidis & humidis intemperiebus, ad curationem exquisitiorem, expectare debet Medicus Martis in sua exaltatione seu dominio auxilium. Atq; etiam Planeta, qui est Author illius mali, aspectu beneuolo Martis in cælo prædominantis debilitatur, & facilius redidit: vt à Medico dometur.

Plura hoc in loco de Planetis istis maleuolis non dicam, quoniam in *Tractatu sequenti*, vbi de morbis agetur, mentionem pleniorẽ de ipsis, Numine assistente diuino, faciemus,

LIBER TERTIVS.

DE

SALVBRIVENTORVM PROPRIETATE.

CAPVT I.

De salubribus Ventorum in genere proprietatibus.

V M aër (vt Hermes ait) *fit corpus subtile*, id quidem corpus re- Pim. 2.
liqua omnia, acuta sua raritate penetrat, discurrensq; vbiq;
cuncta replere, atq; permeare dignoscitur. Quod quidem si
perpense considerabimus, inueniemus, quidem illud Galeni,
minime esse repudiandum: quo docemur, aerem ambientem
esse præcipuam è causis necessario nos tam secundum quam
præter naturam alterantibus: vtpote qui partim per poros cutis, à venis & ar-
teriis attrahitur: & partim respirando tam ad lætum cordis thalamum, quam
ad cerebri ventriculos introducit. Hoc quidem corpus spirituale vastam
mundi cauitatē implens, existimatur minime per se existere, quatenus ipsum
quoad essentiam suam consideratum, neq; esse frigidum nec calidum, nec hu-
midum, nec siccum, nisi in quantum ex prima creatione participationē ha-
buit quandā confusam à matre sua Chao: nihil est aliud nisi Mercurialis aqua-
rum confusarum & deformium Spiritus, ad quamlibet naturam ei à Spiritu
increato inditam recipiendam ordinatus. Vnde factum est, quod flante vento
Septentrionali, seu Angelo illius quartæ, emittente Spiritum suum mutatur
aër in dispositionem terream: Spirante autem Austro, in madidam, cum tepo-
re: sed flatu Orientali, igneam cognoscitur in ipsum induere dispositionem: vt
& Spiraculi Occidentali, aqueam.

Quibus luculenter patet, quod vniuersa aëris temperies, in Ventorum
flatibus consistit: & quod assidue variatur in hoc vel illo elemento pro Venti
varij dominio. Hinc ergo est quod *Aer, Spiritus & Ventus* rem vnicam & ean-
dem notant, vt testatur vocabulum illud Hebraicum *ruach*: cuius signifi-
catio tres illas dictiones vid. Aerem, Spiritum & Ventum: imo vero & Ange-
lum comprehendit. Quare manifestum est, quod vt Venti istiusmodi afflatus
aduertuntur suis spiraculis aerem reddere vel salubrem, vel contagiosum seu
morbidum: & iterum ipsum tristem seu conturbatū quandoq; efficit: & non-
nunquam clarum & serenum: Ita quidem iste Spiritus omnibus tã vitæ & in-
spirationis pabulum, quam morborū & infirmitatū variarum subiectum præ-
bens, cum omnia penetrare solet, & viuientia cuncta circumambire, spiracula
vel sanitati propitia, vel infirmitates & quandoq; mortem secum afferentia, in
animalium corpora introducere notatur. Atq; hoc ipsum à Galeni & Hippo-
cratis doctrina nullatenus discrepare videtur: Imo quidem in scripto sacro:
Deum inobedientes aëre corrupto percutere solere. Nonne etiam infinitas in aëre al-
terationes à varijs ventorum flatibus quotidie productas, mediantibus qui-
bus, aërem etiam Microcosmicū, simul, atq; ipsius terræ siue tam bene quam
male, corpus mirabiliter affici cernimus? vt in sequentibus, clarius.

C A P. II.

In quo, salubris Venti Aquilonaris cum suis sociis dispositio explicatur.

Quamuis de Ventis & ipsorum causis abunde in *Historia nostra Meteorologica* disceptauimus; de variis tamen eorum viribus & dispositionibus salutis humanæ propitiis mentionem hoc in loco faciemus: quemadmodum de morbida ipsorum facultate in *Tractatu huius voluminis sequenti*, copiose discurremus.

Vt ergo ad Ventorum *Borealium*, seu *Septentrionalium* inquisitionem imprimis perueniamus; dicimus quidem quod principalis istius plagæ ventus fiat directe à Mundi polo per eius Axem & dicitur *Boreas*: Huius autem socius collateralis *Orientalis Aquilo*: Et ille versus Occidentem situs, *Circius* nuncupatur.

Horum Ventorum Princeps, videl. *Boreas*; est ex sua proprietate absolute frigidus, siccus terrestris melancholicus: Vnde ex naturali suo actu tollere solet pluuias, & aerem facit subtilem clarum tenuem & siccum, eumque à dispositione sua corrupta, & pestifera quam induxit *Auster*, purgat & purificat.

Hinc ergo concludunt in Medicina peritiores quod diminuit superfluitates corporis animalium, & frigiditate sua constringit cutem, porosque claudit; atque eo modo calorem naturalem in corpore retinet; cuius actus ob istam rationem fortior ad officium suum obeundum redditur; concoctioni munus melius perficitur: vnde & virtus naturalis hac ratione corroborari cernitur.

Porro etiam Experientia probauit & Hippocrates nos docuit, quod diurni *Boreæ* flatus corpora agilia & bene colorata reddunt, eaque constringunt, indurant: atque etiam clarum & facilem reddunt sensum Auditus. Et *Constantinus* ait, quod *Boreas suo flatu comprimat prauos humores eosque retinet, ne in alia membra cadant.* Similiter pestilentiam propulsare; Sanitati beneficus esse atque propitius, traditur hic Ventus.

Constant. lib. 5. c. 4.

Pari ratione res sese habet cum prædictis duobus eius collateralibus qui & frigidi & sicci sunt, sed ratione impuri. Nam *Aquilo*, quippe inter palum & angulum Orientalem situs, aliquantulum, licet insensibiliter, de dispositione venti Orientalis participat: vnde non est adeo frigidus, ac est *Circius*, & vice versa *Circius* non est adeo siccus vt *Aquilo*, quippe qui aliquantulum vergit ad positionem venti Occidentalis qui est humidus: vnde liquet quod hic magis de humiditate Occidentali participat, ille de siccitate Orientali.

Lib. 14. de Gen.

Porro etiam horum est corpora indurare, poros eorum aperire & consequenter, ea robustiora & animosiora reddere; humores purificare, clarum efficere spiritum, adiuuare digestionem, rectificare aerem pestilentem, generationisque virtutem adiuuare. Vnde dicit Aristoteles, *Si in conceptione ventus fuerit Septentrionalis, infans erit Mas, si meridionalis, femina.* Sed hoc totum in *Distinctione subsequente* inclusimus.

Boreas

Boreas cum suis sociis collateralibus, suam beneuolentiam præbet erga

Macrocosmum
vel eius

{ Aerem; purificando.
Terram; indurando.
Nubes; dispergendo.
Pluuias; propulsando.

Microcosmum
vel eius

{ Corpora: mollia & laxa indurando.
Poros corporis: obturando.
Spiritus animales: depurando.
Digestionem; adiuuando.
Generatiuam virtutem: augmentando.
Malos humores: comprimendo.
Aerem contagiosum: corrigendo.
Putrefactioni: resistendo.
Corpora subtilia & colorata reddendo.
Corpora confirmando & indurando:
itemque
Superfluitates diminuendo.
Auditus clarificatione.
Ventriculi corroboracione.

C A P. III.

In quo Venti Meridionalis atque ipsius sociorum collateralium proprietates salubris describitur.

VT videmus Deum (qui est radicalis omnium spirituum spiritus) proprietatem quandoque suam clementem & mortalibus salubrem; & nonnunquam illa iracundam & seueritatem ductam in mundo exercere: Ita quidem nullum credimus ab ipso afflatum prouenire qui proprietatem quandoque beneuolam & sanitati propitiam; & quandoque maleuolam & vitæ atque salutis aduersam secum non affert. Hinc ergo certum est, quod ut quilibet ventorum suum secum quandoque fert tam Macro quam Microcosmo commodum & effectus suos salubres; Ita quidem nonnunquam secum adferunt, incommoda & infirmitates quamplurimas: vti in Tractatu sequenti aperte satis explicabitur: Quoniam hoc in loco de benignis ventorum dotibus vitæ & salutis mortalium accommodatis, mihi tractare proposui.

Ventus igitur Australis illi Septentrionali in suo motu est oppositus. Quare ut hic à Poli Arctici puncto: Ita quidem ille ab illo Antartico per Axem mundi, sua spiracula mittere assolet. Hic etiam duos sibi vendicat ventos collaterales ei quasi ex vtraque parte famulantes: Quorum ille qui partem Orientalem respicit, Notus & Euro-Auster; hic versus partem Occidentalem positus; Auster-Africus vocatur. Omnes hi tres sunt conditione calidi & humidi. At vero Euro-Auster aliquantulum de caliditate & siccitate Orientis participans est cæteris calidior & non adeo humidus: ut è regione Auster & Africus non est adeo calidus, & magis humidus quam cæteri duo, quatenus cardinem Occidentalem aliquantulum appropinquat, cuius flatus est frigidus & humidus.

Beneficia quæ Auster fert, sunt istiusmodi: Aperit poros corporis qui per accidens nimium clauduntur: & sudores per consequens elicit: quo fumi superflui in corpore retenti egrediantur. Dissoluit humores frigidos & spissos, & consequenter dura reddit mollia.

Istius

Istius etiam conditionis sunt *Venti eius collaterales*, qui omnes sunt calidi & humidi, & assimilantur *Veri*, & in *Complexione sua*, referuntur sanguini, ut ille *Borealis*, ad *Melancholiam*, suam habet relationem.

<i>Auster cum suis sociis collateralibus quandoq; clementer agit. Nam in</i>	<i>Macro-</i> <i>cosmo</i>	Præternaturaliter dura mollefacit. Telluri aridæ & sterili pluuias & rores producit, quib. terra herbas gramina semina & fructus producat. Si paruus & curtus sit, Aerem quodammodo clarificat. Sanguineus est & vernalis.
	<i>Micro-</i> <i>cosmo.</i>	Aperit poros nimio frigore <i>Boreali</i> stipatos. Sudores emittit copiose. Humores superfluos per sudores è corpore pellit. Durities præter naturam mollificat & maturat. Humores in corpore frigore glaciei congelatos atque inspissatos relaxat.

At vero in hoc conueniunt tam Philosophi quam medici, quod ut *Boreas* creditur esse omnium *Ventorum* saluberrimus; cui succedit *Subsolanus*: Ita quidem *Auster* cum suis sociis, traditur omnium esse sanitati aduersissimus. Quare maximum solet hic *Ventus* cum suis sociis damnum & incommodum afferre vtrique *Mundo*: tamen in nonnullis sit iis fauorabilis, ut in *Tractatu sequenti*, luculentius.

C A P. I V.

In quo salubris Venti Orientalis proprietates describitur.

Ventus ille qui flat ab *Æquinoctio* *Autumni* qui est in puncto medio *Cardinalis Orientalis* dicitur Latine *Subsolanus*, quia flat ab *Ortu Solis* immediate sub *Æquinoctiali Circulo*: vnde Græce vocatur *Απηνλιώτης*, estque hic *Orientalium Ventorum Princeps*, qui cum suis collateralibus est calidus & ficcus, igneus, cholericus: At vero ille collateralis *Eurus* nuncupatur, utpote qui ad *Meridiem* vergit, ad humiditatem *Australem* aliquantulum inclinatur, ut alter, videl. *Cæcias* quippe *Septentrioni* propinquior, ad frigiditatem & ficitatem eius parumper licet insensibiliter tendit; At *Subsolanus* qui de temperie mediocri participat, & in medio consistit, est *Ventus dulcis, amabilis, purus, subtilis, sanus*, idque præcipue, matutino tempore, quatenus sub radiis *Solis* tunc & in *Aere subtili* eo temperato flare animaduertitur: vnde fit, ut nihil veneni tunc temporis secum afferre deprehendatur. Hinc ergo est, quod *Aer Orientalis* sit adeo purus, subtilis & non nisi mediocriter ficcus: videl. quoniam hic *Ventus* in medio inter *Australem* humidum & calidum: & *Septentrionalem* ficcum & frigidum situs, naturam induit in temperie medio-crem, quæ nec excedit in caliditate nec in ficitate, superare videtur. Quare non modo laudabiles prædictos operatur in aere effectus: verum etiam aquas reddit salubres, claras, & boni saporis. Quibus indicatur quod *Ventus iste principalis*, gratia suæ temperaturæ præseruare solet corpus in sanitate, & aquas facit saniores, & flores atque herbas suauiores quam ille *Occidentalis* reddit. Sequitur ergo quod eius *Flatus* conseruet sanitatem, sitque tam corpori quam spiritui humano commodus & propitius; videl. quia de loco & aere magis subtili & temperato flat. Atque hinc est, quod *Architecti fenestras domnum præcipuas ad plagam Orientalem respicere faciunt*: quoniam

niam

niam ista plaga ratione sui venti pro maiori parte à putredinè aliena & libera redditur.

Ad ventos vero eius collaterales quod spectat, dicimus hos ambos tam propter feruoris sui ignei quam siccitatis malitiam nō ita sanos esse ac ille principalis, vti in *Tractatu consequente* clarius.

Conclusimus autem istiusmodi venti Cardinalis proprietatem tum *Macro-* tum *Microcosmo* propitiam & amicabilem in Distinctionem sequentem.

	est	{ igneus calidus siccus }	temperatè.
<i>Macro-</i> <i>cosmo</i>	}	Aerem (vt plurimum) reddit purum subtilem suauem: quare Serenator haud iniuria dicitur.	
<i>Subsolani</i> spiracula seu flatus faustus in		Flores producit suaues: herbas gramina & fructus facit crescere.	
		Aguas facit claras boni saporis & salutiferas.	
<i>Micro-</i> <i>cosmo.</i>	}	Est temperate cholericus seu igneus, & ad vitæ sanæ dispositionem tendit.	
		Corpora in sanitate conseruat.	
		Spiritus corporis aereos depurat; præparat & subtiles reddit.	
		Aerem subtilem & salubrem procreat & vitali inspirationi aptum.	
		Putredini resistit propter iustâ qualitatum suarum temperiem.	

Quanto magis Orientalis ventus ab Æquinoctialis Solstitio hyemali est propinquior, eo magis putredinis malitia contaminatur: vt in *Tractatu sequenti*, clarius.

C A P. V.

In quo salubris Venti Occidentalis Virtus discernitur atque explicatur.

AB Æquinoctio Vernali, videl. ab angulo Occidentali flat *Fauonius* qui pro vento satis salubri habetur. Atque ob istam rationem, Isidorus vult, illum Latine Fauonium nuncupari, quia nutrit res genitas: quin & à sua suauitate Zephyrus appellatur.

Hic dispositione sua creditur esse temperate frigidus humidus & phlegmaticus, quoniam Sol non diu manet in Occidente: Vnde fit, quod natura eius sit quasi vernalis, quatenus ipse herbas graminâ & fructus producere gestit.

Ob istam igitur causam in fine diei censetur ipse esse saluberrimus, quoniam Sol tunc temporis plagam Occidentalem percurrens, ventum simul atque aerem ipsius purificat: Nam sine Solis moderamine & spiraculo, non ita temperatus est ille Cardo: vnde in hoc respectu traduntur eius Aquæ esse magis turbidæ & non ita sanæ.

Quibus etiam videre possumus, quod Ventorum temperies, imo vero & rerum virtus in Solis potestate atque gubernatione sit; qui & vim suam accepit ab ipsa Sapientia quæ posuit Tabernaculum suum in eo: *Cuius solius est, dare Aeri & Vento pondus, & appendere aquas in mensura, &c.* Quod etiam Antiqui 106.28. videbantur recognoscere qui more Allegorico loquētes, *Ventos Titanis Astrea*

& An-

& *Aurora* filios dicitur: quatenus videl. ab actu Solari geniti, utpote cuius est Aerem reddere subtilem & rarum, hocque præcipue in *Aurora*.

Lib. meteo.

Hiscæ videntur secretiores Philosophi verbis expressis astipulari, dicentes: quod venti generentur ex calore *Solis*. At vero nihilominus videntur mandata *Iunonis* recipere, quoniam non nisi in Aere flant, qui dicitur *Iuno*, nec agit spiraculum *Solis* internum, nisi in Spiritum mundanum qui est *Aer*, cui sunt loco animæ viuacissimæ & mobilissimæ illum quo vult, ducendo: atque in Elementa varia dirigendo, pro voluntate sua conuertendo. Hinc ait D. Iohannes: Spiritus spirat ubi vult: hoc est, mouet quasi internum in Sole externo agens aerem quo & ubi vult. Et Ecclesiastes ait: Aerem in suis circulis ad motum & actum *Solis* circumferri.

Sed ad propositum. Ventus hic, duos sibi collaterales socios vendicat; quorum, qui ex parte Boreali, situm suum habet, *Corus* Latine vocatur, & Græce *Aeyēsns*, qui propter inclinationem suam ad Polum Arcticum (nam sedem suam habet iuxta Solstitium æstuale occidentalis) non est ita humidus, sed de siccitate Septentrionali parumper participat, uti è regione, *Africus* quatenus ad Austrum vergens & circa Solstitium hyemale plaga occidentali situs, maiorem habet in humiditate intemperiem cum tantillo caliditatis Meridionalis. Hi vero non sunt ita salubres ac est eorum Princeps, cui præest bonus ille Angelus *Raphael*: & tamen suo more tam in *Macro*, quam *Microcosmo* proprietates suas salubres exercet.

Quoniam omnes hi tres in	Macrocosmo	}	Frigora relaxant, niues & glacies dissoluunt.
			Gramina fructus herbas & flores producant.
			Pluuias quandoque salubres & non immoderatas proferunt.
	Microcosmo & creaturis ei inseruientibus	}	Saluberrimi sunt versus finem diei.
			Flante eo, omnia animalia ad suorum similibus generationem inclinant.
			Ouibus & animalib. est salubris; si ipsa plagam istam matutino tempore respiciant.

Ventorum igitur Naturis seu proprietatibus salutaribus sic in genere præcognitis ad mixtos ipsorum tam in Macro quam in Microcosmi Elementis & humoribus (qui à Ventis oriuntur) effectus salubres properabimus.

QVO DE ELEMEN-
TIS ET METEORIS SALV-
TARIBVS, TAM IN MACRO,
quam Microcosmo agitur.

CAPVT I.

*Quod Mundi Elementaris spiritum in suas Sphæ-
ras distinguit.*



N Physica mea de Microcosmo Historia integrum Spiritum sublunarem in regiones diuisi tres: quarum duas extremas feci siccas, mediam vero humiditatis Sphæram dictitavi: quã iterum in duas subdivisas species distinxì: quarum Sphæram inferiorem & visibilem, *Aquam* appellavi: quæ vero inuisibilis est, *Aerem* nuncupavi. Et reuera totam istam regionem, non nisi vnicum in effectu spiritum esse, arguit; non modo sacrarum literarum Auctoritas, sed etiam illa Philosophorum, atque etiam Chymicorum Praxis: qua docemur, quod *Ignis* nihil aliud sit, nisi *aer tenuis*: & *Aer*, quam *Aqua subtilis*: & *Aqua Visibilis*, quam *Terra rara*: & *Terra* quam *Aqua spissa*.

Quare, more retrogrado progrediendo dicimus, quod *Terra* sit nihil aliud quam *Aqua grossa*, & *Aqua*, quam *Aer grossus*, & *Aer*, quam *Ignis grossus*: & *Ignis*, quam *Aer subtilis*. Cum ergo vnicum dixerim spiritum, omnia hæc intellexi. Nam *Spiritus ille sublunaris* (qui reuera est nihil præter illam Materiam quam vocant *Aerem*) iuxta *Lucis internæ* proportionem maiores vel minores, quas gubernat Spiritus qui vbi vult, flat, vel spissior vel rarior redditur. Sic *Aer* seu Spiritus admodum accensus, ita rarefactus erit, vt in igneam conuertatur dispositionem, cuius princeps est spiratio Orientalis aerem in ignem vertens. At vero si frigus iterum superuenerit, paulatim & gradatim à facultate ignea inspissando in aerem mediocris consistentiæ retrogredietur, quam proportionem inducit *Auster*. Verum si magis adhuc vrgeat frigus condensando, in vaporem visibilem primum, & tum postea in nubem, ac denique in aquam conuertetur, in quo actu *Ventus occidentalis* dominium habebit. Atque iterum aquam spissam in terram condensando seu congelando mutari cernimus: vt in *Sale*, *Crystallo*, *Iacyntho*, *Sulphure*, *Alumine*: atque etiam in *nie*, *glacie*, *pruina*, *lapide ceraunio*, & cæteris, videre licet; idque præcipue flatu *Septentrionali* accidere & perfici solet.

Quibus euidens est, quod idem Spiritus aereus varia frigiditatis in condensando, vel caliditatis subtiliando, ratione in Sphæras & species ab inuicem distinctas operantibus spiritualiter ventis diuiditur.

Nã omnes in *Mercurio Macrocosmicæ* proprietates & qualitates, à ventis Angelicis habent suam originem, atq; ob istam rationem euidens est quod Ele-

mentum sit nihil aliud quam materia ista primaria, vastam Mundi cauitatem implens; nullius in se qualitatis, sed omnium Qualitatum per accidens capax & consequenter, more Mercurij Catholici, conuertibilis, ab vna in aliam speciem, & ab vno in aliud Elementum; ea nihilominus semper vnum & idem per se & in se manente: deinde more secundatio, ex his Elementis Meteororum species exurgunt.

Iob 37. 21. Sed hoc videtur Iob paucis explicare dicens: *Subito Aer cogetur in nubes & vetus transiens fugabit eas, &c.* Hic ergo est effectus cōdensationis. At effectum resolutionis Apostolus vbi ait: *cæli calore soluentur, & elementa ignis ardore.*

2. Pet. 3. 10. Porro istiusmodi Elementorum inter se rotationē luculenter sic describit

Sap. 19. 17. Sapiens: *In se elementa dum conuertuntur, sicut in Organo qualitatis sonus immutatur & omnia suum sonum custodiunt, &c.* Sed & istam frigiditatis facultatem conden-

Psal. 147. 16. fatiuā, & caliditatis dissolutiuam optime in hūc modum describit Rex Dauid: *Emittit niues tanquam lanam, & pruinam quasi cineres dispergit, dicit gelu tanquam frusta: Coram frigore eius quis consistit, &c.* Quibus arguit hunc aeris in niuem nubes & gelu reductionem seu contractionem esse à flatu Dei frigidus, vnde ait Iob: *Flante Deo concreuit gelu, &c.* Pro eius vero resolutione, audite verba Dau-

Psal. 147. 17. dis sequentiā: *Emittit (inquit) verbum & liquefacit ea, simulac efflat ventum suum, effluunt aquæ.* Ac si dixisset, Flante Deo à Septentrione, aerē congelat in nubes niues, &c. hoc est, eum in terreā reducit naturam. At flante eo à plaga opposita, vid. ab Austro, dissoluit ea, quæ flatu suo Septentrionali composuit, hoc est, in aqueam & aeream naturam transmutat.

Ex quibus sat liquido comprobatur, quod omnia Elementa non sint nisi spiritus vnicus, vario ventorum modo, vel condensatione (Spiritu diuino radicaliter flante) præparatus.

Quod cum ita sese habeat, certū est atq; experientia comprobatū, quod totus hic Spiritus, in vnus vel alterius Elementi naturā redactus, tam ad mortaliū beneficium & salutem, quam flagellum & ruinam ordinetur: Nam vt ad igneam ipsius Naturam quod spectat, hæc à Sapiente prolata habemus. Elementum ignis; vt alterentur iusti, etiam propriæ qualitatis oblitū est. Nam *creatura tibi quæ fecisti omnia, subseruiens ad punitionem contra iniquos intenditur, & remittitur ad beneficentiam pro iis qui confidunt in te, &c.* Hic ergo habemus Ignis Elementum ad beneficentiam ordinatum. Cuius beneficia, & quam sint ad salutem necessaria, neminem latere possunt.

Similiter Aerem quandoq; corruptum à Deo fieri, atq; vitæ infestissimum nos docent multa sacrarum literarū testimonia. At vero, ipse vitæ humanæ & conseruationi admodum est necessarius, si modo flatu Elementi præparetur & beneuolus atque propitius vitæ reddatur. Nam verbo Dei vbique dicitur Aer faustus, vt potē, in quo est vitæ cibus: At vero si ille cibus (vt in ira Dei accidit) vertatur in venenum; quemadmodum in diebus pestiferis apparet, tunc quidem vitæ & sanitati est oppositissimus.

Præterea, quam sint Aquæ salutiferæ vitæ humanæ & telluris fructibus necessaria: & è regione, quantam mortalitatem & sterilitatem secum ferant Aquæ vel venenosæ vel superabundanter emissæ, testatur etiam Pagina sancta in locis quampluribus.

Denique, Terræ indispositio halitus venenosus, & steriles, infastosque quandoq; effectus, atque suo hiatu mortem nonnunquam subitanam producere notatur: vti in Peste, post Terræ motum oriente, discernere queamus: cum è regione, eius dispositio salubris tranquillos vitæ & sanitatis effectus proferre animaduertitur. At iam ad Microcosmicorum Elementorum descriptionem progrediemur.

CAP. II.

De Elementis Microcosmicis, & Proprietatibus eorum
salubribus.

Quod tota massa humana non sit, nisi Spiritus vnicus, diuersa ratione agente Spiritu diuino in Sphæras Elementares, illis Macrocosmicis haud dissimiles, facillime tam ex sacra Pagina, quam Philosophorum & Medicorum antiquorum testimonio colligere fas erit. Inter tamen *Macrocosmica* atq; *Microcosmica*, istam facimus distinctionem vid. quod illa sunt simpliciora: hæc autem ex simplicibus illis orta, atq; deriuata.

Macrocosmica vero in vnica massam congregata, lacti quam aptissime comparantur: in quo Butyrum, Caseus, atq; etiam Serum continentur: pari modo se habet Sperma humanum, in quo, corpus, Igneus vitæ Spiritus, atque Sphæra humiditatis ex pituita & sanguine, quasi Aqua & aëre continentur. Atq; vt lac in integra sua massa aëri comparata se habet: Ita quidem & massa sanguinis in homine: & massa Spermatis ex sanguine bis elaborato. Nam vt Sperma, totum hominis tam internum, quam externum in se potentialiter comprehendit: Ita quidem Sanguis continet aërem vitalem, ignem cholericum, Terram melancholicam: atq; Aquam serosam: imo vero & ipsam vitam, atq; animam ipsius hominis amplectitur: vt Scripturæ testantur: Sic etiam & lac, in sua temperie Aëri: Butyrum, Igni, Serum, Aquæ: & Caseus Terræ: quam aptissime comparantur. Hinc ergo erat, quod Iob in hæc verba prorumpit. *Nonne sicut lac, fudisti me, & tanquam Caseum coagulasti me? cute & carne induisti me: ossibusq; & nervis texisti me, cum vita benignitatem exercuisti erga me, &c.* In quo quidem sermone, non modo omnia elementa humana: verum etiã ipse actor in eorum dispositione, atq; etiam præseruator, & in pace concordie confirmator & ligator luculenter explicatur. Nam per Caseum, Terram: quæ nihil aliud est quam lac quasi Aer coagulatus, primum in aquam: deinde in terram, cuius aquea superfluitas seu serositas est Pituita: Butyrum, bilem naturalem: atque Spiritus tam de Butyro, quam Sero participans, est ille sanguineus, seu in sanguine delitescens: quem in primis viuificat, & tum postea conseruat Deus omnium fabricator. De eius parte ergo terrea sic loquitur Scriptum sacrum: *sicut argillam fecisti me, &c.*

Hic ergo habemus hominem externum, quasi veri hominis ad imaginem Creatoris fabricati Tabernaculum: vnde & alibi dictum est: *Homo inhabitat domum argillactam, seu luteam.*

Quod autem sanguis est ille aër humanus: in quo delitescit subtilissimus vitæ æther, in quo Dei-forme vitæ Spiraculum vehitur, ex his locis colligimus. *Sanguinem* (inquit Iehoua) *sedem animarum vestrarum requiram.* Et alibi. *Sanguinem hominis, qui effuderit, per hominem sanguis eius effundetur: quoniam in imagine sua fecit Deus hominem, &c.* Quare, vt ad Macrocosmi viuificationem: Spiritus diuinus dictus est *ferri super aquas*: hoc est, agitari in superficiem seu faciem aquarum: ita quidem ad Microcosmi viuificationem, *inspirauit in faciem Adæ: & factus est in animam viuentem.* Hinc ait Iob: *Spiritus Dei fortis fecit me, & spiraculum Omnipotentis viuificauit me, &c.* Ac si dixisset: Spiritus diuinus in Spiritu mundano habitans, erat causa vitæ Microcosmi. Quod etiam istiusmodi sermone confirmat. *In homine est Spiritus, sed inspiratio Omnipotentis intelligere facit eum.* His ergo redditur manifestum, quod actor in Elementis humanis igneus seu syncere lucidus sit solus Deus: qui vel cum ipsis beneuole, & clementer agit, & visitatione sua gratiosa salubriter præseruat Spiritum vitalem in sanguine & Elementa in pace & concordia ligat: aut visitatione sua inclementi & seuera, morbis & languoribus ipsum affligit: vid. contractione Spiritus sui viuifici: & contractione conturbans eum in parte vel totaliter auferendo Spiritum suum: in

qua actione necesse habet homo, vt in puluerem suum primordiale reuertatur: quod omne particulariter sic ex Textu sancto probamus.

Isac. 46. 10.

Act. 17. 9.

I. Cor. 12.

I. Tim. 6.

Iob. 10. 12.

Psal. 31. 17.

Psal. 106.

Psal. 30. 6.

Psal. 36. 9.

Psal. 90. 14.

Ego sum Deus faciens omnia, & nullus mecum: Et alibi. In Deo uiuimus & mouemur & sumus. Et alibi. Deus operatur omnia in omnibus.

Pro clausula secunda: vid. actu Dei uiuifico in homine & omnibus: dicitur. *Deus uiuificat omnia. Et Iob ait. Vita benignitate exercuisti erga me. Et, Visitatio tua conseruauit Spiritum meum. Et Dauid: Luceat facies tua super seruum tuum. Serua me benignitate tua. Et iterum: Quem uisitauit Deus salute sua, fruetur bono. Et alibi. Vita adest benignitate Iehoua. Et iterum. Vita fons penes Deum est. Et alibi. Vita prolongatio, benignitas Dei: atq; sic in cæteris.*

Quæ testimonia, benignam & salutiferam Dei miserentis, & ad salutem & vitæ felicitatem uisitantis præsentiam arguunt.

Porro etiam pro particula secunda, ubi Deus uisitare solet Spiritum humanum non in benignitate, sed in seueritate & proprietate sua infalubri: varia allegabimus etiam Testimonia sacra.

Iob. 21. 17.

Iob 33.

Iob. 20. 26.

Leuit. 10. 2.

Num. 11. 1.

Nam in primis ait Iob: *Dolores impertitur Deus ira sua: increpat quoq; per dolorem in lectulo, & omnia ossa ægri marefcere facit, &c. Et alibi. Consumet Deus improbum, igne non accenso flatu. Et alibi. Ignis exiens è conspectu Iehoua exanimauit eos. Et alibi. Ira accensus est Iehoua, & exardescens in eos, ira eius consumebat eos, &c.*

Psal. 104. 29.

Iob. 34. 14.

Quibus sermonum filis, denotat Scriptum sacrum, quod Deus non modo manifesto suo igne uisitet, sed etiam suo occulto affligat ægrotos in lectulo, hoc est, febribus: ac actu suo secreto accendit eos. Deniq; quod auertendo faciem suam à creatura: ipsam conturbat & ægram facit, atq; recipiendo Spiritum suum ab ipso expiret ipsa: lucide sic indicat Psalmista Regius. *Deo abscondente faciem suam à creatura, conturbatur: recipiente Spiritum eorum, expirant: & in puluerem suum reuertitur: emittente Spiritum suum, recreatur. Et Iob etiam iisdem fere uerbis utitur. Si Spiritum & flatum ad se trahet Deus, deficiet omnis caro: & homo in cinerem reuertetur.*

Quibus arguere videntur ambo in vnum conuenientes, quod emittente Deo Spiritum suum recreantur creaturæ: auertente faciem suam ægrotant & recipiente Spiritum suum expirant: at uero cum emittit gratiose Spiritum suum, sanescunt.

Iob. 34. 77-39

Psal. 88.

Iob. 9.

Atque medium per quod istiusmodi Iehouæ uisitationes fiunt, est *Spiritus humanus*, seu *Aer Microcosmicus*. Quare in vno loco dicitur ille, respectu iræ Dei: *Spiritus uadens & non rediens*: seu uentus abiens & non reuertens. Quare alibi de maleuolentia Dei sic. *Homo super quem æstus Domini incumbit, similis est homini in sepulchro. In beneuolentia uero eius sic. In homine est Spiritus: sed inspiratio Omnipotentis intelligere facit eum, &c.*

Concludimus igitur, quod omnia habemus in homine Elementa: ab illis mundanis deriuata, in quibus author & actor solus est Virtus diuina: quæ solet tam beneuole quam maleuole cum Microcosmo, mediante aereo eius Spiritu per quodlibet Elementum penetrante operari.

Hæc etiam in Macrocosmo Elementa agnoscere videntur Philosophi, atq; Medici antiqui, quos etiam recentiores istius seculi imitantur, quorum est sententia: quod quatuor sint rerum naturalium Principia: vid. summa caliditas, summa frigiditas, summa humiditas, summa siccitas, quæ quidem principia quatuor uolunt conflare Elementa: si modo materiæ insint: eaq; faciunt, *Ignem, Aerem, Aquam & Terram*: Atq; hæc etiam per eorum accessum uocant *calidum, frigidum, humidum & siccum*.

Gal. de reb.

nat. lib. de

ocul. par. 3.

cap. 2.

At uero Elementa Microcosmica (quæ etiam numero quaternario comprehendunt) Humores quatuor uocant, qui secundum eorum dispositionem salubrem uel morbidam faciunt, hoc est, naturales uel præternaturales.

Natu-

Naturales iterum in primarios & secundarios distinguunt: quorum illos faciunt *Sanguinem*, qui est calidus & humidus & refertur ad aerem: *Pituitam*, quæ est frigida & humida: quam *Aquæ* comparant: *Bilem flauam* seu *Chole-*
ram, quæ est calida & sicca, quam dicunt ad Elementum *Ignis* habere respec-
 tum. Atq; *Bilem atram* seu *Melancholiam*: quæ est frigida & sicca: quam volunt
 assimilari *Terræ*.

Auic. pri-
 ma primi.
 Gal. 1. natur.
 hum. 13. & 1.
 de Elem.
 Gal. lib. de
 Element. &
 lib. de consti-
 tut. art. c. 9.
 Auic. prim.
 primi. d. 2.
 Gal. de atra
 bile.

Hos vero humores, innominatum, alimentarium, carniformem & pri-
 mogenitum faciunt: ex quarum absentia, quatuor siccitatis genera oriri
 tradunt.

Qui autem humores faciunt *præternaturales*: eos in species tres distinguunt
 vid. *Pituitam non naturalem*: *flauam bilem non naturalem* & *atram bilem non natu-
 ralem*: atque iterum *Pituitam* in *Vitream* seu *crudam*: *dulcem* seu *insipidam*, *acidam*
 & *salsam* partiuntur. Atq; *bilem flauam* in *vitellinam*, *porraceam* & *eruginosam*: *Isati-*
dem & *ceruleam*: ac deniq; *bilem* illam *atram* in *acidam*, *radentem* & ex *Pituita ad-*
usta conflatam distinguunt.

Gal. 1. art.
 paru.
 Gal. lib. de vo-
 lupt. & de
 Anal. admin.
 Auic. 1. d. 5.
 Gal. de temp.
 Gal. lib. de
 vir. nost.
 Auic. 1. d. 5.
 Gal. de los.
 aff. & d. lym-
 ph. Gal. 12 meth.
 Gal. de Ele.
 Gal. de hum.
 Auic. prim.
 primi. d. 4.
 Gal. 4. com. 1.
 de nat. hum.

His ergo videre liceat, quam immaniter isti Ethnici à veritate aberrave-
 rint, facientes principia primaria Qualitates, cum reuera hæc non sunt, nisi
 effectus Dei diuersimodo agentis: immo vero & quod eius est ipsa Elementa
 substantialia horum solummodo virtute & præsentia conflare autumant:
 cum reuera imaginariæ qualitates dictæ sunt nihil aliud quam effectus Dei
 viuientis vel Spiritum vtriusq; mundi contrahentis & coarctantis (quam actio-
 nem sequitur Frigiditas, vti antea est declaratum) vel illum dilatantis, atque
 istam actionem sequitur calor, qui est nihil aliud quam essentialis motus lu-
 cidæ effectus: quas proprietates mediantribus ventosis suis ministris exercet in
 mundo variformiter. Horum deniq; actione intermedia producitur effectus
 humidus: quorum absentia, orta est siccitas.

Quare contra Ethnicorum assertiones dicimus, quod sint Dei actus,
 qui talia Essentialia faciunt, qui cuncta essentialiter disponunt pro voluntate
 sua: nec quid contingenter & per accidens accidere dicitur: quoniam, omnia
 Dei opera sunt Essentialissima.

Sic dicimus, Spiritum esse humanum, qui cultellum acuit mouendo &
 non calor, qui excitatur à motu: Sic dicimus Deum, hoc est, Essentiam diui-
 nam, operari omnia in omnibus: atque etiam dicitur vocem suam emittere è
 nubibus: non autem fulgur, & multo minus calor illius, qui sunt necessarij
 effectus, qui sequuntur eius actum: Quamuis humano & vulgari more loquen-
 do hæc pro meliori vulgi intellectu ita dici videntur. Et nos hoc in loco more
 mundano sumus loquuti: tametsi reuera omnes istiusmodi in vtroque mundo
 actiones debeant in primis vnico & soli Deo quasi soli rerum Creatori, atque
 actionum authori attribui: & non Creaturis materialibus: multo minus ac-
 cidentalibus, quorum esse est materiæ inesse & nihil per se existere. Nam
 in hoc faciendo, æstimamus potissimum Idololatriæ speciem inter mortales
 exerceri.

Atque hinc quidem est, quod haud inconsulte & inaniter à Sapiente est
 prolatum. *Homines omnes vani à natura: quibus inest Dei ignoratio, qui ex ijs, quæ vi-
 dent bonis non poterunt eum cognoscere, qui est: neq; ad opera attendentes agnouerint
 artificem, sed aut ignem aut ventum, aut citum aërem, aut orbem Stellarum aut violentam
 aquam aut luminaria cæli, Deos rectores mundi, seu saltem vnicos in mundo actores esse
 putauerunt. Quorum etsi specie delectati, sciant quanto his Dominator eorum speciosior
 est: speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera mirati sunt,
 intelligant ab illis quoniam, qui hæc fecit, fortior est illis. Hactenus Salomon. Quibus
 arguere videtur expresse, quam vana sit hominis ignorantis natura, qui virtu-
 tes & actus in hoc mundo primarios adscribunt aut Igni & suis qualitatibus,
 quæ*

Sap. 13.

quæ sunt effectus accidentales : aut Ventis cum suis qualitatibus frigidis calidis humidis & siccis: aut aëri tardo & veloci, aut Stellis, aut cœli luminari-
bus aut Aquis & earum operationibus, & id genus aliis: cum reuera hæ omnes virtutes sunt immediati actus vnius Creatoris æterni in creaturis omnibus: atq; ita quam absurdissime ea ascribendo creaturis, quæ Dei sunt, Idololatriam committunt, eaq; in cœlis, atq; in terra adorare videntur, quæ per se & in se nihil sunt, sed talia, quæ sunt ex ipso Deo, in ipso Deo, & per ipsum Deum existunt, vtpote sine quo, nihil. *Dij* (inquit Apostolus) *sunt qui dicuntur in cælo & in terra: nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, &c.*

1. Cor. 8.

Nec quidem hoc cuiquam sapienti durum videbitur si recte intelligat *Spiritum incorruptibilem esse in omni re: & consequenter agere & operari in omnibus*, vt idem Apostolus testatur.

1. Cor. 12.

Deniq; vt in Elementis & præcipue in aëre, Macrocosmi Meteora salubria: à Deo, clementi sua proprietate quasi Patre, & per Iesum Christum: quasi Filium seu Sapientiam à Patre emissam, mediantibus Angelis: in mortaliū beneficium procreantur: Ita quidem ab ipso: & per ipsum similia procreantur assidue in Microcosmo: quibus generationes & genitorum præseruatio sunt effectæ: cuiusmodi sunt Spermata: & similia.

Demonstratio Ventorum tam collateralium, quam Cardinalium simul atque Planetarum atque Archangelorum cum Spiritibus ventosis quibus præsumunt.


Hic expositam habetis Demonstrationem luculentam Ventorum principalium, seu Cardinalium in qualibet mundi plaga, in aërem mundi apertum, spirantium: in qua etiã Angelos principes: cum Spiritibus ipsis subiectis, qui præsident Ventis: atque etiã Planetas, qui imperium habent in Ventos hic depictos, atq; expressos inuenietis.

Sed hic in primis colligere vos moneo, quod vt quilibet mundi cardo, peculiarẽ sibi Planetã iuxta dispositionem proprietatẽ cuius videtur gubernari vendicat. Ita quidẽ ipsa Luna totũ mundi circulum vid. quatuor mundi cardines iuxta diuersas quatuor Lunæ quartarũ naturas, per vices respicere notatur. Sic primam eius quartam, vtpote *calidam & humidam* sibi ascribere videtur *Meridies*: secundam, *calidam* nempe & *siccam* *Oriens*: tertiam, *frigidam* nempe & *siccam*, *Septentrio*: & vltimam: *frigidam & humidam* *Occidens*.

Quibus docemur, quod Aër mirifice à Luna gubernatur, quatenus ipsa (haud iniuria) dicitur Humorũ Gubernatrix.

Plura

Plura de Demonstratione ista præsentē; hoc in loco non dicemus, quo-



niam in Tom. 1. præcedentis Sect. 1. Part. 4. Part. 2. lib. 1. memb. 3. cap. 8. vbi agitur, de causa Meteororum efficiente, verba de ipsius explicatione vberima fecimus. vbi etiam & viam istam Demonstrationem depictam inuenietis.

P

T O M.

LIBER QUINTVS.

D E

COMMIXTIONIBVS SEV TEMPERAMENTIS VENTORVM, SEV ELEMEN- torum salubribus.

C A P. I.

*In quo probatur, quod Ventus in effectu, nihil sit aliud, quam Elementum,
Quid sit commistio: & quod Temperamentum sit ipsa
mistionis ratio.*



Nulla esse possit qualitas, nisi insit Aeri, aut rei cuiuspiam alteri ex aëre compositæ: Ita quidem Ventus esse nequit, nisi in eo quod aereum est. Quare vt Antiqui calidum, humidum, frigidum, & siccum pro Elementis acceperunt: Ita quidem, idq; rectius, magis Essentialiter nos, & antiquiori inquisitione: Ventum Orientalem, Occidentalem, Meridionalem, & Septentrionalem eorum loco recitare possumus, rectius (inquam) & antiquiori obseruatione, quatenus anima cuiuslibet Elementi ab illis oritur Ventis. Nam afflatus Septentrionis frigidus & siccus, aerem in naturam Terræ mutat, & consequenter est Terræ origo. Ille occidentis frigidus & humidus aquæ: ille Meridionalis, calidus & humidus aëris. Ac ille Orientis, calidus & siccus Ignis. At si dixerit quispiam, quod Elementa sunt semper: Venti autem istiusmodi non, nisi per vices. Respondeo, quod Seminaria cuiuslibet Venti, in vasti mundi materia prima vndiq; permiscetur: sed tali tamen ratione, vt ignea Venti Orientis virtus ob suæ naturæ leuitatem, tendit in altum, cui in natura succedit illa meridionalis aerea: ac tum postea, illa Occidentalis aquea. Imam vero positionem petit virtus Septentrionis constrictiua, seu frigida & sicca: At vero si propter mutationem vnus naturæ simplicis, seu Elementi in aliam, aut gratia variarum omni momento naturarum compositionis, diminui videtur harum virium ventosarum portio aliqua afflatu Dei mystico, ab aliqua mundi plaga emisso, reficitur illius deficientis portio, atque ita quælibet in Spiritu Catholico continuatur virtus ventosa, quæ cum portione Spiritus illius Mercurialis, quæ animat elementum: Quod quidem nihil aliud esse videtur, quam Spiritus mundani portio, qualitatis per se expers: portio quædam Essentiali ventus cuiusdam Angelici afflatu animata: vt & Ventum quidem Naturam vocamus Angelicam Spiritu Sapientiæ aternæ informatam, atque in vasto Mundi Spiritu Mercuriali motam, atque exagitatam, quo & quando ipsi placuerit.

Hinc ergo fecit Deus (teste Propheta Regio) Angelos suos ventos & ministros suos ignem ardentem. His igitur recte iterum iterumq; consideratis, videmus,

*Elementum
Quid.*

Ventus quid.

mus, quod Venti Elementis cum ordine naturæ tum tempore præcedant, & quod sint non modo Elementorum causæ immediate efficientes, spirante in ipsis, & per ipsos, afflatu diuino: vt Spiritus mundi per se informis est materialis, sed etiam ea conseruant, & quasi nihil aliud sunt: in illo ipso Spiritu quem informant, quam ipsū Elementum. Hinc ergo fit (vt dictum est) quod spirante Vento à *Septentrione* terræa regnat Essentia: ab *Occidente*, aquea: ab *Austro*, aërea: ab *Oriente ignea*. Quare haud inconsulto naturam Orientalem pro Elemento Ignis accipimus: Occidentalem pro illo aquæ, Australem pro aëre: & Septentrionalem pro Igne.

Quo quidem ita se habente, facillimum erit demonstrare (vt opinor) quod naturæ illæ quas Philosophi *Qualitates* vocant vid. calidum frigidum humidum & siccum non sint accidentia, sed de Essentia & natura ventorum Angelicorum, quæ ab ipsis nullo modo separari queant, multo minus ipsis in hærent vt accidentia mera subiectis: quorum esse volunt Philosophi, vt subiecto aliquo insint. Sed de his: tam *suprà* quam *infra*, luculentius:

Iam vero restat declarare quomodo ex his naturis ventosis pluribus vel paucioribus (quas Philosophi Elementa dictitarunt) commixtiones, seu temperamenta in Mercuriali Spiritu sublunari fiunt, vid. eæ non modo in triplici compositorum Regno, animali scilicet, vegetabili & minerali, quæ perfecte mista dicuntur, verum etiam in triplici Meteororum Imperio, quæ sunt imperfecte mixta.

Commixtionem, seu mistionem rerum in generali sua natura, pro misti compositione accepimus: at in sensu magis stricto & proprio ea elementorum seu naturarum ventorum cum Spiritu cui insunt, mistionem vocamus: hoc est, miscibilium alteratorum compositionem: & ex hac fit corpus naturale compositum. Mistile vero est materia secunda corporis generandi: atq; istius materiæ, cum sit ex varijs partibus coagmentata & collecta: portio vna est de Elemento Ignis, seu Oriente: alia de aëre, seu Austro: alia de aqua, seu occidente: alia de terra seu Septentrione. Iterum ex his, alia portio est Spiritus alia humor, alia Sperma &c. Mistileq; alterari dicimus non qualitate seu virtute solummodo, sed etiam mutari solet, idq; corruptione quasi, ita vt amissa, vnica forma, noua tandem corporis nascentis acquiratur. Vt autem quid reuera mistile existat tria considerare debemus: vid. inprimis quod commistilia sint inter se connexa, & in vnum corpus compositum digesta: vt sanguis humores, Spiritus, caro, ossa in corpore humano: & vapor, exhalatio, lapides, & alia: ad compositionem nubis seu meteori tonitruosi, &c. Deinde, vt mistilia inuicem reciproce & agant, & patiantur: vnde sequitur, vt vel contraria, vel saltem diuersa sint. Deniq; vt ipsa sese inuicem corrumpant, transmutent, & alterent se ipsa à forma veteri in nouam.

Mistionis autem rationem sequitur *Temperamentum*, quod non est proprie mistio, sed ipsius potius *mistionis ratio seu dispositio ventorum seu virtutum earum*: (quas *Qualitates* vocant) *vel absolute equalis*, & dicitur *Temperamentum ad pondus*: in quo temperiel ratio medium exactum obrinet, quatenus in ipso par & æqualis permistorum elementorum existit moles: vt pote, in quo non plus est calidi, quam frigidi: nec humidi, quam sicci: *vel non absolute temperatum*: quippe in quo est solummodo commistorum Ventorum in Spiritu seu Elementorum mediocritas, sed minime Simplicitas: vid. in tali proportione, vt sit sufficiens ad compositionem in triplicis compositionis requiri, videlicet animalis, vegetabilis, & mineralis in suæ sanitatis & mediocris existentia statu: Differt ergo hoc ab illo temperamenti ad pondus perfectione: vnde à Medicis antiquis *Temperamentum* hoc dictitur: *ad Iustitiam*: quatenus sufficiens est ad creaturam intra limites sanitatis præseruandam.

Deniq; est quædam temperamenti Species, seu mixtionis ratio, quæ est multiformiter intemperata, atq; istiusmodi esse solet, quælibet morborum, atq; perturbationum occasio: De qua in *Tractatu huius secundo*, ubi Meteororum morbidorum differentia discutiuntur fuse (Deo concedente) agemus. Hic vero de Temperamentis salubribus sermonem meum instituiam.

C A P. I I.

De absoluta temperamentorum cum perfecte, tum imperfecte commiscibilium, ratione: & primum de illa Meteororum, quæ Ventorum afflatibus, seu elementis binis, vel ternis efficiuntur.

IN primis, antequam ad exactam Meteororum salubrium temperiei, atque mixtionis rationem descendamus, operæ pretium fore existimamus, ut quid sit Meteoron hoc in loco explicemus: actum postea partes in compositione illius enucleemus. Et quamvis plura de hac re in *Meteorologia nostra Cosmica* tractauerimus: tamen in isto loco sensum verborum ibi recitatorum, paucis remitti aggrediemur.

*Meteoron,
Quinis.*

Est ergo Meteoron corpus compositum ideo imperfectum, non ut quidam incõsulte satis volunt, quia subito generatur, vel quia eius generatio non fit secundum substantiæ mutationem (ut aiunt) sed secundum Qualitates, sed quoniam non requirit ad suam compositionem omnia Elementa, seu Ventorum afflatus essentificos in aëre, ut corpora animata: nam quatenus ex omnibus Elementis, seu Venti virtutibus non constat (vnde in eius mixtione non acquirit perfectam formam, vnde fit, ut facile generentur & subito dissoluantur & evanescant) quid imperfecte mixtum dicitur. Sic ex aere sicco, & igne, seu Vento Boreali & Orientali, in æquali mensura fit nubes aurea, quæ subito venit, & iterum sine insalubri aëris alteratione evanescit. Materia eius est aër vento sicco agitato. Forma, ignis Orientalis. At vero vice versa in Meteoris ignitis, ignea prævalet natura & seminaria Orientalia dominantur: vnde intemperies calidæ & insalubres sequuntur in Macrocosmi Spiritu: & ab eo in illum Microcosmi transferuntur. Quemadmodum in morborum Epidemicorum euentu, qui Cometæ apparitione sequuntur, nobis sat lucide declaratur.

Dicimus ergo, quod quicquid ex æquali Ventorum afflatu congregatur & commiscetur in aëre, illud est admodum salubre tam Macro quam Microcosmo.

Ex literarum sanctarum testimonio comprehendimus, quod Creator æternus, mundum vniuersum ex duob. vid. luce increata & Spiritu creato composuerit, tum postea eum in regiones tres vid. *Empyreã Æthereã & Elementarem*: & tandem illam elementarem in quatuor, vid. *Elementum Ignis, Aeris, Aquæ & Terræ* distinxerit. Lucem videlicet & tenebrosum Spiritum afflatu suæ Sapientiæ *Elohim ruach* creavit Conditor, & in tres Cælos natura distinctos ad imaginem Trinitatis, idq; afflatu Spiritus sancti, cuius inspiratione tum postea Gens Angelica die primo creata, à quatuor terræ Angulis flans, cælum infimum, aereum nempe, in diuersas species pro naturarum Angelicarum diuersitate, quæ iuxta varias Dei proprietates operantur, commouebat. *Sic verbo Domini firmati sunt Cæli & Spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*: Hanc quidem mundi compositionem, seu potius in suis partibus ordinationem, admirabili mixtionis proportionem disposuit Deus, iuxta illud Sapientis: *Omnia mensura numero & pondere, disposuisti seu temperasti*. Vnde certe visum est, quod istud quidem temperamentum ita durans, & immutabiliter perseverans, esset ad pondus effectum, atq; absolute completum.

Sap. 11. 12.

Nam

Nam per primam quidem, ad fabricæ mundanæ commiscendi rationem, quæ ex tenebrarum materia & lucis essentia erat, arguitur commixtio equalis inter vĕrum Septentrionalem, qui frigidam & siccam tenebrarū habet dispositionem, & illum Orientalē qui calidam & siccam habet lucis naturam. Quare per proportionalē lucis diuinæ in massam tenebrosam emanationem (tametsi ambæ sunt natura oppositissimæ) nec lucis quidem caliditas, (quæ est motus soboles & comes) nec Tenebrarum frigiditas, (quæ est quietis partus) sit exuberans, aut in pondere, seu mensura inæqualis, & consequenter æqualiter inter se inuicem, & agunt & patiuntur: & quamuis in primo cōgressu seu commixtione siccitas ex utroque principio præualere videtur, tamen per temperiem ex mixtione eorum æquali ortam, humiditas videtur procreari, vti statim videbitis.

Hinc ergo mixtionem istam primum æqualem, nec subtilem esse, nec grossam, quāuis Lux ignea in se sit omni re subtilior; vt & Tenebræ, seu Chaos omni re grossior, sed in medio existere, idque ob æqualem vnus atque alterius resistantiam.

Præterea Ignis lucidi appetitus vehemens excitat in mediocri conditione illum sopitum, ac obtusum, & stupidum tenebrarum. Porro vt tenebrarum & terræ sit constringere nimium: Lucis vero igneæ, aperire & dilatare, sequitur, quod istiusmodi mixtione æquali, compositio hæc prima, nec facultatem habere nimium cōstrictiuam, nec nimium dilatatiuam seu aperiens, sed mediocrem inter has duas. Quin & leuitas Elementi ignis seu virtutis lucidæ Orientalis in spiritu mundano, & ponderositas illius terræ, seu virtutis terræ Septentrionalis, sua æqualitate compositum, seu mistile tale primarium reddit, nec nimis leue, nec nimis ponderosum, quo libramento istiusmodi æquali possit tam inferiora, quam superiora respicere. Denique istud mistile seu compositum calore & frigore temperatum reperitur inter subtile & grossum, temperatum in constringendo, & aperiendo visum inter leue & ponderosum. Vt in siccitate vero abundet, certum est; quoniam tam ignis & lux est sicca, quam Terra & tenebræ, idque gratia humoris absentia.

At vero (mirum dictu) horum duorum nexu & actione passioneq; moderata quoddam tertium ortum, seu natum est è visceribus Chaos, quod nec Chaos est, nec Lux dici potest, estque *Aqua vniuersalis*, cœlorum, terrarum, atque omnium Creaturarum massa, quæ diuisa à sua matre tenebrosa seu terramari, illam debilem reddit; & lucis diuinæ actu, deorsum paulatim præcipitatur: Nam commixtio æqualis iam facta est inter aquam & ignem. Sic spiritus Domini iam dictus est ferri super aquas, per istam mixtionem, vti per priorem, manus Omnipotentis dictæ sunt, Mundum ex materia informi creasse.

Per priorem ergo congressum lucis diuinæ cum tenebris, ortum est (mediate illa diuisione quæ facta est aquarum à tenebrosa abyssu) *Litigium*, quod est mali & antipathia author, cuius separatione, creatura secunda, vid. Aquarum massa est procreata. Quomodo autem aquea, seu humida natura, ex actione & passione æquali contrariarum illarum naturarum est orta, iam dicam paucis.

Vt quidem necesse est, quod Medium differat ab Extremis duobus, quoniam Medium est nullius extremi cōditionis, sed participans de duobus. Nam

A-----B-----C.

quidem B. nec est A. nec C. Ita quidem necesse est, vt B. participet æqualiter de natura A. principij, & C. finis. Pati ratione, cum fons aquarum sit abyssus tenebrosa, actus vero per quem, in lucem eduntur Lux diuina; necesse est considerare naturam vtriusq;. At tenebrarum natura est quiete delectari, & cōsequenter frigore intensissimo, & dispositione congelatiua grossa, & ponderosa

P 3 frui.

frui. E regione vero Lucis dispositio est motum producere, calores excitare intensissimos, cum siccitate, & tenuitatem ac leuitatem affectare.

Hinc ergo necesse est in spacio intermedio æquali, harum duarum actione, ut puta in B. actio lucis A. dissoluat frigidos siccos, & congelatos, tenebrarum effectus, atque ita naturam humidam procreet. Quod quidem Iob sic arguere videtur: *A flatu suo Deus fortis edit glaciem, & latitudinem aquarum coarctat, etiam pro irrigatione fatigat densam nubem, dispergens nubem luce sua.*

Psal. 147. 5.

Et alibi, Propheta, *Deus dat niuem sicut Lanam; nebulam sicut cinerem spargit, mittit crystallum suum sicut buccellas. Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? E-mittit verbum, & liquefacit ista.*

Sic etiam videmus, quod in regione sublunari, ex æquali actione & reactione, siue resistentia facta inter ignem & terram, Sphæra Humiditatis procreatur, uti in ratione productionis triplicis Elementorum Sphære in *Macrocosmo meo* explicata intelligere potestis.

Ex secunda ergo Spiritus, seu venti diuini & lucidi, atque illius creati & aquei commixtione, secunda facta est in bina proportione commixtio vniuersalis, videl. Ignis & Aquæ: Quam mixtionem dictitarunt antiqui Sapientes *Vniuersalem Naturam*, quæ *Pan* appellata est.

Pimand. I.

Hanc mixtionem innuere videbatur Mercurius Trismegistus, ubi dixit, quod *Verbum adesset humide nature, eamque foueret*: Ex qua mixtione, postmodum quattuor Elementa sunt producta.

2. Pet. 3.

Per huiusmodi ergo commixtionem, totius mundi fundamenta intelligimus. Nam diuisor & actor est Lux diuina, & quod diuiditur est ipsa Aqua. Sic quidem duæ aliæ productæ sunt commixtionum æqualium, in proportione binaria species, videl. Ignis & Aeri, qua specie creati sunt Cæli superiores: atque in ipsa temperie includuntur etiam Cæli infimi ex aere & aqua. Denique mixtione vltima, quæ facta est inter Aquam & Terram, Sphæra illa, quæ ex arida & mari conflata est, exurgit. Quibus patet, quod ex senaria mixtione æquali facta in ventos binos & binos, seu Elementa bina & bina, omnia primordialiter & successiue, videl. *Cælum & Terra in primis*, & tum postea, Elementa quatuor sunt producta: radicibus primordialiter existentibus spiritu diuino, & aquis, iuxta illud Apostoli: *Cæli erant prius & Terra de Aquâ & per Aquam consistens verbo Dei, &c.* Si ergo ventos, seu Elementa bina & bina, tali modo miscuerimus, septem composita inde resultare animaduertemus, videl.

Vt ergo

T A B V L A

Commixtionis in binis &
binis.

Venti.		Elementa.		Ordo.
Oriens.	Septentrio.	Ignis.	Terra.	Chaos.
Oriens.	Occidens.	Ignis.	Aqua.	Vniuersalis natura.
Oriens.	Meridies.	Ignis.	Aer.	Cœli supe- rioris.
Meridies	Occidens.	Aer.	Aqua.	Cœli infe- rioris.
Meridies.	Septentrio.	Aer.	Terra.	Aqua dulcis.
Occidens.	Septentrio.	Aqua.	Terra.	Aqua mari- na cum ter- ra.

Vt ergo primæ mixtionis æqualis specie inquisitione: ita quidem in examine reliquarum procedemus. Nam vt aqua est mediocriter grossa, visibilis & ponderosa, & Ignis valde leuis, subtilis & inuisibilis: ita mixta facta inter hos producit spiritum proportionatum inter mediocriter grossum, visibilem & ponderosum, & valde subtilem inuisibilem, & leuem: & consequenter producit Naturam humidam, inuisibilem, plus quam mediocriter calidum, & in leuitate proximum igni, seu luci increatæ: cuiusmodi est *Spiritus mundi Catholicus*, in natura sua absoluta, & dicitur *Pan*, seu *Natura Vniuersalis*: & ista natura est mobilis mediocriter inter dispositionem aquæ & ignis: Quoniam aqua est suo more tarde mobilis, at ignis, seu Spiritus lucidus creatus omnium rerum mobilissimus. *Sapientia (ait Sapiens) est sap. 7. omni re mobilior.*


Vnde necesse est, quod vniuersus Spiritus mundanus ante ipsius in regiones Elementares diuisionem sit valde mobilis, sed non ita in suo motu velox, ac est ipse Ignis, seu Lux.

Deinde, vt sit temperatus inter caliditatem intensam ignis, & frigiditatem mediocrem Aquæ necesse est: Porro etiam, vt non sit admodum humidum & tardum, vt Aqua propter lucis igneæ siccitatem: at vero sequitur, quod sit multo liquidior, quam est aqua vulgaris, & consequenter, non ita tarda & lenta in suo motu, sed penetrabilior, propter suam subtilitatem.

Ignis

Ignis autem simplex & æther, in æquali mixtione producit temperiem inter extremam caliditatem lucis igneæ diuinitus infusæ, & subtiles aquas, quæ *Æther* dicuntur: & consequenter, admodum erit istiusmodi mistum, subtile & inuisibile in sua substantia, & plusquam mediocriter lucidum & igneum.

Ex isto igitur mixtionis gradu producitur *Cælum Empyreum*, ex cuius partibus binis conflatur *constitutio Angelica*; videl. ex spiritu Aeris seu ætheris subtili quasi externo, & spiritu lucido æternæ Sapientiæ, omnia primitus illuminantis, quasi eius externo. Deinde fit consequens mixtio ex igne, & magis aerea Aquarum parte, & producit temperiem temperatam inter lucem empyream, & aerem, ex qua constituitur *Cælum Æthereum*, cuius substantia ob istam rationem est mediocriter in Luce Empyrea & Aere inferiori consistens; vnde temperatâ est ex mediocri in caliditate & humiditate, mixtione. Quare & *Æther*, quasi ætha aer, seu *igneus aer* dicitur. Deniq; temperatura seu commixtione ex aere & aqua, fit *Regio sublunaris*. Ac si quis radicem petendo, diceret,



Sic ex prima hac commixtione, generatur densa, sicca seu arida, & nigerima nubes Septentrionalis, fulgure Orientali permixta. Cuiusmodi erat *Chaos* in Mundi primordio.

Ex secunda, nubes madida Occidentalis, vitæ Orientalis radiis animata: sic se habebat *Natura vniuersalis*, *Pan* dictus.

Ex tertia, nubes tenuis seu aerea, meridionalis luce Orientali rarefacta & dissoluta in aerem.

Ex quarta, Nubes densa, aquea & frigida Occidentis, cum vapore subtili calido & aereo Meridionali.

Ex quinta, Nubes æqualiter calida & sicca, ex parte Occidentis, & frigida atque sicca Occidentis.

Deniq; ex sexta, Nubes niuosa, grandinosa, facillimæ dissolutionis.

Quod quidem non modo de Meteoris manifestis ad perfectionem tendentibus est intelligendum, ex quibus creaturarum visibilia: verum etiam de illis occultis & spiritualibus, ex quibus interna creaturarum exurgunt, *Veni* (inquit Propheta) *Spiritus à quatuor ventis & perfla interfectos istos, ut uiuant*, vbi per Spiritum intendit afflatum Dei, qui vnicus est, tametsi ad voluntatem diuinam perficiendam flet tam æqualiter, quam inæqualiter, à quatuor mundi angulis, mediantibus variis suis Instrumentis Angelicis.

Ezech 37.

Vel

Vel si mixtiones has iuxta rationem nostram proferre liceat:

Ex duobus extremis, *Luce vid. diuina & Tenebris* seu tenebrosa abyſſo cōponitur *Aqua vniuerſalis*, quæ est generalis mundi materia, nullius formæ aut qualitatis per se, sed penitus quid informe: de qua, vt antea dictum est, *Deus mundum creauit*, teste Sapiente. Cur autem ex duobus extremis sic resultet tertium humidum, antea declarauimus. Tunc ex portione aquarum digniore, & lucis diuinæ præſentia informante, fit Cœli illius cælorum substantia, quam Spiritum ideo *Empyreum* vocant, quoniam portionem illam aquarum tam mirabiliter dilatat & subtiliat; vt eam in speciem igneam mutet & transformet. Et hæc mixtio primaria ex bonis, dicitur *Lux creata*, ex cuius spisso fiunt species Angelicæ; quarum est lumen Dei exuberanter recipere non aliter quam ex *Ætheris spisso*, *Stelle*: ex aeris, *Meteora*.

Spissum ergo *Empyreum* est anima centralis spissi ætherei: & spissum *Æthereum* elementaris.

Æterna Sapientia. Spiritus.... Tenebræ.

Lux Aqua Chaos.

Lux..... Coelum Empyreum..... Aqua dignissima:

Tunc— Spiritus Empyreus Æther..... Aqua mediocris &c.

Denique reflexio *Cœli Empyreici* in puriorem aquarum infimarum partem, fit elementum *Ignis, illius, Ætheris aer*: istorum duorum, Aqua grossissima & visibilis, Tenebrarum autem omniū sedes est *Terra*. Quare Lux diuina est anima & vita spiritus Empyreici. Spiritus Empyreus illius Ætherei Æthereus, Elementaris. Atque vt se habet proportio temperiei inter spiritum igneam, & illum æthereum, ita quidem se habet elementum Ignis ad Aerem, vt Æthereus ad Elementare, ita quidem Aer ad Aquam, vt Lux ad tenebras, ita & cælum ad terram.

Sic facta sunt omnia creata, numeroque pondere & mensura ad inuicem sunt disposita, ad imaginem Archetypi, qui ea creauit, & à quo omnes creaturæ formam sortitæ sunt suam: vt ab aquis creatis, seu tenebris reuelatis suam substantiam.

Nonne significauerunt tam Mathematici, quam Philosophi Mystici has commixtionum species, per quinque eorum corpora regularia, quorum *Cubicum*, *Chaos* seu *Terra inanis* symbolum fecerunt. *Tetrahedron* seu *ignei Spiritus*: ex cuius visceribus ortum est *Dodecahedron*, quod est *Ætheris* symbolum: deinde, *Icosahedron* quod est *Aquarum* symbolum Aerem in suo ventre absconditum habet, cuius denique symbolum est *Octahedron*: Quibus mystice ostendunt, quomodo omnes mundi regiones è Chao vnico, mediante Luce diuina sint ortæ.

In finita quidem de æquali & salutifera commiscendi ratione, mediante qua, cum mundus cum mundi creaturæ sunt ortæ, hoc in loco publicare possumus: sed alia magis huic operi conuenientia, & consonantia auocant. Ex his verò intelligere possumus, quomodo Dei natura insit in qualibet mundi mixtione, & quod Catholica mundi sedes sit in *spiritu vniuersali aqueo*, creato per mixtionem radicalem. Hæc ergo est primaria in numero mundano commiscendi formula. De qua intendit Iob: *Reuelat fundamenta è tenebris & deducit in lucem umbram horrendam*: vbi per fundamenta, intelligit substantiã ex qua; de qua alibi sic: *Manus Omnipotentis mundum ex informi materia effecit*. Quare inquit Iob alibi: *Aquilonem extendit Deus super inane & vacuum, & suspendit terram super nihilum*. Vbi per inane & vacuum denotat materiam informem, & consequenter nihil per se: cuiusmodi erant *Aqua illæ potentiales* ante Lucis diuinæ apparitionem. Iam vero ad secundariam commiscendi rationem, quæ in numero ternario compleri solet, descendam.

Q

CAP.





CAPVT III.

De commixtionibus & temperamentis in numero ternario
& quaternario.

Secundus commixtionis gradus est ille, qui de tribus fit: Nam vt duo est primus progressionis numeralis gradus ab vnitare: sic secunda commixtionis est ex tribus.

Antiqui solent elementa æqualiter terna & terna cōmiscere; hoc modo:

Tabula
Commixtionum trium Ven-
torum seu Elementorum in
æquali proportione.

	VENTI.			ELEMENTA.		
	Oriens.	Meridies.	Occidens.	Ignis.	Aer.	Aqua.
	Oriens.	Meridies.	Septentrio.	Ignis.	Aer.	Terra.
	Oriens.	Occidens.	Septentrio.	Ignis.	Aqua.	Terra.
	Meridies.	Occidens.	Septentrio.	Aer.	Aqua.	Terra.

Harum ternariarum mistionum priorem ita examinauimus.

Ignis est calidus & siccus, penetrat admodum cætera elementa: mobilis subtilis, acutus atque leuis est.

Aer vero calidus est, sed & humidus: penetrat aquam & terram; mediocriter subtilis; & attenuat agente igne.

Aqua etiam est humida, sed cum frigiditate: mobilis, sed in gradu remissiore; est enim in motu tarda, vnde est quod plus humectet quam aer, terram penetrat; sed non ita velociter, &c.

Quare in eo quod duo sunt testimonia caloris, tendit mistile ad moderatam caliditatem, admodumq; est mobile; quoniam anima eius lucida est viuacior cæteris; spiritus agilior corpore, & corpus per se tardum in motu: sed gratia animæ & spiritus, admodum redditur agilis in motu & actione. Humiditas etiam prædominatur siccitati, quoniam duo sunt testimonia humiditatis. Sic etiam res sese habet cum frigiditate, cuius non est nisi testimonium vnicum: quare tota compositio consistit in euidente caliditate & humiditate. At caliditas non est vehemens, quia illa ignis temperatur ab illa aeris, quippe quæ madore obtunditur & mitigatur; nec etiam vehemens est calor igneus, sicut ille, qui est cum æquali siccitate, quoniam propiatur eius feruor humido tam aereo quam aqueo. Nec quidem est humiditas istiusmodi aquea cum aerea nimium insultans, quatenus à siccitate ignis quodammodo mitigatur.

Huius-

Huiusmodi ergo sunt *Meteora* seu corpora, non ex omnibus elementis compacta, cuiusmodi sunt nubes illæ salubres vernaes, quæ imbribus suavis fructificant & florescere faciunt terram: flantibus leuiter & æqualiter Subsolano Austro & Fauonio productæ. Huiusmodi etiam est sanguinis perfecti commixtio, seu potius spermatis animalis & cuiuslibet alterius creaturæ temperamentum ex ventis, seu afflatibus viuificis conflatum. Quibus tum postea accedit in generatione & multiplicatione, ad constringenda & induranda reliqua, ventus Borealis, qui est vitæ inimicus, vtpote frigidus & siccus: Atque hac ratione progrediendum erit cum examinatione reliquorum vid. Ignis Aeris Terræ: Et Ignis Aquæ Terræ: & Aeris Aquæ Terræ.

Denique vltima commixtionis æqualis species consistit in congregatione quatuor Elementorum in vnum, vid. Ignem, Aquam, Aerem, & Terram in æquilibrio: Ita vt nec Ignis oppugnet Aquam, nec Aer Terram, cum omnia hæc in eadem compositione erunt in æquali fortitudine.

Atque hoc modo habetis descriptas commixtiones omnes, quæ ex æqualibus elementorum portionibus, siue in binario, siue ternario, seu denique quaternario numero terminantur, quæ producere solent completum illud compositi temperamentum, quod dicitur ad pondus. Nunc autem accedemus ad alias sanitatis commixtiones, quæ licet temperamentum non ad pondus, illud tamen ad iustitiam proferre animaduertitur. Non (inquam) ad pondus, quoniam habent, in se inæqualitatem aliquam, non tamen tantam inæqualitatem, vt limites salutis excedant.

C A P V T I I I I.

De commixtionibus varijs inæqualibus tam in Binario, quam Ternario.

EX inæquali autem mixtione in binis & binis, 12. possumus recitare atque commemorare species, quas omnes Tabulis ita connumeramus.

Hic, in commixtione inæquali ex binis, videtis quomodo Antiqui fecerint tam in inæquali, quam æquali mixtione, Elementa radices: Ego autem facio non modo commixtionum, verum etiam & ipsorum elementorum radices in Ventis: affirmando, quod Venti præcesserint cum tempore, tum ordine creationis ipsis, Elementis, vti statim præter id, quod est antea declaratum, ostendemus clarius. Nunc vero declarabimus, quomodo rerum commixtiones, tam inæquales, quam æquales consistant inventis. Quod quidem vt melius intelligatis, vos serio obseruare velim, Mixtionis tam æqualis, quam inæqualis rationem esse prius inventis simplicibus, quam in aliquo tertio, quod ex Ventorum in vnicum punctum concursu fiunt. Exempli causa: Venti, qui naturali & æquali temperie se habent tam in simplici sua natura, quam simul mixti, sunt Cardinales: verbi gratia: Boreas ab angulo Septentrionis flans est æqualiter frigidus & siccus: Frigidus (inquam) quoniam habet ex vno latere (occidentali scilicet) frigiditatem, & Orientali, caliditatem: Ergo in Centro (quasi) inter hæc duo extrema consistit. Sic ex Occidentali regione diminuitur gradatim ejus siccitas, accedendo ad domicilium humidum Favonij: At vero ex parte Orientis fortificatur ejus siccitas: Quare sequitur, quod sit frigidus & siccus æqualiter. E regione, Auster flans à cardine Meridiei, est æqualiter calidus & humidus, calidus, quia à puncto Subsolani ad ipsum, fortificatur, & regnat caliditas: At vero, quo magis ad punctum Occidentis accedit, præualet frigiditas. Similiter quo magis accedit ad Orientis cardinem, debilitatur eius humiditas, vtpote siccitate magis magisque obtusa: at vero, si quamuis ab angulo suo accedit ad Occi-


Tabula
in binis et binis ex
inaequali commixtione.

		Ventorum		Elementorum	
		Magis.	Minus.	Magis.	Minus.
	Oriens.	Meridies.	Ignis.	Aer.	
	Meridies.	Oriens.	Aer.	Ignis.	
	Oriens.	Occidens.	Ignis.	Aqua.	
	Occidens.	Oriens.	Aqua.	Ignis.	
	Oriens.	Septentrio.	Ignis.	Terra.	
	Septentrio.	Oriens.	Terra.	Ignis.	
	Meridies.	Occidens.	Aer.	Aqua.	
	Occidens.	Meridies.	Aqua.	Aer.	
	Meridies.	Septentrio.	Aer.	Terra.	
	Septentrio.	Meridies.	Terra.	Aer.	
	Occidens.	Septentrio.	Aqua.	Terra.	
	Septentrio.	Occidens.	Terra.	Aqua.	

dentalem plagam, nihilominus gaudet semper sua humiditate. Quare æqualis est in sua humiditate & caliditate. Ita etiam res sese habet cum Subsolano, in Oriente, qui istam ob rationem, calidus est & ficcus æqualiter. Nam ut eius caliditas deprimitur, paulatim versus cardinem Septentrionalem progrediendo: Ita eius ficitas in aspectu suo versus Meridiem diminuitur. Eodem modo se habet Fauonius in cardine Occidentali: nam eius frigiditas decrefcit eundo versus Meridiem: at vero eius humiditas diminuitur versus Septentrionē: est enim primus dissolutionis gradus in re cōgelata.

Atque hoc modo habetis temperamenta in radicibus simplicibus æqualia

qualia in binis. At vero Temperamenta inæqualia in binis simplicibus inveniuntur in collateralibus: verbi gratia: In collateralis Boreæ, Occidentali, Circio dicto, minor est siccitas per vnum gradum, quam fuit in cardine, quoniam propior accedit ad humidum Occidentis angulum. Ergo est istius Venti temperies frigida & sicca: At plus frigida, minus sicca. Ex altero latere Aquilo est ob respectum oppositum frigidus & siccus, sed plus siccus, minus frigidus: quoniam accedit ad cardinem Orientis, qui etiam est siccus. Pari etiam respectu Euro-Auster, qui diametraliter sese opponit Circio, & flat à latere Orientali cardinis meridionalis, est calidus & humidus, sed plus calidus & minus humidus: quia accedit ad Eurum, qui siccitate præualet & caliditate. At vero Austro-Africus diametraliter respicit Aquilonem & stat in latere Occidentali Austri: estque calidus & humidus: sed humidus magis, calidus minus, quia appropinquat cardini Occidentis qui est frigidus & humidus. Similiter collateralis Subsolanus Septentrionalis Cæcias dictus, calidus est & siccus: sed plus siccus, quam calidus, propter respectum suum vicinum quem habet ad Septentrionem qui est frigidus & siccus. Nam frigiditas obtundit parumper caliditatis effectum in Cæcia. Ex altero Subsolanus labore spirat Eurus, qui est calidus & siccus: at plus calidus, minus siccus, quia participat parumper cum humiditate Aquilonis. Cæciam ergo a respectu Diametrali, seu opposito respicit Africus à latere Meridionali Fauonij, qui est frigidus & humidus, sed magis humidus, minus frigidus, quia aliquantulum accedit ad cardinem Meridiei. Pari etiam aspectu respicitur Corus à latere Septentrionali Fauonij: estque frigidus & humidus, sed non ita



2 3 hami-

humidus, quia per siccitatem Septentrionis debilitatur. Vnde fit vt niues ac glacies quandoque producat.

His ergo collectis ; Temperamentum cuiuslibet venti simplicis, tam æquale, quam inæquale, quemlibet mentis compotem latere nequit. Hic sequitur hujus rei Demonstratio.

His igitur sic stantibus, jam de commixtionibus & temperamentis æqualibus ex ventis vel oppositis, vel transuerse flantibus, verba faciamus.

Boreas opposito modo flans æqualibus viribus cum Austro producit commixtionem & temperamentum illud æquale, quam Aer & Terra, in qua salubri commixtione calidum Meridionale non superat frigidum Boreale, nec siccū Boreale humidum Australe. Hinc factum est in aere & ex aere mistile quoddā, inter naturam Aeris & Terræ vid. Nubes non nimis frigida, nec calida, nec humida, nec sicca, si optime permisceantur. Sic etiam mixtio illa æqualis, quæ facta est ex æqualibus flantibus ab Oriente in Occidentem, & Occidente in Orientem: Verbi gratia:

Si quis accipit æqualem portionem aquæ bullientis, & aquæ frigida, & simul misceat, optimam mixtionem, & consequenter temperamentum constituent inter extreme calidum, & extreme frigidum.

At vero inæquales mixtiones ex binis fiunt, more Superiorum, quæ describuntur per connexionem binorum Elementorum, numerando ventos, qui sunt Radices Elementorum pro ipsis Elementis: hoc modo.

*Tabula inæqualium commixtionum
ex binis.*

Venti		Elementi.	
Magis.	Minus.	Magis.	Minus.
Boreas.	Auster.	Terra.	Aer.
Auster.	Boreas.	Aer.	Terra.
Subsolan.	Fauonius	Ignis.	Aqua.
Fauonius.	Subsolan.	Aqua.	Ignis.
Subsolan.	Auster.	Ignis.	Aer.
Auster.	Subsolan.	Aer.	Ignis.
Subsolan.	Boreas.	Ignis.	Terra.
Boreas.	Subsolan.	Terra.	Ignis.
Auster.	Fauonius.	Aer.	Aqua.
Fauonius.	Auster.	Aqua.	Aer.
Boreas.	Fauonius.	Terra.	Aqua.
Fauonius.	Boreas.	Aqua.	Terra.

Quibus ita se habentibus, necesse est, vt rationem istiusmodi inæqualitatis in primis ostendamus. Sic ergo ventus Boreas magis sit in cælo fortis & terream inducat in aere naturam, quæ dominium in eo habet, conuertitque ejus substantiam in terream naturam, assistente vento, vel opposito, vel transuersali in remissiore flante natura, vid. Austro, qui congregat Aerem, appo-

apponitque illum ita congregatum, & in suam naturam terream tranſmutat. Nam inæqualitate ſua, mixtioni attribuit ſuam naturam, vt in gelu, glacie, niue, grandine, cryſtallo, & ceteris lapillis prætioſis conſtitutione patet: At ipſi ſunt fortioris conpoſitionis, quam ſunt Meteora, & plures ad ſuam conpoſitionem requirunt Ventorum afflatus: ex quibus tot procreantur in primis Elementa, & ex Elementis poſtea Elementata: vid. imperfecte miſta prius, ac deinde miſta perfecta, quæ ex imperfectis fiunt: namque impoſſibile eſt, vt motus fiat à termino à quo, ad quem, niſi ſit tranſitus per medium. Sic quidem inter imperfecte miſtum, & ventum eſt Elementum: atque inter Elementum & perfecte miſtum, eſt Meteoron, ſiue imperfecte miſtum, ſic quidem ſperma ex elementis oritur, à quo tum poſtea animal exurgit.

Pari etiam ratione res ſe habet, Auſter præualens in ſuo flatu ſuper Boream, vnde non modo pluuias, ſed etiam Tonitrua, & fulgura profert: & ſic in cæteris in binario numero expreſſis.

At jam myſterium communiter haud intellectum aut perceptum aperiam, quod quidem in ſpirituum collateralium virtute & mixtione præcipue conſiſtit. Nam vt præcipua vitæ & ſanitatis virtus procedit à temperata mixtione quatuor ventorum cardinalium, vnde dixit Propheta: *Veni Spiritus à quatuor ventis cæli, & perſuffla interfectos iſtos, vt reuiuſcant: Et ſtatim reuixerunt:* Ita quidem tam mixtiones, quam temperamenta inæqualia, cum intra tum extra ſanitatis limites ſunt vt plurimum, & maiori ex parte à ventis collateralibus. Hinc ergo vt Subſolanus eſt ſanitati admodum amicus, ita quidem tam Cæcias, quam Eurus eius collaterales ob intemperatam eorum, aut caliditatem, aut ſiccitatem nocere ſolent ſanitati. Nam Eurus fortior eſt in calore, quam ſiccitate: vt & Cæcias ſiccitate, quam calore. Porro etiam in oppoſitis mundi ſedibus Corus, qui eſt collateralis vnus venti ſalutaris Fauonij eſt inæqualis, & frequenter morbidus. Et Africus ex altera, qui ſolet eſſe humorum ſuperfluatorum & hydropiſis parens combinationibus ſuis cum inæqualibus ſuis oppoſitis inæquales producunt mixtiones. Nam Corus qui eſt magis frigidus, quam ſiccus, emittens ſuum flatum, & occurrens illi Euro in media via, facit conpoſitionem plus æqualiter calidam & frigidam, & minus humidam & ſiccam: Quia ſiccitas Euri eſt in proportione diminuta cum illa humiditatis Cori. At quia in iſtiusmodi inæqualitate eſt ſumma naturarum oppoſitio, vt inter ignem & aquam: ideo humor Cori cum frigiditate ſua intensa eſt aptiſſimus patiens ad corruptionem, vt ſiccitas cum caliditate ignea Euri agens ad putrefactionem. Hinc Corus traditur eſſe peſtifer. Sic etiam res ſe habet inter Africum plus humidum minus frigidum, & Cæciam plus ſiccum & minus frigidum. Similiter inter Euro-Auſtrum magis calidum, minus humidum, & Circium magis frigidum & minus ſiccum: atque etiam inter Auſtro-Africum magis humidum, minus frigidum, & Aquilonem magis ſiccum minus humidum. Porro, in coitu ſeu concurſu tranſuerſali horum ventorum vel pluriū vel pauciorum vid. aut Cardinal. cū collateralibus, aut collateralium cū cardinalibus; quorum applicationum numero vario, multifariæ & multiformes producuntur commixtiones & temperies, tam ad generationem quam ad corruptionem tendentes. Nam ſi has ventorum commixtiones obſeruauerimus diligenter, longe plures reperiemus in mundo mixtiones quam per Elementorum obſervationes elicere poſſumus. Nam vt quatuor Venti Cardinales correſpondent quatuor Elementis, vtpote quorum radices ſunt vid. Boreas terræ: Auſter aeri, Subſolanus igni: & Favonius aquæ: Ita quidem octo collaterales arguunt quaſi octo alia elementa, quæ interponuntur inter prædicta quatuor Cardinalia. Namque Circii eſſentia participat cum duabus terræ partibus. & vnica aquæ: ergo igitur elementum inter terram & aquam, in ſpiritu mundi, verſatili (quippe omnium impreſſionum capace) inſpirat ſuo
afflatu

afflatu. At Cori natura participat de duabus aquæ portionibus & vnica terræ: Ergo in Expanso parit elementum inter aquam & terram. Similiter, ex alio latere, Aquilonis essentia, de duabus terræ adustæ & quasi cinerum partibus & vnica ignis: Quare inspirat in mundum Elementum, quod nec est Terra nec Ignis; sed inter hæc duo: at magis ad terream substantiam procliuē. Sic Cæcias procreat Elementum suo afflatu in consistentia inter Ignem & Terram: sed magis de Igne participans, quia partes ignis binas ad suam essentiam requirit.

Pari etiam ratione res se habet ultra Æquinoctialis spatium. Nam Eurus suo spiramine Elementum profert magis ad Ignem respiciens, sed tamen de aere participans: vnde pluuias in fine producere dicitur. At Euro-Auster viceversa creat suo spiritu Elementum magis cum Aere, minus cum Igne communicans. Ex altero Meridiei latere, Africus mutat suo flatu spiritum versatilem & Protei-formem in Elementum, temperiem & naturam habens inter Aquam & Aerem, sed plus de aqua, minus de aere habet. Denique Austro-Africus suo spiraculo Elementum magis aereum, minus aqueum generat. Vnde liquet quod ista ratione duodecim elementa cōnumerare possumus: quorum quatuor sunt Cardinalia & octo collateralia: Combinationes ergo quæ fiunt ex horum vel binorum vel trinorum vel plurium mixtione certe in magna sunt multitudine, vt infra, suo loco.



Nec tamen in hisce commixtionibus requiritur semper, vt duo vel plures venti simul spirent. Nam venti præcedentis seminaria, spiritum Protei-formem suo more informantia, se cum illis sequentis venti commiscentia nouum progrent in Expanso elementum: atque ita alterant naturam cæli ab eo, quod fuit prius. Quod etiam confirmare videtur Hippocrates (cui a stipulatur Galenus) in his verbis: *Si hyems est sicca & Aquilonia, ver pluuiosum*

Aph. II. lib. 3. & australe, estate facient febres acutas; lippitudines, dysenterias, &c.

Quo quidē sermone in primis arguere videtur, quod Seminaria aquilonia, seu Borealia regnant in aere occulte à tempore hyemali ad vernale, donec auster se iungens seu seminaria sua cū dominio immiscens cū illis Aquilonarib. immutat naturam aeris, calido æstatis præcipue statu assistente in dispositionem putridam & malignam, eo quod Australis ventus iam præualet & prædominatur Aquiloni. Vnde manifestum est, quod non sit opus, vt duo vel plures venti simul flent (tametsi hoc sæpicule accidere assolet) sed ventus consequens inueniens seminaria venti præcedentis in mari magno spiritus sublu-naris idem præstat cum illis, ac si immediate ventum illum inuenisset in occursum suo.

De combinatione seu coniugatione æquali ventorum cardinalium in binario numero ante locuti sumus. Iam vero ventorum in binis, vid. & binis commixtionem inæqualem demonstrabimus.

In hac Tabula, combinationes ventorum cardinalium inæquales considerantur, atq; comparantur cum immediatis suis effectibus qui sunt quatuor Elementa: Vbi ergo notandum venit, quod Sphæra superior dirigit ad cognoscendos cardines illarum inferiorum: & quod duæ lineæ à cardine ad centrum denotant plus vel magis, vinca, minus.



TABVLA.

Venti.		Elementum.	
Magis.	Minus.	Magis.	Minus.
Boreas.	Auster.	Terra.	Aer.
Auster.	Boreas.	Aer.	Terra.
Subsolanus.	Favonius.	Ignis.	Aqua.
Favonius.	Subsolanus.	Aqua.	Ignis.
Boreas.	Subsolanus.	Terra.	Ignis.
Subsolanus.	Boreas.	Ignis.	Terra.
Boreas.	Favonius.	Terra.	Aqua.
Favonius.	Boreas.	Aqua.	Terra.
Subsolanus.	Auster.	Ignis.	Aer.
Auster.	Subsolanus.	Aer.	Ignis.
Favonius.	Auster.	Aqua.	Aer.
Auster.	Favonius.	Aer.	Aqua.


R In

In hac autem Tabula, *Magis*, denotat ventum prædominantem siue agentem. *Minus* vero, illum prædominatum seu patientem: & consequenter Elementa talia, quæ ex afflatu dictorum ventorum proveniunt.

Iam vero ad coniugationes æquales accedemus, quæ fiunt in numero binario inter ventos collaterales.

	Magis.	Minus.		
Ventorū collatera- lium con- iugatio- nes seu commix- tiones in- æquales in binis fiunt vel	Directe, seu Dia- metrali- ter.	Circius.	Euro-Auster.	
		Euro-Auster.	Circius.	
		Aquilo.	Austro-Africus.	
		Austro-Africus.	Aquilo.	
		Corus.	Eurus.	
		Eurus.	Corus.	
		Africus.	Cæcias.	
		Cæcias.	Africus.	
		Trans- verse, & angulari- ter.	Aquilo.	Corus.
			Corus.	Aquilo.
	Circius.		Aquilo.	
	Aquilo.		Circius.	
	Aquilo.		Euro-Auster.	
	Euro-Auster.		Aquilo.	
	Eurus.		Aquilo.	
	Aquilo.		Eurus.	
	Circius.		Cæcias.	
	Cæcias.		Circius.	
	Circius.	Africus.		
	Africus.	Circius.		
Austro-Africus.	Circius.			
Circius.	Austro-Africus.			
Corus.	Cæcias.			
Cæcias.	Corus.			
Corus.	Africus.			
Africus.	Corus.			
Corus.	Austro-Africus.			
Austro-Africus.	Corus.			
Cæcias.	Euro-Auster.			
Euro-Auster.	Cæcias.			
Cæcias.	Eurus.			
Eurus.	Cæcias.			
Africus.	Eurus.			
Eurus.	Africus.			
Euro-Auster.	Africus.			
Africus.	Euro-Auster.			
Austro-Africus.	Euro-Auster.			
Euro-Auster.	Austro-Africus.			

Figuram iterum pro meliori huius rei intellectu, hic expressimus.



Nec quidem dici possunt huiusmodi commixtiones binariae ex Elementis simplicibus fieri, quoniam quilibet horum ventorum ab elementi integri natura variare videtur. Nam Circius in tantum ab exacta Terrae natura discedere videtur, in quantum à natura & situ cardinis Septentrionalis discrepare animadvertitur. Nam quatenus ad locum cardinis Occidentalis sedem suam habet, eatenus amittit aliquid de siccitate sui cardinis: quoniam necesse est ut parumper communicet cum humiditate Occidentali. Quare licet sit adeo frigidus, ut Boreas, seu Terra exquisita, tamen non est ita siccus: & consequenter est quid inter terram & aquam. Sed de terrea natura magis participat: imo vero & virtus eius terrea dicitur, non autem absolute, sed quatenus illi magis adhæret. Simili ratione loco Orientali Aquilo de sui cardinis frigiditate perdit non nihil, quoniam inclinatur ad cardinem Orientalis: unde licet siccitate abundet, tamen ob insensibilem defectum frigiditatis, non dici potest absolute terrea, ut Boreas, qui à cardine flat, sed comparate. Ita etiam res se habet cum cæteris collateralibus omnibus.

Atque hæc est ratio illa Mystica, non ante hoc tempus, (quod sciam) à quopiam explicata, quod species tam in Regno, Meteorologico, quam illis tribus in compositione tot variae & incognitæ: immo vero ab ingenio humano vix comprehensibiles existant & producantur assidue: Quæ omnes observantur varias elementorum proprietates in se diversimode, & ratione inter se diversa habere: ut in Opio, fumo terræ, animalibus venenosis, imo ve-

mo vero & in infinita constitutionis & temperamenti hominum diuersitates atque etiam in aliarum rerum naturis occultis & abditis, de quibus clariorem rationem reddere nequeunt, sed quia sunt talia, aut à proprietate occulta, aut sympathia, aut antipathia &c.

Cum vero iuxta Cabalistarum doctrinam hæc talia fiunt, & effectus tales reddunt, quoniam à ventis Angelicis istiusmodi natura occulta, siue mala, siue bona sunt imbuta: Verba Cabalistarum hæc sunt.

Reuchlin.
lib. 3. de art.
Cabalist.

Est angelus tanquam virtus inter Deum & naturam media, à qua fiunt operationes in rebus quas natura vel non faceret, vel sic faceret, quas alii dicunt prouenire à proprietate occulta, & alii quia tale. Non enim opus est more imaginario progredi ut ipsi faciunt qui Elementorum imaginariorum mixtiones facere consueuerunt, eas fingendo suo more seu Phantasia in gradu. 1. 2. 3. vel 4. cum non sit in potestate humana hoc ita ad amissim etiam si ipsa Elementa in compositione sua aut discernere aut distinguere potuisset.

At vero ventos habemus omni momento ab vnica, vel alia mundi plaga flantes, qui se monstrant habere tales atque tales naturas, sine quibus nemo mortalium, nec quidem vegetabilium diu perdurare possit, utpote, à quibus immediate vitam, præseruationem, & spiritum, quo existat, proculdubio accipiat: Nam sine eorum afflatu nihil impluitur aut communicatur hisce inferioribus.

Atque etiam viceuersa, per corruptionem nihil retrogreditur in primum suum principium sine ipsis: quoniam venti contrarii, contrariis sunt inimicissimi. Nam ut Auster fert aquas calidas & emollire atque corrumpere solet: Sic Boreas pellit nubes ab ipso procreatas, indurat quicquid Auster reddidit molle & purredini Australi omnimode obest: Atque ita in cæteris.

At iam ad mixtilis rationem ex trium ventorum spiritu conflati, calammum meum conuertam.

In Tabula sequenti expressas inuenietis commixtiones illas inæquales, quæ externis fiunt, tam ex ventis, qui sunt rerum compositarum radices, quam ipsis elementis, quæ respondent illis radicibus ventosis, è quibus oriuntur. Nam Subsolanus orientis cum duabus suis alis igni: Fauonius occidentis, cum suis sociis collateralibus, Aquæ: Boreas Septentrionis cum suis assistentibus vid. Circio & Aquilone, Terræ: atque Auster cum consorte suo, dextro & sinistro, Euro-Austro scilicet & Austro-Africo, Aeri: N m (ut iam diximus) Elementum nihil est aliud, quam mutatio spiritus sublunaris Potei formis in naturam venti prædominantis.

At vero, quoniam nullus ventus absolute per se flare animaduertitur, si res prout est, paulo accuratius intenditur, ergo nullum nisi à Sapientibus inueniri potest purum Elementum.

Tabula

Tabula in ternis & ternis, ita quod in commixtione inaequali sit unumquodque.

Venti.				Elementa.		
Magis.	Mediocriter.	Minus.		Magis.	Mediocriter.	Minus.
1	Subsol.	Auster	Favonius	Ignis	Aer	Aqua
2	Subsol.	Fauon.	Auster	Ignis	Aqua	Aer
3	Auster	Subsol.	Favonius	Aer	Ignis	Aqua
4	Auster	Fauon.	Subsolan.	Aer	Aqua	Ignis
5	Fauon.	Subsol.	Auster	Aqua	Ignis	Aer
6	Fauon.	Auster	Subsolan.	Aqua	Aer	Ignis
7	Auster	Fauon.	Boreas	Aer	Aqua	Terra
8	Auster	Boreas	Favonius	Aer	Terra	Aqua
9	Fauon.	Auster	Boreas	Aqua	Aer	Terra
10	Fauon.	Boreas	Auster	Aqua	Terra	Aer
11	Boreas	Auster	Fauon.	Terra	Aer	Aqua
12	Boreas	Fauon.	Auster.	Terra	Aqua	Aer
13	Fauon.	Boreas	Subsolan.	Aqua	Terra	Ignis
14	Fauon.	Subsol.	Boreas	Aqua	Ignis	Terra
15	Boreas	Fauon.	Subsolan.	Terra	Aqua	Ignis
16	Boreas	Subsol.	Fauon.	Terra	Ignis	Aqua
17	Subsol.	Fauon.	Boreas	Ignis	Aqua	Terra
18	Subsol.	Boreas	Fauon.	Ignis	Terra	Aqua
19	Boreas	Subsol.	Auster	Terra	Ignis	Aer
20	Boreas	Auster	Subsolan.	Terra	Aer	Ignis
21	Subsol.	Auster	Boreas.	Ignis	Aer	Terra
22	Subsol.	Boreas	Auster	Ignis	Terra	Aer.
23	Auster.	Subsol.	Boreas	Aer	Ignis	Terra
24	Auster	Boreas	Subsolan.	Aer	Terra	Ignis


Ex

Ex istiusmodi ergo Sphæris mixtionum inæqualium, trium ventorum rationem discernere potestis: vbi suprema pars cuiuslibet sphære denotat plagam mundi Septentrionalem, infima Meridiem, dextra Orientem, & sinistra Occidentem.

Vbi vero tres lineæ à cardine, centrum versus porriguntur, ibi ventus fortior flat, qui per *Magis*, in Tabula significatur: vbi autem duæ extenduntur lineæ, ibi ventus mediocriter flans, suum habet motum. At ventus debilior per vnicam lineam arguitur, qui significatur in Tabula per *Minus*.

Infinitem quidem foret discursum plenum & integrum de ventis collateralibus facere, prout moueantur. Quare vbi mentionem aut iam fecimus, aut in posterum faciemus de ventis cardinalibus: ibi etiam generali modo includemus & subintelligemus bina sua collateralia. Tametsi fateor me inuentionem scire, qua etiam ipsi ad suorum Elementorum naturas in combinatione proprie adaptati possint: quam nihilominus breuitatis causa hoc in loco omitto: vt celerius ad ea quæ præ manibus sunt, transcendam.


Sunt etiam & alia commixtionum inæqualium species, vid. ex ventis, siue elementis trinis æqualiter & inæqualiter adiunctis: in quibus scilicet duo æqualia & vnum inæquale, siue illud excedat æqualia in suo afflatu (quod per *Plus* in Tabula significatur) siue ipsis subiicitur, hoc est, minoris est virtutis aut efficaciam, quam aliquod æqualium. Horum autem Tabula hic sequitur.



Tabula

Tabula alia in ternis & ternis, in qua duo Venti siue Elementa sunt equalia & tertium inaequale, plus aequalibus vel minus aequalibus.

		Venti.		Inaequale.		Elem.		Inaequale.	
		Æqualia.		Plus.	Minus.	Æqualia.		Plus.	Minus.
1	Subsol.	Auster.	Fauonius.			Ignis	Aer	Aqua	
2	Subsol.	Auster		Favonius		Ignis	Aer		Aqua
3	Subsol.	Auster	Boreas			Ignis	Aer	Terra	
4	Subsol.	Auster		Boreas		Ignis	Aer		Terra
5	Subsol.	Fauon.	Auster	Auster		Ignis	Aqua	Aer	
6	Subsol.	Fauon.				Ignis	Aqua		Aer
7	Subsol.	Fauon.	Boreas	Boreas		Ignis	Aqua	Terra	
8	Subsol.	Fauon.				Ignis	Aqua		Terra
9	Subsol.	Boreas	Auster	Auster		Ignis	Terra	Aer	
10	Subsol.	Boreas				Ignis	Terra		Aer
11	Subsol.	Boreas	Fauon.	Fauonius		Ignis	Terra	Aqua	
12	Subsol.	Boreas				Ignis	Terra		Aqua
13	Auster	Fauon.	Boreas.	Boreas		Aer	Aqua	Terra	
14	Auster	Fauon.				Aer	Aqua		Terra
15	Auster	Fauon.	Subsolan.	Subsolan.		Aer	Aqua	Ignis	
16	Auster	Fauon.				Aer	Aqua		Ignis
17	Auster	Boreas	Subsolan.	Subsolan.		Aer	Terra	Ignis	
18	Auster	Boreas				Aer	Terra		Ignis
19	Auster	Boreas	Fauon.	Fauon.		Aer	Terra	Aqua	
20	Auster	Boreas				Aer	Terra		Aqua
21	Fauon.	Boreas	Subsolan.	Subsolan.		Aqua	Terra	Ignis	
22	Fauon.	Boreas				Aqua	Terra		Ignis
23	Fauon.	Boreas	Auster.	Auster		Aqua	Terra	Aer	
24	Fauon.	Boreas				Aqua	Terra		Aer.



Inqui-

In quibus figuris (vt supra) \equiv significat *Plus*: hoc est, prædominationem venti præ cæteris, vti in complexione cholericæ, Oriens seu Subsolanus superat, vel plus habet vigoris quam cæteri 3. in compositione \equiv denotat æqualia in mediocritate, & — *Minus*, seu ventus aut elementum quod in commixtione, minorem sibi vendicat portionem.

Concludimus igitur hoc capitulum, dicendo quod Meteororum quæ elementa & corpora perfecte composita intercedunt compositionem, tam ex binis quam trinis elementis hic luculenter descriptam habetis: quo tam compositionis completæ, siue generationis, seu dissolutionis atq; corruptionis rationem exinde clarius percipiatis.

Iam vero, ad commixtiones mixtas ex quatuor ventis seu elementis, hoc est, quæ habent in se ventos seu elementa tam æqualiter, quam inæqualiter mixta in se, descendamus.

CAPVT V.

De variis commixtionum inæqualium speciebus, quæ partim ex quatuor Ventis, siue Elementis equalibus; partim ex inæqualibus, plus equalibus, vel minus equalibus fiunt.

Tabula
ad 8 Species in quatuor
Ventis siue Elementis a Ventis efformatis
ubi tria reperiuntur equalia in commixtione:
ne: quartum vero plus minus vel inæquale.


Venti.					Elementa.				
Æquales.		Inæquales.			Æqualia.		Inæqualia.		
		Plus.	Minus.				Plus.	Minus.	
1.	Subsolan.	Auster.	Favon.	Boreas.		Ignis.	Aer.	Aqua.	Terra.
2.	Subsolan.	Auster.	Favon.		Boreas.	Ignis.	Aer.	Aqua.	Terra.
3.	Subsol.	Auster.	Boreas.	Favon.		Ignis.	Aer.	Terra.	Aqua.
4.	Subsol.	Auster.	Boreas.		Favon.	Ignis.	Aer.	Terra.	Aqua.
5.	Subsol.	Favon.	Boreas.	Auster.		Ignis.	Aqua.	Terra.	Aer.
6.	Subsol.	Favon.	Boreas.		Auster.	Ignis.	Aqua.	Terra.	Aer.
7.	Auster.	Favon.	Boreas.	Subsol.		Aer.	Aqua.	Terra.	Ignis.
8.	Auster.	Favon.	Boreas.		Subsol.	Aer.	Aqua.	Terra.	Ignis.

IN primo autem loco incipiemus à quatuor ventorum naturis, siue elementis æqualiter simul atq; inæqualiter in compositione coniunctis. Quæ quidem mixtionum species cum cæteris sequentibus versatur tam in animatis, quam

quam viuentibus; & etiam iis quę Saraceni congelata vocant, cuiusmodi sunt argentum viuum, sulphur, & metalla cuncta; etiã in meteoris nonnullis: nam imperfecta nonnulla mista ex hisce quatuor, quandoque in aere procreantur: quemadmodum in nubis cuiusdam procreatione deprehenditur, in qua est fulgur Orientalis, ventus Australis, aqua Occidentalis, & grando Septentrionalis: atque etiam lapis Ceraunius quasi compositum permanens ex quatuor istis commixtus.

Vbi autem ego hic, & supra solummodo de ventis cardinalibus mentionem feci, atque etiam impofterum faciam, vos monitos velim, quod sub eorum nominibus, ipsorum etiam collaterales comprehendimus; tametsi cuiuslibet eorum (vt supra est dictum) non ita exacte cum natura & temperamento sui Cardinalis conuenit: sed quia magis de natura sui Cardinalis existit, ideo ad eum retulimus eius temperiem.

Demonstrationes Tabulę precedentis, in hunc modum descripsi.



Nunc vero procedamus ad Tabulam secundam commixtionum, in qua duo Venti seu Elementa inueniuntur, in *majori* æqualia, & duo in *minori* æqualia. Cujus quidem Tabulę mysterium binis modis interpretari possim: vid. tam in Cardinalium inter se mixtionibus, vel Collateralium, vt postea exprimam. Hic autem Tabula secunda numeri quaternarij sequitur, quam in effigiem sequentem, ad imitationem Doctrinę Marij cuiusdam, Philosophi excellentissimi, effinxi.

Tabula

Ad alias 12. Species in quatuor ventis
sive Elementis ubi duo de ipsis inter se sunt
æqualia et alia duo inæqualia et inter se et erga
se alia que sunt æqualia, sed est de æqualibus medio-
criter in compositione de inæqualibus vero, de altero
magis quam de æqualibus de altero vero minus quam
de æqualibus.


INÆQUALES.					INÆQUALIA.				
		Æquales inter se.					Æqualia inter se.		
		magis quam de æqualibus.					magis quam de æqualibus.		minus quam de æqualibus.
Venti.					Elementa.				
1.	Favonius	Subsolan.	Auster.	Boreas.	Aqua.	Ignis.	Aer.	Terra.	
2.	Boreas.	Subsolan.	Auster.	Favonius.	Terra.	Ignis.	Aer.	Aqua.	
3.	Auster.	Subsolan.	Favonius.	Boreas.	Aer.	Ignis.	Aqua.	Terra.	
4.	Boreas.	Subsolan.	Favonius.	Auster.	Terra.	Ignis.	Aqua.	Aer.	
5.	Auster.	Subsolan.	Boreas.	Favonius.	Aer.	Ignis.	Terra.	Aqua.	
6.	Favonius.	Subsolan.	Boreas.	Auster.	Aqua.	Ignis.	Terra.	Aer.	
7.	Subsolan.	Auster.	Favonius.	Boreas.	Ignis.	Aer.	Aqua.	Terra.	
8.	Boreas.	Auster.	Favonius.	Subsolan.	Terra.	Aer.	Aqua.	Ignis.	
9.	Subsolan.	Auster.	Boreas.	Favonius.	Ignis.	Aer.	Terra.	Aqua.	
10.	Favonius.	Auster.	Boreas.	Subsolan.	Aqua.	Aer.	Terra.	Ignis.	
11.	Subsolan.	Favonius.	Boreas.	Auster.	Ignis.	Aqua.	Terra.	Aer.	
12.	Auster.	Favonius.	Boreas.	Subsolan.	Aer.	Aqua.	Terra.	Ignis.	

In hac ergo Tabula habemus quatuor Ventorum naturas (seu elemen-
ta) diversimode commixtas atque temperatas: vid. duas æqualiter: ac si aerem
& terram seu seminaria Borealia & Australia ... in pondere trium scrupulo-
rum: Aquam vero in pondere quatuor scrupulorum: Ignem vero in pondere
duorum permiscuerimus simul; in tali quidem proportione Terra & Aer
erunt æquale: De aqua erit magis: quia eius proportio excedit illam æqua-
lium. Ignis denique minus inæqualis, quia exiguior est eius proportio, quam
illa æqualium.

Quomo-

Quomodo autem ista mixtionis ratio fit tam in ventis radicalibus quam ipsis Elementis, quæ à ventis oriuntur; ex Tabulæ prædictæ medulla facillimum est colligere.

Ventorum autem in commixtione proportionales in mundo, sic demonstramus.




Tabula tertia est eorum ventorum seu principiorum elementalium, quorum in commixtione inæquali, alia sunt inter se æqualia, alia vero inæqualia: At vero, ubi æqualia sunt, plus est in commixtione, quam de inæqualibus. Atque huiusmodi ventorum seu elementorum coniugandorum species recensentur duodecim, quas quidem in Tabula sequenti tam sub forma ventorum explicuimus: cum demonstrationibus in ventis idoneis, quas in suis Sphæris more superiori depinximus. At vero æqualia, hic per lineas tres denotantur, minus quam de æqualibus, lineis duabus: denique minus quam de omnibus, linea vnica.

Tabula

Ad 12 Species in quatuor
Ventis seu elementis, ubi duo de ipsis
sunt aequalia at vero reliqua duo inaequalia
et inter se et erga alia quae sunt aequalia, sed
de aequalibus plus in compositione quam de inaequalibus,
de inaequalibus vero in altero minus aequalibus et
de altero minori minus.

	Equales inter se venti sed plus est in mix- tione aequalium quam de inaequalibus.		inaequales. minus quam de aequalibus		Equalia inter se Elementa sed plus est in mix- tione aequalium quam de aequalibus.		inaequalia minus quam de omnibus	
1.	Subsolanus	Auster.	Favonius.	Boreas.	Ignis.	Aer.	Aqua.	Terra.
2.	Subsolanus	Auster.	Boreas.	Favonius.	Ignis.	Aer.	Terra.	Aqua.
3.	Subsolan.	Favonius.	Auster.	Boreas.	Ignis.	Aqua.	Aer.	Terra.
4.	Subsolan.	Favonius.	Boreas.	Auster.	Ignis.	Aqua.	Terra.	Aer.
5.	Subsolan.	Boreas.	Auster.	Favonius.	Ignis.	Terra.	Aer.	Aqua.
6.	Subsolan.	Boreas.	Favonius.	Auster.	Ignis.	Terra.	Aqua.	Aer.
7.	Auster.	Favonius.	Subsolan.	Boreas.	Aer.	Aqua.	Ignis.	Terra.
8.	Auster.	Favonius.	Boreas.	Subsolan.	Aer.	Aqua.	Terra.	Ignis.
9.	Auster.	Boreas.	Subsolan.	Favonius.	Aer.	Terra.	Ignis.	Aqua.
10.	Auster.	Boreas.	Favonius.	Subsolan.	Aer.	Terra.	Aqua.	Ignis.
11.	Favonius.	Boreas.	Subsolan.	Auster.	Aqua.	Terra.	Ignis.	Aer.
12.	Favonius.	Boreas.	Auster.	Subsolan.	Aqua.	Terra.	Aer.	Ignis.

Demonstrationes sunt huiusmodi quo ad radices seu ad ventos.




Tabula quarta compositionis ex quatuor ventorum naturis, siue elementis: vbi duo de ipsis inter se sunt æqualia; & alia duo inæqualia; & inter se & erga alia, quæ sunt æqualia. Sed est de æqualibus in compositione de altero magis, quam de suo inæquali, & de altero magis, quam de æqualibus, de æqualibus vero minus; quam de omnibus. Tabula sequitur.


Tabula
4. Complexiones ex quatuor
Ventorum naturis siue Elementis,
ut supra.

VENTI.				ELEMENTA.			
Inæquales.		Æquales		Inæqualia		Æqualia	
magis quã de suo inæqualibus.	minus quam de in æqualibus.	inter se et est minus quam de in æqualibus.		minus quã de suo inæqualibus.	minus quam de inæqualibus.	inter se et est minus quam de inæqualibus.	
1. Favonius.	Boreas.	Subsolan.	Auster.	Aqua.	Terra.	Ignis.	Aer.
2. Boreas.	Favonius.	Subsolan.	Auster.	Terra.	Aqua.	Ignis.	Aer.
3. Auster.	Boreas.	Subsolan.	Favonius.	Aer.	Terra.	Ignis.	Aqua.
4. Boreas.	Auster.	Subsolan.	Favonius.	Terra.	Aer.	Ignis.	Aqua.
5. Auster.	Favonius.	Subsolan.	Boreas.	Aer.	Aqua.	Ignis.	Terra.
6. Favonius.	Auster.	Subsolan.	Boreas.	Aqua.	Aer.	Ignis.	Terra.
7. Subsolan.	Boreas.	Auster.	Favonius.	Ignis.	Terra.	Aer.	Aqua.
8. Boreas.	Subsolan.	Auster.	Favonius.	Terra.	Ignis.	Aer.	Aqua.
9. Subsolan.	Favonius.	Auster.	Boreas.	Ignis.	Aqua.	Aer.	Terra.
10. Favonius.	Subsolan.	Auster.	Boreas.	Aqua.	Ignis.	Aer.	Terra.
11. Subsolan.	Auster.	Favonius.	Boreas.	Ignis.	Aer.	Aqua.	Terra.
12. Auster.	Subsolan.	Favonius.	Boreas.	Aer.	Ignis.	Aqua.	Terra.

Demonstrationes proportionales ventorum in Mundo sunt hæc.



Denique progrediemur ad Tabulam numeri in commixtione inæquali quaternariam, in qua sunt 24. compositionis ex quatuor ventis seu elementis, species: in quibus vnumquodque elementum seu venti cuiuslibet natura est ab alia inæqualis, de secunda vid. minus quam de prima; de tertia minus quam secunda, de quarta minus, quam de omnibus.



Ab hisce ergo commixtionibus, quæ in ventis radices suas habent, & ex elementis immediate exurgunt, Omne totius mundi siue sit perfecte, siue imperfecte mistum, suum sortitur initium & existentiam. Quare nec est animal, nec planta, nec argentum viuum, nec quicquam ex speciebus congelatis, nec denique Meteoron qualecunque, quod non sub vnica ex commixtionis speciebus antea recitatis, suam extraxit siue hausit originem. At vero vt istarum commixtionum rationem faciliorem intelligatis, exemplum vnum aut alterum producam. Si quis igitur Lactis naturam, eiusque compositionem exactiorem perquirat, & diligenti intuitu perscrutetur, sub qua harum commixtionum specie comprehendatur: ipsum imprimis intelligere velim, & generali respectu contemplari, quod Lac in sua compositione habet aliquid spissum, liquidum, atque pingue, & obseruare debet, quod sit liquidum valde, spissum vero minus quam liquidum, at in gradu adhuc minori pingue quam spissum, vt in separatione casei à lacte & butyri à caseo & sero, apparet.

Eius ergo liquidum serosum est de parte flatus Occidentalis, frigidum & humidum: Fluitque ista portio mediate ab Elemento aquæ: Eius vero spissum, seu coagulum ponderosum in flatu Boreali radicem suam habet & Elemento Terræ respondet.

At vero eius pinguedo, vtpote æra, seu calida, & humida, Australem agnoscit originem.

Denique ignis est tam exiguus in eo vt non nisi per effectum discerni queat: Nam præterquam, quod ex lactis comestione inueniamus ipsum, corpus calefacere, certum est, quod Butyrum sit ignis cibus: Quare necesse est, quod Butyrum sit ex parte Australi: quippe quod est æreum, & consequenter, quod ignea vis non aliter inest Butyro quam in venti Australis natura, quæ ideo aptissima est Tonitrua producere.

Quare concludimus, quod mixtio hæc lactis sit de illa specie, in qua magis est de natura Fauonij seu Aquæ, minus de illa Boreæ, siue Terræ, minus etiam de illa Australi, seu æris: at vero de igne minimum: Quare relationem habet eius mixtio ad Tabulam Quaternariorum quartam.

At vero si spissum caseatum & Butyrum sint inæqualia, tunc quidem ad Tabulam vltimam, eius compositionem referendam censemus.

Iam vero ad complexionum nouem Temperamenta accedimus: Et de Saporum origine paucis differemus.

C A P. VI.

De nouem rerum complexionibus: Et de Saporum origine.

Sciendum est ex prædictis, quod in ea compositione, vbi sunt æqualia quatuor Elementa, duæ sunt temperies, quarum vna est inter frigiditatem & calorem, altera vero inter humiditatem atque siccitatem. At vero si temperiem inter humiditatem & siccitatem dimiserimus, eam vero quæ est inter frigus & calorem, destruere velimus, non possumus hoc efficere, nisi duobus modis, quatenus vel de calore sit magis, & tunc erit compositum calidum, sed inter siccitatem & humiditatem temperatum, vel magis sit de frigore, quam calore, & ita compositum appellabitur frigidum, sed temperatum humiditate & siccitate.

Si vero temperiem illam quæ facta est inter frigiditatem & calorem

calorem dimiserimus, illamque quæ est inter humiditatem & frigiditatem delere voluerimus, hoc quidem duobus similiter modis est faciendum: vid. assumendo ampliorem humiditatis portionem, & minore ficitatis in compositionem, quæ ob istam rationem humida est dicenda, sed in frigiditate & humiditate temperata: vel ipsius ficitatis proportio redundabit, eadem manente inter frigiditatem & humiditatem temperie, & tunc *Compositum, siccum* dicetur.

Atque ista ratione Complexiones habetis quatuor in lucem editas. Sunt etiam & quatuor aliæ Complexiones, quæ non nisi destructione quatuor illarum prædictarum produci queant, vtpote, in quarum vna, plus est de calore & humiditate in compositione: quæ ob istam causam, *calida* nuncupabitur & *humida*: In altera, de calore & ficitate magis: vnde *Compositum calidum* appellabitur & *siccum*: In tertia, frigiditas & humiditas erunt fortiores, vnde & *Compositum, frigidum & humidum* dicetur. Denique in quarta frigidum & siccum habebunt dominium: vnde res taliter composita seu mista, dicenda est *frigida & sicca*.

Denique Complexio illa, quæ ex quatuor Elementis in proportione æquali constat, novum occupat locum. Hinc igitur ab Antiquis conclusum est, *novem* (& non plures) in Mundo distinctas *complexiones* reperiendas.

Sciendum vero est, quod ubi Qualitates quatuor siue sint Ventorum, siue Elementorum sint in æqualitate, ibi quidem nihil operatur in contrarium.

TABULA

Complexiones 9. ex ventorum seu Elementorum naturis varie formiter se mutuo inter se habentibus.

INÆQUALIA.

Plus.

Minus.

Æqualia.

Calidum.	Frigida.	Humidum et Siccum.
Frigida.	Calidum.	Humidum et Siccum.
Humidum.	Siccum.	Calidum et Frigida.
Siccum.	Humidum.	Calidum & Frigida.

INÆQUALIA.

PLUS.

MINUS.

Calidum.	Humidum.	Frigidum & Siccum.
Calidum.	Siccum.	Frigidum & Humidum.
Frigidum.	Humidum.	Calidum & Siccum.
Frigidum.	Siccum.	Calidum & Humidum.

ÆQUALIA.

Calidum.	Frigidum.	Humidum.	Siccum.
----------	-----------	----------	---------

Quare quamvis nouē recensentur complexiones, tamen reuera octo solummodo sunt Opera, quæ opera cum aliis corporibus exercent. Nam complexio illa nona nihil aliud est, nisi aliarum octo Temperamentum, quæ (vt dictū est) nihil omnino operatur; quia quælibet qualitas à sibi contraria in sua actione quæ est in æquali proportione, reprimitur.

Ad Saporum autem ortum & procreationem quod attinet, certū est ipso-
rū nullos ab vnica origine seu fonte ventoso seu Elementari profluxisse, sed ex
T variis

variis variorum flatuum qualitatibus processisse. Quocirca, ut rem magis exacte intelligatis, sciatis velim; quod in accurata Saporum inquisitione tria sunt consideranda: videl. eorum substantiæ, complexiones & mixtiones ex quatuor Ventis seu Elementis, Quæ omnia in Tabula sequenti descripsimus.

S Y S T E M A

Saporum omnium luculentum,

Sapo- res.	Substā- tiæ.	Cõple- xion.	Terra.	Aqua.	Aer.	Ignis.
			Septen.	Occidē.	Austr.	Orien.
Dulcis.	Grossa.	Tempera- ta.	Mediocri- ter.	Mediocri- ter.	Multum.	Multum.
Amarus.	Grossa.	Calida.	Mediocri- ter.	Parum.	Parum.	Multum.
Acidus.	Subtil.	Frigida.	Parum.	Multum.	Mediocri- ter.	Parum.
Acutus.	Subtil.	Calida.	Parum.	Parum.	Mediocri- ter.	Multum.
Pinguis.	Subtil.	Tempera- ta.	Parum.	Mediocri- ter.	Multum.	Mediocri- ter.
Constipa- tus.	Tempera- ta.	Frigida.	Mediocri- ter.	Parum.	Parum.	Multum.
Salsus.	Tempera- ta.	Calida.	Mediocri- ter.	Parum.	Parum.	Multum.
Pontic	Grossa.	Frigida.	Multum.	Parum.	Parum.	Multum.
Insipidus.	Tempera- ta.	Tempera- ta.	Multum.	Multum.	Parum.	Parum.

Hic autem expresse intelligendum est, quod Quantitates istæ, vid. *Multum*, *Mediocre* & *Parum*; non sint in omnibus saporibus æquales, verbi gratia: cum in saporib. istis duobus, salso sciilicet, & amaro, ignea seu Orientalis virtus exuberet, non tamen æquali mensura seu proportione, sed in vno plus, in alio, minus: Atque ita res se habet in Quantitatibus cæteris.

Si

At vero, quoniam istiusmodi Qualitatū primariarum in Saporibus mixtionibus minime obscure, seu vix probabiles viderentur, vnum vel alterum Exemplum producam artificiale: ad maiorem Lectoris certitudinem: Quorum vnum est istiusmodi.

Si falsum velimus saporem cōponere, ipsum Mel concoquamus & inuenies quidem falsum. At si saporem in eo amarum proferre nitaris, coquatur idem iterum adhuc magis, & tum videbimus quod in falsam redigetur naturam.

Quo quidem experimento facillimum erit colligere, quod vis ignea fortior sit in sapore amaro, quam in falso: Pari etiam ratione, sapore acidum efficiemus, si Vinum optimum cum Aqua commiscuerimus; Solisque ardori exposuerimus: paruo etenim spatio reddetur liquor iste acidus. Vnde constat, quod plus sit aquæ, parum ignis: quia Sol suo ardore dissipauit Vini spiritum: at vero aer inest mediocriter, quoniam liquor ille post maiorem partis igneæ extractionem, ad naturam inter igneam & aqueam reducetur, sed magis tamen abundat aqua propter portionem aquæ additam, atque phlegmaticam vini remanentis dispositionem, exhalato iam tandem eius spiritu.

Atque etiam certum est, quod aliquid (parum licet) Terreitatis insit in eo, quia exhalato Vini spiritu, residuum liquoris, utpote suo tartaro terreo permixtum, simul atque aquæ additæ consistentia subtiliori Solis ardore euaporata incrassatum ad terream naturam aliquantulum inclinat.

Similiter si saporem acutum velimus procreare, permittatur vinum optimum longo tempore quiescere, sine vlla perturbatione, ipsumque in saporem acutum migrare percipietis.

Præterea, latitudo saporum optime sic describitur:

Effingemus duo Extrema vnus Lineæ:

A B C
O----O----O

Sit ergo extremum vnum A. Oleum Tartari quod est amarum valde: Extremum C. oleum vitrioli, quod est acidissimum: Si ergo commisceamus æquales partes Oleorum A. & B. simul, producent B. siue saporem dulcem. Si vero plus olei Tartaris A. adhibeatur, quam C. olei vitrioli falsedo euidens percipietur: Atque ita in aliis mixtionis gradibus qui possunt inter A. & B. & C. atque B. intercedere, sapes intermedios elicere queamus, uti Praxis & Experientia luculentius demonstrabit.

C A P. VII.

Ubi colorum origo primaria, & secundaria enucleatur. Quod etiam nec frigiditas, nec caliditas, nec colores, nec sapes, nec odores, sint (iuxta veterum Philosophorum placita) Accidentia, sed de creaturæ, cui insunt, Essentia, primordialiter ei à creatore insita.

Iam vero ad Cælorum originem, sermonem meum conuertam, & quoniam Veteres in hac re hæsitauerunt, & varia sunt opinati; ita ut nulla in iis certitudo, aut concordia apparere videatur, in primis, nonnullas ipsorum de cælorum origine sententias aperiam, & deinde, quisnam sit noster de ea sensus, ostendam.

Alij ergo credunt, ipsam Lucem esse omnium visibilium hypostasim,

T 2

nec

Opinio.
1.

nec aliud colorem esse existimant, quam variam Lucis in diaphano & opaco terminationem, uti in Iridis coloribus apparet.

2. Alij autem, colorem ex multiformi opaci cum diaphano mixtione ori-ri dicunt: cuius per se actus est Lumen à fonte lucido, tanquam prima colorum hypostasi, scaturiens.
3. Alij, colores Iridis reales esse negant, quoniam ex diuersa radiorum reflexione, vel refractione efficiuntur. nec etiam admittere volunt ipsos varia corporum permixtione fieri: Quare concludunt, ipsum esse qualitatem simplicem secundariam, ex qualitatibus primariarum actione productam: Nam (inquiunt) videmus ex actione calidi in humidum, nigredinem generari, ut in carbone; & rursus ex actione calidi in siccum, albedinem generari, ut cineribus indicatur: Atque horum colorum rationem amplio-rem sic reddunt: Quoniam (inquiunt) calidum in humido partes terræ aqueas commixtas exhalat in fumum nigrum, & aereas claras consumit; grossum autem terrestre nigrum relinquit: Cuius si rursus grossitiem consumpserit, substantia remanebit alba. Hinc ergo concludunt, quod Frigiditas sit Albedinis author, uti in niue & pruina videtur; caliditas vero nigredinis. Denique colores intermedios ex commixtione horum extremorum procreari volunt: ita ut septem numero magis essentialia statuunt: duos videlicet extremos, Albedinem & Nigredinem, intermedios vero, flatum, croceum, rubeum, purpureum, viridem, cui succedit niger. Ideoque rubrum ponunt in medietate quia causæ generationis ipsius æque concurrunt: deinde mixtione extremi albi cum eo, flauedo & croceitas: ut è regione nigredo cum rubedine iuxta purpureum & viridem generat colorem.
4. Alij colorem faciunt, qualitatem secundam visibilem, à luminoso igne, & perspicuo aeris & aquæ, atque ab opaco terræ profecta, cooperantibus primis qualitatibus: & dicunt Album à luminis & caloris multitudine: Nigrum vero à luminis paucitate, & frigidi multitudine: Rubeum vero (iuxta præcedentium opinionem) ex æquali commixtione albi & nigri: ut in carbone; Flauum ex plure albo & pauciore rubeo. Croceum ex plure rubeo & pauciore albo: Viride ex plure nigro & pauciore rubeo: Purpureum ex plure rubeo & pauciore nigro, procreari dicunt.
5. Marius (vir quidem doctissimus & Philosophus optimus) negat vel colorem, vel saporem, vel odorem in Elementis simplicibus inueniri posse: atque ad huius suæ opinionis confirmationem varia producit argumenta. Primum est, quod quamuis colores videntur habere, ut terra vna album, alia nigrum, alia rubrum, alia croceum: & aqua cum quis eam intuetur à longe, viridis esse apparet; & dum de sublimi in ima cadit, candida videtur. Similiter, Aer est diuersicolor, secundum quod, vel Soli, vel Lunæ, vel Igni est propinquior.

Denique Ignis in spissa materia rubeus est in flamma croceus, in splendore candidus, &c. tamen reuera, nullo participant colore: Nam Terra vera ut est simplex & vna, atque etiam simpliciter frigida & sicca, si colorata esset, non tamen nisi vnicum tantummodo possit vendicare colorem. At vero varij in terrâ colores discernuntur; quare non ei essentialiter insunt, sed per accidens. Idem de Saporibus & Odoribus est censendum: & sic in reliquis.

Secundum: Si haberent Elementa colorem, tum Terra naturaliter esset nigra, Aqua alba; Aer croceus: Ignis rubeus, & consequenter hi colores comparerent & patescerent in compositis: Ita ut in quo plus de terra esset; magis esset de Nigredine: in quo plus Aquæ, magis de Albedine, &c.

Ter-

Tertium: Quia omnes Philosophi, qui de Elementis tractarunt, de illorum coloribus, mentionem nullam fecerunt, &c.

Has ergo omnes opiniones, inquisitione magis centrali examinabimus vt veritatem rei tam internæ, atq; mysticæ (ac est color) enucleemus: & è profundo Arcanorum naturalium Oceano expiscemur.

Et primum, vt in prima insistam. Si Lux (vt communis est asseueratio) sit accidens: & accidens, nihil omnino per se, sed quatenus alicui subiecto inest, quomodo possibile est, vt nihil per se, aliud nihil producat? Non est ergo varia Lucis terminatio in opaco vel diaphano, quæ colores efficit: & tamen è lucis fonte oriri fatemur colorum generandorum rationem: sed non eo modo vt prima opinio expressit.

Ad secundam quod spectat, dicimus: Quod nec quidem generantur colores ex multiformi opaci & diaphani mixtione, quatenus diaphanum per se & in se minime est coloratum: vt in aëre videre liceat: Porro opacum nihil nisi nigredinem, seu caliginem per se arguit: At vero lumē addunt ad colorum complementum, vtpote sine quo colores reuelari nequeant, sed in sola potentia existunt. Et quamuis aliquid videantur hic reale de colorum generatione proferre: tamen hac ipsorum descriptione, ignotum quasi per ignotius publicare animaduertuntur: vt infra clarius ostendam.

Falluntur etiam, qui tertiam, in lucem ediderunt opinionem: nam reuera, colores reales sunt, & essentiali necessitate sequuntur subiecta sibi propria, idq; præcipue vbi naturaliter & nõ per additionem præternaturalem insunt: & consequenter, nec reflectione, nec refractione, nec corporum variorum permixtione fiunt calores: qui naturaliter, & non more aduentitio insunt & se miscent cum rebus.

Deniq; dicimus, quod sit adhuc magis absurdū, (re penitus considerata) colorem vocare qualitatem secundariam à primariarum actione ortam: quatenus nihil præter substantias fuisse creatas; agnoscimus: vt statim ostendemus clarius. Non enim actio calidi in humidum, quæ producit nigredinem: nec calidi in siccum: albedinem; sed diuersi sulphuris naturæ concoctionis gradus, in qua necesse est, vt alteratio fiat in Qualitatibus primis: quas etiam negamus esse (more opinionis vulgaris) accidentia: sed de natura rei, Essentialiter sequentes sulphuris gradus, qui varij esse dignoscuntur: secundum variationem digestionis vel violentiæ vnus rei.

Deniq; illa Marij sententia, credens colores & sapes & odores non esse in puris elementis, in eo cadet & in nihilum recidet per se: si consideremus sulphurem naturæ esse radicaliter in omni re creata, tam simplici quam mixta. Nam quomodo (obsecro) possibile est, vt elementorum conuersio seu rotatio vnus in aliud fieri posset, si radicatus in se non haberent sulphur naturæ, mediante quo solo, in quo, & per quod, fit mutatio à forma in formam, de vno colore in alium. Nec quidem de hac re quis vltius dubitare potest, si Lucem fuisse primam creaturam obseruauerit, & quod ipsa sit sulphuris naturæ Radix & Origo: Quare si à luce aquarum massa in Elementa distinguatur, necesse est, vt quodlibet Elementum, in creatione sua, à suo sulphure informetur, & ab inuicem distinguatur & situ varietur. Sic, illa aquarum portio, quæ maiore sulphuris naturæ portione ditatur, est Ignis: atque ob istam rationem eleuatur super suos socios & in forma ac colore ob sulphuris in eo multitudinem, luci propius accedit. Vnde colore naturali, croceus est, & rubredini proximus.

In Aëre non ita redundat Sulphur, vt in Igne: ergo flauedinem producit. Aqua ob minus Sulphuris dominium, albicans est: vt Terra propter sulphuris naturalis inopiam maiorem vel minorem, vel nigrior, vel liuidior apparet.

Quibus recte consideratis, percipiemus quidē, quod Terra ad naturam Salis, vt & Aqua atq; Aer qui Sphæram humiditatis constituunt ad illam Mercurij & Ignis ad conditionem Sulphuris proprie comparatur: & consequenter patet, quod quo res est magis cruda, eo minus exaltatur Sulphuris sui gradus: At vero in omni gradu exaltationis ipsius mutatur res de colore in colorem, vt in fructuum maturatione patet. Quare negamus colores esse à qualitibus, sed de Essentia sulphuris varieformiter existentis in Mercurio.

Pim. 1.

At vero, vt istius rei mysterium ab origine pandam: perpendatis (oro rem obseruatione dignissimam) Spiritus Dei lucidissimus (cuius presentia vt ait Hermes) omnia in lumen iucundissimum sunt conuersa: hoc est, sub nomine lucis creatæ producta, & à re inuisa in rem visam mutata: Lux ergo diuini in Chaos afflatus, est actiuus colorum fons & origo: cui si diceremus, quod accidens aliquod inesset, omnino errarem: quoniam Lux primaria est Essentia vnica sola perfectissima, sine omni rei extraneæ adhæsiōe seu additamento, in se & per se: Attamen certum est, ipsam splendore coruscante adornasse creaturas; easq; coloribus omnibus decorasse: At vero impossibile est, quod res aliqua illud dare potest, quod non habet: Ergo Lucem diuinam, quæ accidentia in se nulla habet, colores accidentales mundo dedisse minime est credendum. Sed dicimus, quod color sit formæ Essentificæ portio, seu gradus multiplicationis siue incrementi Sulphuris siue Lucis primariæ in Mercurio, seu prima materia mundana existente: nam Lux cuilibet creaturæ vitam & esse dans paulatim cernitur crescere & augeri in re quapiam; quatenus eius totum conamen est, rem cui inest, ad perfectionis metam & maturationis complementum sensim perducere; in quo eius motu siue actione progredi obseruatur de colore in colorem; non quod eos induat quasi accidentia; sed quod naturaliter actus sulphuris materiam Mercurialem operantes & passiones materiæ illius cui inest sulphur sequuntur, & proportionē Essentiali ambobus inesse deprehenduntur. Nam vbi sulphur naturæ igneum visibiliter abundat, vt in re grossa, vt puta carbone ignito: ibi redditur forma eius intense rubea: at vbi sulphuris substantia formalis est magis dilatata: verbi gratia, in fenum ligni accensi, ibi croceus adest color: Si vero adhuc sit magis dilatata vis illa sulphurea, vt in aëre seu materia Mercuriali subtiliori; ibi quidem flauus se reddit sulphur.

At si quis replicauerit, has omnes formas à luce procedere, atq; ideo, quod necesse sit eas esse accidentia: quatenus ipsa Lux sit accidens: Hinc ergo sic: si Lux sit accidens, sequitur, quod inest ipsa alicui subiecto, quoniam accidentis esse est inesse. At cum lux sit creatura, omnium prima: non est possibile, vt actu inhæreat rei, quæ reuera non est: quare constat, quod Lux sit creatura maxime Essentifica, & per se, & in se, & in se manens: vt pote sapientia illa diuina ditissima, quæ est vna simplex, & essentiarum & virtutum omnium fons, iuxta Dauidis sensum: *Spiritu ab ore eius omnis virtus calorum.* Habemus ergo hic fontem colorum actiuum: iam vero ad illum passiuum seu potentialem, sermonem conuertam: quo melius colorum variorum creandi rationem, elicere queatis.

Vt igitur manifestum est, ipsam Lucem esse colorum omnium subiectum formale: siue actum: non accidentalem (vt quidam volunt) sed Essentialem: Ita quidem: ipsius passiuum seu subiectum materiale esse Tenebras pro certo statuimus: quod quidem actione lucis tam externæ quam centralis gradatim à sua fœditate deformi depuratum elaboratum per minimum, decoctum mutatur de Elemento in Elementum, de colore in colorem & de vilitate in nobilitatem. Atq; hic sciendum est, quod omnis motus essentialis rei passiuæ ad perfectionem, fit à colore nigro, albedinem versus: à qua tandem ad fulgorem super-

supercœlestem operante luce diuina fiet transitus: vt in superabundante Angelorum & Sanctorum claritate & puritate percipiendum est.

At vero, vt purissimum in natura sulphur, nihil aliud sit quã ignis Essentialis, tincturaue simplex à luce diuina immediate orta: Ita quidem sine illius præsentia nihil in hoc mundo viuere aut existere potest. *Spiritus* (inquit Sapiens) *est in omni re.* At Sapientiæ lucidæ fons est Verbum in quo est vita: Atque ista Lux seu tinctura ignea est ignis ille inuisibilis Heracuti & Zoroastri ex quo volunt res cunctas esse genitas: qui vt est multiformiter in variis rebus; ita quidem, infinitas producit species, figura, natura, colore, sapore, & odore differentes: Sic vnum Elementum ab alio, maiore vel minore sulphuris istius mensura differt, & quo minus inuenitur de eo, in subiecto Mercuriali; eo obscurior, vilior, & ignobilior est illa: vnde sequitur, quod quo magis sulphure seu tinctura augetur, more Ignis crescendo paulatim à scintilla in flammâ: eo magis mouetur materia informis à potentia deformitate, in actus perfectionem; & in quolibet gradu suæ mutationis, mutat colorẽ suum, nõ aliter quam vnum Elementum in aliud rotatur. Nam Terra nigra in aquam subalbidam & Aqua subalbida in aërem niualem & subfulgidam: & aër niualis & flauescens in ignem rubicundum, magis magisque vincente Sulphure in corpore Mercuriali communi, seu materia prima Elementorum. Nam aliter res se habet, ac ipsi existimant, volentes Niuis colorem à frigore prouenire; quoniam hac ratione, Terra nigra (vtpote frigidissima) esse rerũ omnium albissima. Sed hoc accidit gratia depurationis subiecti materialis ipsius Niuis. Nam videre liceat, quod Terra frigore Boreali congelata, non desinet suam in se nigredinem retinere, at aquæ glacies (quatenus aqua est Elementum terræ concoctione sulphuris per vnicum gradum exaltatum & depuratum) magis pulchra & alba, atque depurata redditur. At vero vbi sulphur suo incremento materiam aquæ in aërem elaborauerit: & depurauerit: subtiliando ipsum aërem Elemento aquæ tam tenuitate & puritate quam velocitate sui motus multo esse anteponendum agnoscimus. Quare vt manifestum est plus esse sulphuris ignei inuisibilis in aqua quam in terra; quatenus illa est hac mobilior (omnis vero mobilitas à luce sulphurea) ita quidem aër agnoscitur calore sulphureo aquam excellere, & consequenter puritate & perfectione ipsi præponi. Hinc igitur est, quod frigus in aëre candidiores producat effectus, quam aut in aqua aut in terra; non quidem quod illud facit hunc, vel illum colorem, vtpote quod solummodo agit in hæc Elementa, congelando: Nam cum sit de Essentia potentiali tenebrarum, & non accidens (vti vulgus autumat) necesse est credere ipsum naturali sua inclinatione ad tenebras, caliginem & quietem magis tendere, quam ad colorem candidum procreandum: hoc enim est sulphuris interni officium, in primis aquam in aerem, subtiliando & concoquendo purificare: & tunc frigoris est aerem inuisibilem purificatum in pruina & niues visibiles colore candidissimas, congelando alterare: & lucis tum postea externæ colorem illum detegere hocq; tempore hyemali. In æstate aër ob sulphuris in eo dominium magis flauescere obseruatur, vt in nubibus croceis & fuluis videre licet.

Ob variã etiam sulphuris in aëre operandi rationem, respectu variarum temporum alterationum: videlicet in eius opaco & minus cocto & diaphano atq; magis elaborato, colores varij tam in Iride quam nubibus prospiciuntur, atq; reuelantur; lucente, & eos detegente Sole. Sic enim in pice accensa flamma ad nigredinem tendere cernitur: flamma vero ceræ ad flauedinem: & sulphuris genus vnum accensum ad liuiditatem, aliud ad viriditatẽ: aliud ad colorem cœlestem: & tamen certum est, quod purum illud Sulphur: quod est actor

actor in hisce omnibus, non est nisi vnicum & idem: sed quoniam subiecta sunt diuersa ratione concocta: & gradibus variis in impuritate disposita, colores reddunt variables, non aliter in mistis quam in ipsis Elementis: nec quidem sunt colores hic accidentia: sed essentialia (vti diximus) apparitiones diuersarum mixtionum lucis externæ in subiecto Mercuriali variformiter concocto & elaborato. Hinc est quod Tenebræ seu nigredo in carbone æqualiter Lucis igneæ præsentia perfusa, rubedinẽ faciat; at eadẽ lux in fumo grosso procreat colorem croceum: ex cuius flammæ parte nihilominus carboni, seu lichnio nigro proximiori color cæruleus se prodit: quia magis habet apparentiam de nigredine quam de flamma crocea. At si pars flammæ inter colorem illum purpureum & flammam mere croceam bene respiciatur: ipsam magis viridem percipietis: vt pote qui color ex illo croceo & cæruleo seu nigredine simul permixtis constat. At vero penitus extincto igne, carbo nigerrimus apparebit: non quidem, quia fumus (vt aiunt) humidus exiliens, ipsum in talem reducebat aspectum, sed ob sulphuris natiui extinctionem & consumptionem: seu potius propter ipsius in se occultationem: quod quidem in omni subiecti specifici destructione contingit, quousque noua introducatur forma: hoc est secunda fiat rei mortuæ generatio. Nam omnia, ablata sua forma, tenebrosa & informia manebunt. At vero, quod forma ista sulphurea sit in rei centro occultata (est enim omni re magis fixa & ignis extranei violentiæ resistens) in eo declaratur, quoniam species rerum in suis cineribus & in sale, qui è cinerum centro exilire solet, delitescere, frequens nos docuit experientia, tam in herbarũ sale, qui in aqua ramos suæ speciei similes emittere animaduertitur: immo vero & (quod admiratione haud minima nos rapit) ex ossibus humanis extractum, in scutellam aqua pura plenam dissoluetur, & per noctem in ea, ita infundi permittatur, homines crystallorum instar per multos quasi crucibus affixos & impendentes in aqua ea (mirum dictu) inuenietis. Experimentum hoc quidem notabile, mihi à Reuerendo Patre Domino mihi colendissimo Ioanne Thornborough Episcopo Wigorniese, reuelatum est.

Concludimus igitur, quod vt vnicum colorum omnium extremum sit Nigredo: vid. inseparabilis ille Tenebrarum comes: imo vero & ipsæ tenebræ informes, omni luce actuali destitutæ (nam ante lucis creationem *tenebræ fuerunt super faciem abyssi.*) Ita quidem istiusmodi caligo seu color extremus non erat accidens (vti vulgus ait) sed tam de Essentia potentia diuinæ, quam Lux de illa, ipsius actus: Erat (inquam) caligo illa tam de natura & existentia materiæ primæ informis, quam Lux erat ante omne initium seu æternitatem & ab æuo cum Deo & in Deo: Quare vocauit Moses istiusmodi caliginem realem *Tenebras* palpabiles & non accidentales: nam vt Lux primaria, pro accidente haberi non potuit: quoniam vt erat prima creatura, subiectum in natura minime inuenit ante se cui inhæreret: Ita quidem de tenebris & caligine primordiali est existimandum, similiter, quod vt Lucis est depurare à nigredine in extremam albedinem, & quilibet depurationis illius gradus colorem Essentialẽ sibi vendicat: Ita quidem è regione Tenebræ agunt incrassando, & nigredine colores actione lucis productos deformando & caligine occultando. Subiectum ergo intermediũ Mercuriale in quod, tam Lux agendo, quam Tenebræ resistendo: & resistentia reagendo, agunt est Aqua, ex qua (teste D. Petro) *Cæli & Terra*, & consequenter omnia, cum specie, tũ colore distincta sunt facta. Quare etiã cõsequi existimamus, quod cum nec Lux nec Tenebræ sint accidẽtia: nec etiã calor nec frigus pro accidẽtib. reuera sint reputãda: quoniã, etsi calor nobis videtur esse quid per accidens: tamẽ est ipse nihil

nihil

nihil aliud quam verus lucis seu ignis inuisibilis in aëre expansi actus, qui taliter est adligatus Essentia lucis, ut Lux Deo, radius Solaris, Soli: Quare dicimus calorem esse quid Essentiale, quam arctissime cum fonte suo lucido coniunctum. Atque idem de frigore. Nam quis diceret, quod accidentia sint in Deo? At vero in contextu sacro hæc legimus: *Flante Deo, concrefcit gelu: & contra frigora eius, quis consistit*: similiter, è contrario, testantur Scripturæ, quod *Deus sit ignis consumens: & quod inhabitet Lucem inaccessibilem*. Quare quicquam accidentium ipsi inesse, absurdissimum & profanissimum foret dicere. Quod cum ita se habeat, quid minus est dicendū de colore aspectus diuini? Cuius intuitu facies Moysi adeo resplenduit, ut ipsam Israelitæ spectare non potuerint.

Præterea in visionibus Ezechielis & D. Ioannis colores plurimi in apparitione personæ Dei, Angelorum Sanctorum & Spirituum in rotis videbantur: qui omnes, ut essent Essentiales, & non aut imaginarij, aut accidentales, fide credendum est: quoniam nihil est in Deo & Sanctis suis, quod non est ex pura & sincera ipsorum Essentia & veritate: quippe; quorum puritas & simplicitas, præcipue illa Dei: excellit omnem imaginationem ac comparisonem.

Videamus iam Spagiricorum verorum de colorum procreatione intentiones, ut per ipsorum Praxin discernere possimus, an ea quæ à nobis sunt dicta, sint vera, aut saltem probabilia: necne.

Dicit quidam, quod *operatio in vera Chymia, dicatur colorum quatuor excitatio*: Et alius ait: *quod ipsi sint mutationes apparentes suo artificio*. Et Paracelsus dicit, quod *tot sint Mercurij, sulphuris & salis varietates, quot fructus sunt varij in mineralibus: aliud enim Sulphur, aliudq; Sal habetur in plumbo ferro, auro, cupro &c. in Saphiro, gemmis alijsq; lapidibus marcasitis &c. colores vero omnes proueniunt à sulphuris & salis natura in qua consistunt: Mercurius vero exhibet corporum substantiam*. Et Nicolaus Flammellus ait: *Elementum terreum esse nigrum: aqueum, splendens & album: aereum, flauum & citrinum, igneum esse candens & rubeum*. Et Isaacus Hollandicus ait, quod *tres sunt colores varij, qui secundum Ignis regimen & sulphuris naturalis in materia motum se essentialiter præbent in opere vid. niger, albus, & ruber*: aitque quod *inter horum colorum quemlibet, colores varij se ostendunt, imo plures quam excogitari queant*. Quibus indicare videtur varia colorum illorum intermediorum genera, quæ ex extremo utroque atque medio rubeo exurgunt. Et alibi agnoscunt, quod Albedo in nigredine delitescat: citrinitas in albedine, atque in ea, rubedo: rationemque denotant horum colorum esse Spiritum tingentem & viuificum, qui paulatim exsiccando humiditates corrumpentes, transit de natura in naturam: & in omni suo mutationis gradu naturam compositi speciem colore variantem transmutat & varie-formiter tingit, iuxta diuersum sui super humiditatem dominium, & decoctionis seu ignis naturæ incrementum. Nam quicquid fit in hoc mundo, fit à sulphure, Mercurio & sale: qui cooperantur in creatura ad imitationem suarum radicum vid. Lucis sulphuræ: Aquæ Mercurialis & salis ex utrisque conflati: Sulphur quasi loquitur, & halitu suo tingit pro velle, estque causa efficiens ex qua Lux tingens, quasi ab ore edit Mercurium aqueum, per quem cæli firmantur, eiusque Orbis ab inuicem, operante Sulphure distinguuntur. Ex sale ab utroque exiente, omnis cælorum virtus procreatur, utpote, cui semper comites & consortes sunt sulphur & Mercurius: Quare accidit, quod alterato vno, in materia Mercuriali: necesse est, ut etiam (in effectu) reliqui duo alterentur: atque ita omnia habemus in tribus: & illa tria in vnicam nihilominus Essentiam resultant, in se firmam, fixam & sempiternam. Quare certum est, ut omnia per gradus ex tribus sunt creata: Ita quidem illa tria sola proprietate distincta, in vnica consistunt natura. Sic omnia, tria sunt: & tria vnum. Colores vero oriuntur ex profundiori seu magis superficiali naturæ vnus tertij in alium: Sic Lux quo profundius in diaphanum penetrat, eo obscurior: & in opaco multiformiter mutat obiecti intuitum.

V

Denique


Deniq; vnicum producā Exemplum experientia nostra comprobatur, quo percipere possitis, quomodo sulphuris naturæ formalis incremento vel decremento: colores in idem introducuntur subiectum pellucidum. Nam è Tritico naturam extraxi aëream, quæ nihil erat nisi Sal quoddā volatile, limpidum & fluidum, colore per se, crystallo simillimū, albicans & clarum. Hunc liquorem Soli exposui; & primum mutatus erat candor eius naturalis & crystallinus & informam Iacinthi est conuersus: tum postea, spacio trium aliarum horarum in Rubini speciē: deniq; multitudinē sulphuris solaris ad se attrahendo, colorem Granati obscurissimum induebat: imo vero liquor ille, antea admodū diaphanus, iam sulphuris illius multitudine vix est aspectu penetrabilis.

Quare euidens est, quod color in subiecto gemmarum omnium, sit sulphur naturale: cui libet corpori Mercuriali insitum. Nam hæc quidem est ratio, quod Triticum à cælo tantum post eius in terra putrefactionem, recipiat ignis seu lucis, seu tincturæ sulphuræ: vt mediante eo, possit in infinitum, quasi quotannis multiplicari: Quemadmodum in *Anatomia nostra* de Pane & Tritico, est fusius declaratum.

Hinc ergo Sapphiri, Hyacinthi, Rubini, Smaragdi: & aliorum lapidum pretiosorum tinctura varia. Hinc fructuum crescentium ab vnicō in alium colorem progrediendi ratio: nam quo magis, magisq; crescit sulphur: eo magis pro subiecti Mercurialis conditione mutat colorem: vt in fructuum ad maturitatem progredientium gradibus facillime est colligendum.

Quomodo autem his sulphuris in coloribus alterationibus se sensui etiam communi obicere soleat, sic accipite.

Nigredo est in carbone non accenso, inde arguens formæ sulphuræ absentiam seu occultationem in sale centrali: quare more Chaos confusi omnia ibi sunt tenebris obruta: At si parum in flammam accendatur; cæruleum affert colorem; in quo est multum nigredinis seu fumi nigri & parum flammæ: at si plus flammæ crocæ adsit, & minus fumi nigri, vel si fumus sit aliquantulum subtilior, quam in cæruleo, viridis erit color: At si æqualis fuerit carbonis nigri cum igne sulphureo corpori ipsius adhærenti tū rubeus produceretur color: vbi vero flammæ pars tenuior est in aëre: ibi flauus proueniet color: albedinē vero in aëre illustrato inueniemus. Hoc clarius ex lichnio & flamma candente percipietis: atq; ita in materia mundi Mercurialis varie-formiter agente sulphure suo igneo, colorum annulum seu rotam inuenimus: quam, in hunc modum expressimus.



Deniq;

Deniq; totū hoc confirmauerunt Philosophi, agnoscentes & distinguentes sulphur à sulphure, coloribus: quod aliud sulphur sit album, sicut illud in argento: aliud flauum & croceum, vt illud in auro: aliud viride, vt illud in cupro; quod est partim rubrum & partim viride; vt in ære viridi liquet: aliud liuidum, vt illud Plumbi: & sic in cæteris. Et licet hi colores in sulphure sint varij in eo digestionis gradus: tamen non est nisi vnicum in genere sulphur, quod in actione eius in Mercurio & sale varia, varias obseruatur induere formas. Sic in illo Sapphiri, cœlestem: in illo Turquezo, cyaneum: in Hyacintho flauum, in Rubino, rubrum, in Smaragdo viridem: in Plumbo, liuidum: in Cupro, rubrum: in stanno & argento, album: in Auro, flauum: & sic in cæteris. Similiter in cerafo, rûbrum: in vua, cæruleum: in eodem pomo viriditatē: & paulo maturiori digestionem, flauedinem, & quandoq; rubedinem: quod quidem clare demonstrat, quod colores in eodē subiecto variantur iuxta augmentationem & incrementum Sulphuris in ipsis. Atq; hæc est ratio transmutationis vnius speciei in aliam: nam omnis in progressionem ab imperfectione in perfectionem gradus fit per sulphuris rei naturalis incrementum. Sic per mixtionem nigredinis terrestris seu sulphuris nigri in terra, in portione maiori, & crocei sulphuris Solis ad polum Arcticum accedentis in portione minori accidit viriditas plantis & frondibus, graminibusq; & segetibus: & tamen in segete videmus quod crescente sulphure solari fit à viriditate ad flauedinem: & ab illa in rubedinem grani mutatio: & sic in cæteris.

Quæ cum ita sint, intelligendum est etiam, quod cum Venti sunt varij in suis operationibus Sulphuris naturæ gradus varie formiter iuxta ipsorum afflatus disponuntur: illa omnia, quæ de colorum Essentiis & naturis, atq; gradibus in sulphure iam à nobis sunt dicta: ad ipsorum naturas referre non erit difficile: vid. nigredinem seu sulphur crudissimum & debile, Septentrioni: candidum Occidenti: flauum Austro, & rubeum Orienti: à cuius iterum gradu igneo fit transitus in carbonem nigrum Septentrionis: at in Occidente Sal in cineribus candidis liquefit in aqua: in Austro crescit in tinctura flaua, & in Oriente exaltatur in elibano perfectionis rubicundæ: in quo fixe stat & permanet. Et quoniam ex Ventorum naturis oriuntur Elementorum actus: ideo sequi debet, quod Terræ sulphur sit reliquis crudius & nigrius, magisq; occultum: vt pote, quæ est frigida & sicca in manifesto: Aquæ magis coctum quam erat in Terra; vnde clarius & albicans: In aëre vero est magis coctum & habitum flauiozem induit: At vero in ignea sua patria veste aurea & purpurea adornatur.

Atque omnes has mutationes, habet Sulphur à fonte Sapientiæ vnico & simplici: quæ istam ob rationem, Spiritus dicitur multiplex, quatenus ipse Sulphura multiformia multi-formiter species tam colore, quam figura distinguunt, omni temporis momento mutat & alterat.



TOM. I, TRACTAT. I, SECTIO II.

D E

SANITATIS TUEN- DÆ RATIONE

IN PARTES DIVISA TRES:

Quarum tractat

<i>Prima, de Supercœlesti</i>	}	<i>Sanitatis tuendæ methodo,</i>
<i>Secunda, de Cœlesti</i>		
<i>Tertia, de Elementari</i>		

PARTIS PRIMÆ

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De Supercœlesti Sanitatis tuendæ ratione in genere.

V sapientis est: ad Centrum prius respicere, quam ut in Circumferentia cum vulgo versetur: hoc est, ut causam perquirat internam, antequam aliquod de effectu iudicium cum temerario Mundano ferat: Ita quidem internam & centram, sanitatis tuendæ rationem (quasi causam primariam) enucleare, atque inuestigare, priusquam de eiusdem effectibus cogitet, Philosophi veri esse existimamus.

At vero à Medicis & Philosophis cuiuslibet seculi, res aliter longe habentur, utpote, quorum est & fuit, effectus pro causis primariis, Sanitatem tuentibus accipere, minime intelligentium, Deum esse causam agentem in mundo seu actum tam primordiale, quam finale, ante omnia, per omnia, & in omnibus: vnde *Alpha & Omega, principium & finis* dicitur: utpote, à cuius essentia seu actu, in cuius actu, & per cuius actum sunt omnia. Vnde sequitur, quod ut ipse est vitarum author, ita quidem omnes creaturæ vitæ ditatæ, vitæ & sanitatis suæ expectationem habent: & consequenter cuilibet creaturæ conuenit, ut tam Spiritus quam corporis puritate, excellat: quo digna reddatur, ut ad vitæ fontem; Deum vid. mediatione radij vitæ, accedat: qui radius, de natura diuina participat. Nam *Spiritus diuinus est simplex, unicus, purus, syncerus, non inquinatus, amans bonum, qui ex sua bonitate & clementia omnia creauit, ut essent, & sanabiles fecit nationes terræ: & non posuit in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra, quatenus lucida eius iustitia, quam creaturis suis (quo viuerent) communicauit, est perpetua & immortalis.*

Causa ergo morborum, seu à Sanitatis legibus ad mortem vsq; recessio; est *Iniustitia*: quam impij tam manibus quam verbis accersuerunt, & æstimantes

tes

Sap 7.
Sap. I. 14.

tes illam amicam, defluerunt. Nam morte digni sunt, qui sunt ex parte illius. Denique creauit hominem inextermabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem Diaboli, mors introiit in orbem terrarum. Quare opus est, vt homo omni conamine purus & simplex tam animo quam corpore permaneat, quo propius accedat ad illius naturam, qui est corporum & spirituum Dominus: ne ipse ob immunditiam eius vultum suum viuificum ab eo abscondendo, illum reddat perturbatum & languidum. Quoniam Deus qui est omni puritate purior, odit turpia, fugit impura, & eius absentia, miserum reddit hominem immunditie inquinatum; vti in sequentibus clarius.

CAPVT II.

In quo finis creationis humanæ explicatur.

CVm officium hominis integrum in hac vita sit duplex, videl. Deum ipsum reuereri, & Præcepta eius obseruare (nam hoc est Hominis totum, vt testatur *Eccl. 12. 15.* Solomon) ipsi minime cõuenit errare à via ista, vtpote quæ Christo teste, totum comprehendit in se Decalogum Mosaicum: videl. Timere Deum toto corde, & Diligere proximum: Quorum præceptorum, illud, ad purum spiritum & hominem mysticum pertinet, quatenus Deus est Spiritus simplicissimus: atque hoc ad corpus & externum ipsius spectat: quippe quo docemur erga proximos & fratres nostros suauiter & moraliter nos gerere: vt hoc modo; nexu suauis & harmonia placida, vniendo terrestria cum cœlestibus. ad ipsum Æternitatis palatium ascendere possimus, & in tertium cœlum aditum comparare. Nam mandatorum diuinorum obseruantibus patefactæ sunt Diuinitatis fores: impiis vero occlusæ.

Hinc est, quod vt iusti & beati meditatio est in lege Iehouæ: ita quidem iniusti à cætu & iudicio iustorum sunt separati, & consequenter in lege diuina non ambulant, nec ad beatorum sedes penetrare queant. Ob istam rationem, Iehoua dicitur esse iustorum & piorum custos, viamque eorum nouisse, cum è regione, iniustorum & impiorum iter periturum tradatur. Quare, quæcunque faciet iustus, prosperabitur: at non ita res se habet cum impiis; quippe qui sunt tanquam puluis quem proicit à facie terræ. Iustos ergo dirigit in via salutis, & eripit eos ex omnibus periculis & pauoribus; quoniam castramentantur Angeli Iehouæ circa eos qui eum timent, eosque eripiunt à malo. At vero impius non habitabit iuxta Deum, nec permanebit ante oculos eius. Vnde fit quod ipse expauescit pauore, quoniam Deus adest generationi iustæ; & peribit à conspectu Dei vt liquefcit cera ab igne, & cum moritur, perit eius spes & expectatio.

Concludimus igitur quod Deus piis & bonis sit scutum & propugnaculum, quoniam illud præstare conantur, propter quod sunt nati: videl. Deum suam salutem & vitæ suæ fontem cum toto corde reuereri, & præceptum eius toto suo conamine obseruare: Quare ipsum per bonos suos Angelos conseruat in sanitate & actiones eorum omnes ad exitum fœlicem perducit: vbi vice versa, impios malorum Angelorum inclementiæ committit, eosque tam corpore & anima miseros, quam suis actionibus vt plurimum infœlices reddit.

CAP. III.

Quibus sit Deus ad sanitatem eorum tuendam paratior: & quibus, morbis afficere pronior. De sanitatis & morborum ratione.

AT vero iuste hic quis possit quærere: Cur Deus vita sana honoribus & diuitiis soleat etiam impios per omne mundi seculum beare? Cui ex ore diuino sic re-

Sap. 11. 21.

spondeo: Iehoua est longanimis & multus benignitate, tardus ira; &c. Et alibi Sapiens: Tu quod multum potes, hoc tibi semper adest. Quandoquidem, tanquam momentum è lancibus, est totus Mundus coram te, & tanquam gutta roris descendens mane in terram. Misereris autem omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum, ut resipiscant. Nam diligis omnia quæ sunt, & nihil abominaris eorum, quæ fecisti, &c. sed parcis omnibus eo quod tua sunt, O Domine animarum amans, &c.

Num. 14.

Iob. 12. 11.

Psal. 14. 8.
Psal. 9. 6.

Iob. 23. 18.

Deut. 31. 17.

Sap. 1. 13.
Iob. 3.

Eccl. 24. 27.

Psal. 3. 9.

Eccl. 12. 15.

Deut. 10. 12.

Deut. 13. 15.

Exod. 13. 25.

Exod. 15. 26.

Hinc ergo liquet, quod Deus sit magis ad misericordiam procliuis, quam ad seueritatem, ut tandem peccator pœnitentia ductus reuertatur ad Dominum, & viuat. Nam aliter, tametsi retardat suam vindictam, tamen non soluit fontem, sed visitare solet iniquitatem patrum in filios & nepotes, & abnepotes: quoniam in Iehoua manu est anima omnis viuentis & spiritus vniuersæ carnis: utpote, qui omnia fecit. Hinc ergo est, quod ut ipse sit Deus grâtiōsus, misericors longanimis & magnus benignitate, bonus in omnibus, & misericordia eius in omnibus operibus eius (ut testatur David) ita quidem ipse quandoque increpat gentes, perdit improbum, iniustum consumit astu suo; emollit animam eius, & perturbat, atque agrotare facit illum. Nam ipse eos in malitia sua perseuerantes, relinquit, & abscondit faciem suam ab iis, ut obuenant iis mala multa, & angustia (ut antea est declaratum.) Quoniam Deus vitæ & mortis potestatem habet, deducit in portas inferni & reducit. Ipse quandoque hominem increpat per dolorem in lectulo, omnia ossa eius marcescere facit; abominabilem ei in vita facit panem, & animæ illius cibum antea desiderabilem. Et iterum: Homini salutem & sanitatis præseruationem affert, quoniam ipse est solus & non est amplius propter ipsum, Saluator, quatenus, in quo est ipsa salus.

Ratio igitur vnius & alterius, est vel Obseruatio, vel abrogatio officij illius, propter quod creatus est homo, & continua successione natus, videl. ut Deum reueretur, & Præceptum eius obseruet. Nam teste Mose, Deus Iehoua nihil ab Israelitis petebat, nisi ut eum tanquam Deum suum timeant, & ambulent in omnibus viis eius, & diligant, colantque eum ex toto corde suo, & toto animo. In quo quidem sensu hæc sunt à Mose Israelitis prolata. Contestor hodie, contra vos Cælum & Terram, me vitam & mortem, bonum & malum, proposuisse tibi, benedictionem & maledictionem; quare elige vitam, ut viuas, cum semine tuo: ipse autem Iehoua Deus tuus, vita tua est, & longitudo dierum. Quo sermone arguere videtur, quod in obseruatione Legis & Mandati sit Vita, Sanitas, & dierum longitudo: in abrogatione & transgressione illius ortum sit malum & infirmitas, & dierum naturalium abbreviatio. Quare alibi: Si seruietis Domino Deo vestro, benedicam panibus tuis & aquas & auferam infirmitatem de medio tui, non erit infœcunda, nec sterilis terra tua, numerum dierum tuorum implebe.

Quarum benedictionum conditio est, ut homines seruiant Domino, & faciant mandata eius: quod ni faciant, loco benedictionum, maledictiones consequentur, sicut alibi legimus: Si sedulo attendas ad vocem Iehouæ Dei tui, & rectum in oculis eius feceris, si aurem ad præcepta eius inclinaueris, & obseruaueris omnia Statuta eius, nullum morbum quem imposui Aegyptiis, imponam tibi, sed ego Iehoua ero curator tuus. Hæc dixit ille qui est vnica mundi vita, & eius salus: & hæc cui-libet pio præstabit veraciter, si eius naturæ tenebræ seu priuatiuæ dispositionem euitare conetur, & legibus eius lucidis minime repugnet.

C A P. IV.

*Quis impius, & tenebrarum filius: & quis pius & Iustus? An iustus manda-
ta diuina exacte possit obseruare? Et, si in eis deficiat, an à Deo more im-
pij punietur, necne. Denique ostenditur, quod etiam impius
possit à peccati, morbi, & mortis labe
restaurari.*

Avdias (ait Moses) præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea, viuas. *Cu- Dent. 4. 1.*
stodite mandata Dei vestri, &c. At iam quærendum est, an hæc mandata obser-
uare, sit in potestate humana, necne. Ab ipso Salomone accepimus: quod corpus
infestum corruptione aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit mentem mul-
tis curis plenam, & vix conuicimus ea quæ in terra sunt, & quæ ad manus sunt, labo-
riose inuenimus. Quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit? Et consilium Dei quis *Sap. 9.*
nouerit, nisi Deus dederit sapientiam & miserit Spiritum suum sanctum de altis cœlis:
sic correctæ sunt eorum quæ in terra versantur, semitæ, & res quæ placent Deo, homines
edocti sunt: itaque sapientia sunt seruati. Hactenus Sapiens. Quod cum ita se
habeat, quis semitas & mandata Dei, per se & à sua natura recte intelligere
potest, nisi Deus ipsi dederit sapientiam, qua in veram Legis lucidæ viam (cu-
ius caput est ipsa sapientia) conducatur. Est enim Sapientiæ solius amicos *Sap. 7.*
Dei & Prophetas constituere: quoniam Deus neminem fertur diligere, nisi
qui cum Sapientia habitat. Quid inde? An nemo est ideo reuera iustus &
pius, præterquam ille, qui sapientiam possidet mysticam? Quis ergo in hac
vita securus? cum admodum videantur esse pauci, qui viuum Sapientiæ do-
num acceperunt.

At si homo (quem Deus posuit in honore, tametsi hoc ipse non intelligat, ut ait
Psalmista) Si (inquam) ipse recte intellexisset istam Sapientiam, fuisse lucem il-
lam æternam, quæ illuminauit omnem hominem venientem in hunc Mundum: à qua *Ioh. 1.*
Mundus est factus, & in qua est vita hominum; cognosceret quidem ipse, istam
Sapientiam à vita & compositione humana non longe abesse. Sed quoniam
ob tenebrosi corporis fallaciam, illa à miseris mortalibus discerni nequit, id-
eo non credunt naturam tam diuinam, ipsis esse adeo propinquam, & ob i-
stam rationem, tenebras magis amare quam Lucem, & consequenter, tenebra-
rum filij dicuntur, quatenus ipsi tenebris occæcati, Errorem loco Veritatis
sunt complexi: atque etiam filij Mundi appellantur, quatenus ipsi Mundi
visibilia tantummodo contemplantes, Lucem istam Mysticam ideo mini-
me esse credunt, quoniam ipsa sensibus suis minime subiecta: atque hac ra-
tione peccant & errore seducuntur Diaboli, quatenus ipsi figmentum te-
nebrosum pro veritate lucida habentes, mortem loco vitæ receperunt;
Iuxta prædictam Sapientis assertionem; creauit Deus omnes ut essent & sana- *Sap. 1. 14.*
biles fecit nationes orbis terrarum; quoniam Iustitia est perpetua & immortalis: In-
iustitia autem, mortis acquisitio, quam impij manibus & verbis accersuerunt, &
estimantes illam amicam defluerunt & morte digni sunt, &c. Hoc est: **D E V S**
creauit omnia per Iustitiam, id est, Sapientiam suam lucidam, quæ est per-
petua & immortalis, ac ipsa vita æterna: vnde ipsius præsentia viuifica, o-
mnia sanabilia reddidit, quatenus in ipsa consistit Mundi vniuersalis Vi-
ta: At vero Iniustitia, hoc est, illud tenebrosum fictitium, siue figmentum
quod in Luce vera videtur & non est, morbos mortē peccatum & errorem in-
duxit in Mundum, lucemq; illā realem, instar rubiginis deformis quæ ferrum
politissimum & lucidum sibi contraxit, à mortalium sensib. ita tollit & abscon-
dit,

dit, ut eam minime existere credant, quam secum semper habent, & sine qua existere nequeunt: atque ita haud immerito rebelles luminis dicuntur, Principisque Tenebrarum soboles, quippe in cuius laqueis captiuantur, atque hac ratione morti subiiciuntur. Nam quamuis per Iustitiam illam lucidam, *Deus homines fecerit inextermi- nables, & ad imaginem suae similitudinis*, & consequenter immortales, utpote qui in ea post mortem corporalem viuit in æternum: tamen *inuidia Diaboli (qui est Princeps Tenebrarum) introducta est Mors in orbem terrarum*, quem imitantur illi qui sunt ex parte illius: videl. iniusti, impij, & improbi, qui ita sunt facti propter eorum infidelitatem & ignoranciam lucis, quæ venit in Mundum, & à qua Mundus & omnia in Mundo sunt facta. E contra vero qui fide certa credunt istam lucem esse in ipsis lapidem angularem, & vitæ atque intellectus sui authorem perpetuum, cum creatore immortali seu Patre permanentem, intelliget *seipsum esse filium Dei*, hoc est, de diuino semine natum est, & non de voluptate carnis (ut testatur D. Iohannes) atq; istiusmodi homines hac sua fide multiplicant vitæ suæ radium, & regeneratione vera sic facta, non erit ipsis difficile, Tabernaculum suum deponere, quo vniamur cum Christo, qui est frater noster in hac regeneratione. Ob istam rationem ait Propheta regius: *In lumine tuo, videbimus lumen: & alibi: Si tu illustres lucernam meam, splendentes efficies tenebras meas: Et alibi: Quem visitauit Iehoua salute sua, fruatur bono & fælicitate Electorum*, ac si dixisset: Si miseris Spiritum tuum sanctum ab altissimis cælis, & cum eo direxeris animam meam lucidam, quam corpus meum corruptione infestum aggrauat; & illuminet mentem meam, quam terrena & tenebrosa hæc mea habitatio deprimit (ita ut eius acies lucida curis pluribus sit obfuscata) efficies lucernam hanc meam mentalem quam in creatione mea à te accepi tam claram ac lucidam, ut mediantea, in semitis tuis ambulare, & ea quæ tibi sunt placita, intelligere possim.

Sapient. 3.

Ioan. 1.

Psal. 18. 29.
Psal. 106.

At replicabit quis: Si nemo pro iusto & pio haberi potest, nisi ipse qui Legis statuta & mandata diuina compleuit; Quæritur, *an iustus peccare queat: sin vero, an iustus ille ita peccans sit pro peccato suo pariter cum impio & iniusto puniendus necne.*

Iob. 4. 17.

Ad primum quidē quod attinet, sciendum est, quod *cum qui seruiunt Deo non sint stabiles & firmi, & in Angelis suis reperit Deus prauitatem: quanto magis hi qui habitant domos luteas & qui terreum habent fundamentum: vel ut Iobi verbis alibi prolatis utar: En sanctis suis non posuit Deus stabilitatem, & Cælites non sunt mundi in oculis eius, nec Stella in cælis, quanto minus homo abominabilis & contemptibilis est, imbibens ut aquam, iniquitatem.*

Iob. 15. 14. &
25. 5.Iob. 25.
Prou. 24. 16.
ibid. 20. 9.

Nonne inuenimus etiam ipsum Dauidem & Salomonem atque etiam Mosen (electa à Deo vasa virosque sanctissimos) ab obedientia sua erga Deum multoties cecidisse. *Mundus (ait Iob) & purus non nascitur à muliere.* Hinc erat quod iuxta Sapientis sententiam, *septies in die cadat iustus & resurget, impij autem corruent in malum.* Et Salomon dicit: *A peccato mundus nemo.*

Prou. 3. 12.

Quod autem ad Quæstionis secundæ resolutionem spectat, intelligendum est per prædicti Sapientis sententiam: quod quamuis Deus pro peccatis ipsum corrigat quem diligit, tamen illud non ad destructionem facit, sed ut pater solet filium suum castigare: hoc est, non sine misericordia & commiseratione paterna: Sic enim Adamum, Mosen, Dauidem, atque Salomonem castigauit Iehoua, sed non ad eorum destructionem & desolationem. At è regione improbum dicitur non modo perturbare, sed etiam ipsum perdere debere in æstu suo consumere in secula sempiterna.

Psal. 9. 6. &
19. 14.Matth. 11. 28
Matth. 12. 13.

Quid ergo tū postea? *Anne extirpabit Deus omnes impios & iniquitatis operatores sine vlla exceptione?* Minime quidem gentium. Quoniam promisit ipse (& eius promissa minime sunt violanda) quod *si quis peccato laborans & oneratus ad eum veniret, ipse eos reficeret.* Et alibi ait: *Peccatum omne & blasphemia (præter illud*

illud

illud in Spiritum sanctum) remittetur hominibus. Et alibi scriptum est: quod quamuis impij ossa replentur peccato, tamen si reuertatur ad Deum; ab impietate & peccato ^{Iob. 22. 23.} restaurabit eum Deus. At vero huiusmodi à peccato ad Deum reuersio non debet esse ficta, more Pharaonis, qui agnouit peccatum suum hisce verbis. *Peccavi in Dominum vestrum & in vos, sed nunc dimitte peccatum meum hac vice & rogare Dominum vestrum ut auferat à me mortem istam, &c.* Nam iste non ex animo hæc dixit: quoniam ad peccatum suum obstinatæ & rebellionis est reuersus, sed qui stimulo conscientiaë fauciataë, veraque est ductus pœnitentia, iuxta recognitionem istam: *Peccauimus ô Pater contra te & contra cœlum, & non sumus amplius digni vocari Filij tui, &c.* Istiusmodi (inquam) peccatores ad gratiam diuinam regeneratione facta reuerti possunt & inter Electorum seriem numerari: cuiusmodi erant Maria Magdalena & Saul, qui postmodum splendore diuino ab extrema impietate mundificati & purificati, inter sanctos sunt electi & conscripti. ^{Exod. 14.}

C A P. V.

Quibus medijs ad diuinam Præsentiam fit aditus, postquam Deus faciem suam à peccatoribus absconderit: Et quomodo Peccatores à peccati sordibus sint repurgandi.

VT peccator, seu Legis diuinæ transgressor, beneuolam Iehouæ faciem intueri, & ad pristinum salutis statum (spiritu Gratiaë assistente) reuerti queat; tria in primis ab ipso sunt diligenter requirenda, vid. *apta spiritus sui ad actionem mentalem recipiendam præparatio*, ipsa *virtutis mentalis actio*: ac deniq; *beneuolus illius actionis effectus*.

Spiritus autem præparationem sic confirmat Pagina sacra: *Ante orationem, præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum, &c.* Atq; istam Præparationem in tribus præcipue consistere affirmamus, vid. in *Pœnitentia, Humilitate & Charitate*; quæ tria, *Fides & Spes* concomitari solent: De his ergo in hoc capite paulo copiosius differemus. Mentis autem actio, quæ dictam præparationem consequi debet, est sincera & fidelis *Oratio*, mediante qua Spiritus creditur accessum habere ad præsentiam Dei & coram throno Omnipotentis, cuius est beneuolo suo aspectu salutem, tam corpori, quam animæ præbere: vt è contra, ipsius absentiam sequitur non modo totius compositi per ægritudines & inquietudines perturbatio; verum etiam ipsa quandoq; Mors, quæ est compositi dissolutio.

De ista vero actione, videl. *Oratione*; in libro sequenti, copiose disceptabimus. Denique *Effectus*, est ipsius spiritus Sapientiaë, gratiarum & Angelorum choro stipati, in animam peccantem emissio, vt ipsius Luce illuminetur, & à tenebris suis & peccati sordibus emundetur & emaculetur. Atq; hac ratione, Peccator vere pœnitens in nouam factus erit creaturam: De hoc autem subiecto tractabit, *Liber istius partis tertius & ultimus*.

Ad primum præparationis membrum quod spectat, inquit Seneca in *Thyeste*, *Quem pœnitet peccasse pœne est innocens*: Nam Pœnitentia definitur non modo *quædam vitiorum mortificatio*, sed & *spirituale animæ martyrium*; vt pote, quæ gladio Spiritus (qui est *verbum Dei*) ex omni parte confoditur. Hinc ergo est, quod Pœnitentia sincera mundat & expurgat, dirigitque in bonum: estque causa præcipua, quod radij diuini à peccatore auersi, ad ipsum iterum redeant. Quare de isto membro sic loquitur Poeta:

*Sæpe leuant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Quum bene peccati pœnituisse vident.*

X

Atque

Ezech. 18.
Act. 1.
2. Cor. 7.

Atq; ob istam rationem, Scriptura sancta ait: *Pœnitentiam agite & conuertimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruina iniquitas: & alibi: Conuertimini vt deleantur peccata vestra, &c. quoniam pœnitentes exaudiet de cælo Dominus: & propitius erit illis.*

Sophon. 2.
Act. 8.

Cæterum, Pœnitentia nihil præstare potest sine *Humiliatione*, & mentis actione quam *Orationem* dicimus. Quod aperte arguere videtur locus iste. *Pœnitentes & humiliati quærite Dominum, vt abscondamini in die furoris ipsius. Et in Apostolorum Actis: Pœnitentiam age ob hanc nequitiam tuam, & roga DEVM si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, &c.* Quibus docemur, quod non sufficit pœnitentia sola; ni adiungatur *Oratio & Petitio humilis*, quo moueatur *DEVS* ad misericordiam. Inde etiam arguitur quod Pœnitentia vera esse non possit, nisi *Humilitatem* habeat comitem.

Eccles. 17.

Denique quod Pœnitentiæ effectus sit *Gratiæ & Veritatis* re possessio, docet Sapiens: *Pœnitentiam dedit Deus viam Iustitiæ, confirmavit deficientes sustinere & destinavit illis sortem Veritatis.* In qua sermonis serie indicat, quod vt peccator amiserit viam iustitiæ & gratiæ, atque ob istum eius errorem, non respicitur à Deo, qui est *Fons Gratiæ & Veritatis*: Ita pœnitentiæ suæ gratia, ei destinatur *Veritatis* fors: *Veritatis & Iustitiæ* (dico) quæ (teste Salomone) est *perpetua & immortalis*; & consequenter vitæ æternæ, & sanitatis atque conseruationis auctor: mediante qua à Peccati morte ad *Veritatis* vitam facta est Peccatoris restauratio: iuxta illud Patris in Parabola de filio prodigo; *Pœnitens mortuus erat & reuixit: perierat & est inuentus, &c.* Innuens, quod qui peccatis erat mortuus, iam tandem per pœnitentiam, & vitam pristinam, præeunte *Oratione* est restitutus. Nam dixit filius pœnitens in summa humilitate ad patrem: *Pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, &c.* quia eius fidei pœnitentia precibus fideliter explicata, tandem in pristinam patris sui gratiam & fauorem est receptus.

Sap. 1.

Luc. 15.
Luc. 5. 21.

2. Chron. 7.
Humilitas.

Iudith. 9.
Iacob. 4.

1. Pet. 5.
Iob. 22.
Eccles. 12.
Genes. 32.

Concludimus ergo, quod *Orationi pœnitentium aures Domini aperiuntur.* Nec quidem minus valida est *Humilitas*, (quæ est membrum secundum) ad obtinendam gratiam & auxilium à Domino, quam Pœnitentia: Nam ipsa optime viam munit ad *Orationem*, quoniam *humilium & mansuetorum semper Deo placuit deprecatio*: vt testatur *Iudith*: nam *ipsis* (iuxta Apostoli doctrinam) *dat Deus gratiam*; cum è regione, *superbis resistere assolet.* Atque istiusmodi gratiæ portione exaltatur peccator, & è peccati sui sordibus emergit: iuxta illud Apostoli, *Humiliamini sub potenti manu Dei; vt vos exaltet in tempore visitationis.* Hinc igitur (ait *Iob*) *Humiliatus qui fuerit erit in gloria.* Et Sapiens ait: *Humiliare Deo, & expecta manus eius.*

Cum denique Effectus tam Pœnitentiæ, quam *Humiliationis*, sit *Gratia, Gloria, Iustitia, Veritas* seu *Sapientia*; necesse est vt vtraque præcedant *Orationem*, quo istiusmodi effectus consequantur eam.

Sic enim in *Petitione Iacob* pro gratia & beneuolentia diuina, in primis seipsum humiliavit: vnde dictum est, *Timuit Iacob valde*: Deinde ad preces suas sic pergit; *DEVS patris mei Abraham, &c.* ac tandem auxilium impetrauit diuinum, quo mitigatum & placatum inuenit spiritum fratris sui *Esau*.

Proverb. 15.

Atque hoc erat quod Sapiens ingenue agnouerit; *Humilitatē præcedere Gloriam.* Nam vt *Humilitas* est principium & causa actionis mentalis quæ fit orando: ita quidem *gloria & Exaltatio* atq; *Sapientia* (quæ est *Dei præsentia*) est finis. Quare medium inter hos terminos est *Petitio* seu *Oratio*. Nam vt *Oratio nihil efficit sine Pœnitentia & Humilitate*: Ita quidem *parum refert Humilitas sine petitione & Erroris seu Peccati recognitione & agnitione.* Vnde quamuis dictū est quod *Humilitas præcedat gloriam*: & quod, *vbi est humilitas, ibi etiā adest Sapien-*

Sapientia: tamen horum *Vinculum* est *Petitio* seu *Oratio*, quæ fit penetratione radij mentalis ad thronum Dei: & intercessione ac pullatione fidei spiritus pœnitentia & humilitate præditi, vt in libro sequenti abundantius.

Concludimus ergo, quod ista *Humilitas* debet esse *fidelis* & *cordata*: nam aliter nihil præstabit. *Fidelis* (inquam) & *cordata* nam (inquit Sapiens) est qui se humiliat nequiter, & interiora eius, plena sunt dolo: Sed Deus qui est tam spirituum quam corporum Dominus, corda & renes hominum cognoscit, & nihil ab ipso occultari potest. Quare nisi petentis tam pœnitentia quam humilitas sit fidelis & realis, & non ficta, iram Domini excitabit potius, quam vt vllam in ipso gratiam aut misericordiam commouerit.

Denique nisi *Charitas* ista duo concomiteretur, vana erit *Oratio*: Quod quidem arguit Christus in generali *Orationis* formula, dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c.* Nam quomodo possumus gratiam demereri à Patre cœlesti, qui gratiam in nos peccantibus negare perfistimus? cum Saluator noster expresse dixerit, *Qua mensura, &c. remetietur vobis.* Quare iuxta Apostoli sententiam: *Charitas operit multitudinem peccatorum:* Quod si diminuat peccata nostra, facilius nos Deo coniunget, quia *Charitas est de essentia Dei:* vt D. Iohannes ait.

Hinc ergo elucet, quod *Charitas* sit *summa orantis Virtus*, cætera in se necessaria comprehendens: cum ipsa (teste D. Paulo) sit *patiens* (& consequenter *humilis*) *benigna* (& consequenter *misericors*) *veritati congaudens*, *omnia suffere*ns (& consequenter *pœnitens*) *credens*, *sperans*, *sustinens.*

Denique tam *Pœnitentiam* & *Humilitatem*, quam *Fidem* & *Spem*, sibi comites habet indiuiduos.

LIBER SECVNDVS.

I N

QVO, ORATIONIS,
SEV DEPRECATIONIS
MYSTERIVM
enucleatur.

C A P. I.

*De summo Orationis mysterio: & de ipsius Radice, seu agente primo.***R**

Erum vniuersalium conditor Hominem præter & super omnia mortalia, tanta dignitate & excellentia in Creationis suæ momento exaltauit & ditauit; vt ipsum ad imaginem & similitudinem suam creasse, testentur Scripta sacra. Nam præterquam quod ei cum ceteris animalibus Vitæ spiritum infuderit, Mentem etiam diuinam ipsi inspirauit, quo super animalia cætera, intelligens, atq; rationalis est factus. Hinc ergo dixit Iob: *In homine est spiritus, sed inspiratio Omnipotentis intelligere facit eum*: hoc est, tametsi Anima mundi ipsum adaptauerit, quo viueret, tamen ipsi vitæ etiam Angelicæ portionem indidit, quo sapienter & more filij Dei inter mortales, hoc est, in timore sui Conditoris, & amore & gestu morali erga fratres suos hic in terra se gereret, vid. penetrando per radium siue mentale ad sedē Dei (quæ est in summis cælis, quatenus ipse, ratione suæ mentis quæ est de essentia diuina, à fonte diuino distingui aut diuidi nequit) Mysteria Cæli intelligendo, omnia hic in terra modice perquirendo & tropologice obseruando, vitamq; cum fratribus suis more Oeconomico & Politico, ducendo, & denique tam cælestia quam terrena virtute suæ mentis Dei-formis intelligendo. Quare haud inconsiderata erat illa Prophetæ Regij vox dicentis; *Deum fecisse hominem Angelis paulo minorem, utpote quæ gloria & decore formauit, eumq; Dominum, ob istam causam fecit, in opera manuum suarum omniaq; posuit sub pedibus ipsius*: vid. *greges & armenta quotquot sunt, & bestias agrestes, aues cælorum, & pisces maris, &c.* Imo vero tam excelsa est illa Dignitas, quam à Mente diuinitus infusa accepit, vt etiam hoc Cælicolas excellere videatur. quoniam non modo est Regni Cælorum particeps & hæres; verum etiam vt in diuinam imaginem fuerit transformatus, ei promittitur. Quocirca, haud iniuria prorumpit Hermes in hunc sermonem: *Anima omnis habet ipsum bonum à Mente; Anima enim Mentis presentia destituta nec agere quicquam, nec dicere potis est, ob quam causam Homo est animal diuinum, nec est cum terrenis Brutis, sed cum Diis cælestibus comparandus. Aut ergo ipse est Cælicolis præstantior, aut saltem pari cum illis sorte potitur. Etenim quicumque cælitum descendit ad terram, Cæli limitem deserit: Homo autem ascendit in Cælum, illudque metitur, nec eum fugiunt quæ ima sunt: quæque sublimia ac reliqua omnia diligenter inquirit, quod quæ magis est, terram quidem haud dimittens, in cælum tollitur. Tam ampla est Natura humana potestas. Quamobrem, audendum est dicere, Hominem quidem terrenum,*

Psal. 85.

Pisan. 10.

renum, D E V M esse mortalem: Deum vero cœlestem: immortalem Hominem. Haecenus ille. Quibus liquet, quanta sit hominis præ aliis omnibus animalibus potestas, quam eminens eius Virtus, quam à Deiformi illa Sapientia, spiraculo illo Omnipotentis, quod ipsum facit intelligere, seu Mentali illo radio, accepit: mediatione & nexu cuius: homo adligatur ipsi Deo, & communionem cum eo, aditumq; ad eum habet. Nam tam efficax est mentis istius radius (qui quatenus est de essentia diuina, nequaquam est ab illa diuisus, sed ipsi potius eo modo connexus, quo Solis corpori lumen, atque ideo dicta est *Mens ista Deus in hominibus*) tam (inquam) efficax est radiosa huius in homine delitescens Virtus, ut quicunq; hac Dei natura fulti sunt, secundum operum comparisonem, immortales loco mortalium habentur, quatenus hi intelligentia sua cuncta complectuntur; quæ in terra sunt & quæ in mari, & si quid est præterea super cœlum atq; adeo se ipsos erigunt, ut ipsum quoq; Bonum intueantur.

Sed & hoc totum à fonte totius Veritatis elicere tentabimus.

Diuinus ille Iob dixit: *Spiritus Dei fecit me, & Spiraculum Omnipotentis viuificauit me.* Et alibi. *Inspiratio Omnipotentis intelligere fecit hominem, &c.* At vero hæc inspiratio est eadem cum Sapientia diuina: vnde & alibi dicitur: *Sapientiam quis posuit in renibus vel visceribus? aut quis dedit Menti intelligentiam?* Alibi etiam: *Deus fecit hominem Sapientia sua.* At Sapientia est semper apud Deum: utpote quæ est eius consilium & intelligentia (ut testatur Vir patiens.) Et tamen ipsa est ubiq; quatenus (teste Solomone) implet orbem, & cuiuslibet rei huius mundi inest, sed in homine abundantius. Nam eius deliciae sunt præcipue cum filiis hominum: Quare ut hæc natura diuina (teste se ipsa) ab ore altissimi processit, & à Salomone traditur esse vapor virtutis Dei, & emanatio seu fluxus claritatis Omnipotentis Dei syncerus, & candor lucis æternæ, & Speculum sine macula Dei Maiestatis: & Imago Bonitatis illius: Et à D. Ioanne verbum in quo erat vita & illa vita Lux hominum, & à Mose Spiraculum vitæ, & à Iob Intelligentia Dei-formis: Ita quidem ista Diuinitas, quam uis sit ubique tamen à fonte suo lucido seu Patris Essentia minime differt iuxta illud Saluatoris: *Exiui à Patre, & ueni in mundum, & qui me misit, mecum est.* Et alibi. *Ego & Pater, unum sumus.* Et alibi. *Pater in me & ego in Patre.* Et alibi. *Ego in Patre: & Pater in me est.*

Atque hæc est ratio, quod tam ista Essentia à Catholico Diuinitatis fonte emanans, quam ipsa Lux æterna, seu lucis æternæ fons, radix dicitur Deus, quoniam indiuidua & impartibilis est Essentia diuina, *Trinitasq; indiuisa.* At quoniam Spiritus iste Sapientiæ dicitur *Imago Bonitatis Dei*, ut & *Christus, Imago Patris* (quod est idem) ideo propter doni istiusmodi diuini possessionem, dicitur homo ad similitudinem Dei factus: & alibi appellatur, *Imago Dei.* Hinc ergo tanta eius nobilitas, quam sic cecinit Dauid: *Fecit hominem Angelis paulo minorem: gloria & decore coronauit eum: &c.* videlicet, quia posuit Deus ipsam Sapientiam & quasi sui ipsius partem in Centro hominis; à quo tam vitæ quam intelligentiæ radios, vndique per Microcosmum non aliter emittit quam Sol visibilis, qui in corde seu centro Cœli collocatus, peripherice per Macrocosmum eiaculat radios suos: Ita ut priusquam Lux illa tenebroso ignorantia & tenebrarum velo in Adamo & posteris suis propter eius inobedientiam fuisset obfuscata, Microcosmus hic omnia potuit, & omnia intellexit, & quasi ipse Deus erat, utpote ad imaginem ipsius efformatus: Post Adæ vero lapsum, ita tenebris inuoluta est hæc Lux, ita incognita eius Virtus Omnipotens, ut quidem à Mundanis ideo creditur non existere, vel saltem ipsis minime adesse, quia ab ipsis haud percipitur. Secundum illud Euangelistæ: *In ipso Vita erat: & vita erat Lux hominum: & Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* At vero hæc erat Lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: à qua etiam Mundus erat factus & homines mundi ipsam non cognouerunt, &c.

Sap. 9. Quibus patet, quod, corpus corruptioni obnoxium, & tenebris undiq; oblitum, aggrauat animam, & deprimit ita sensum, vt hoc donum in Cælo Microcosmico prædominans non comprehendat: & tamen incorruptibilis hic Spiritus, semper more suo æterno agit, omnia intelligit, omnia comprehendit, tam quæ in cælis quam quæ in terra & mari absconduntur: vtpote cui nihil occultatur, semper enim præsens est cum Patre, & tamen non abest ab homine: tametsi eius actiones mysticæ ab omni homine tenebris & peccatis obruto abscondantur: atq; ita nihil ipsi prodest. At iustum & à peccato liberum instruit in viis suis: ita vt nihil ipsi defuerit iuxta hoc Sapientis, *Sapientia correctæ sunt semitæ eorum, quæ in terris sunt: & vt quæ tibi placent, &c.* Nam per Sapientiam sunt sanati. Et Salomon factus est se mediante Sapientia cognitionem habuisse rerum omnium, tam occultorum quam manifestorum: Imo vero virtute illius, quæ in cælo sunt & (quod maius est) consilia ipsius Creatoris intelligere possumus. Quibus fat liquido indicatur, quod Hermetis sententia prædicta, à diuinis Oraculis minime dissentire videtur.

Sap. 1. 9.

Sap. 7.

Sap. 9.

At vero, quoniam virtus ista diuina, nobis à Creatione insita & quasi insculpta, peccatoribus & tenebrarum filiis sit auersissima: ideo minime ad ipsorum salutem agere, sed potius in seipsam quasi contracta quiescere videtur. Et ratio est: quoniam in peccatore rebeli; Spiritus ipsius tenebris immerfus, peccato & erroribus seducitur, & consequenter, Tenebras magis quam Lucem diligens, destructioni & ruinæ est proximus.

Ioh. 3. 9.

De istiusmodi Spiritibus humanis intelligendus Apostolus dicens, *Lux venit in mundum & dilexerunt homines Tenebras magis quam Lucem: erant enim eorum opera mala.* Si ergo Spiritus carni & tenebris adhæret: rebellem naturam suam deponendo & seipsum recolligendo, & duritiem cordis sui pœnitentia & humilitate emolliendo, & peccatum & iniquitatem agnoscendo à peccato, & tenebris se conuertat, & ad Lucis in eo diuinæ solatium, refugium suum habeat; paratam subito inueniet Lucem istam benignam, suauem, & amabilem ipsum beneuole illustrare: viamq; & aditum ei, per nubes, per stellas, & densos Angelorum Choros penetrando, ad Patrem suum faciet: quo Spiritus iste humiliatus & pœnitens, Patris sui faciem cum gaudio respiciat, & cum filio prodigo clamet: *Pater, peccavi in cælum & terram & coram te, &c.*

Luc. 15. 7.

Imo vero ipse Spiritus sanctus apud Patrem pro ipso intercedet, vt tandem concessa gratia, regeneretur; & à morte peccati de nouo resuscitetur. *Gaudium enim maius erit in Cælis de vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta iustos, qui pœnitentia non indigent.* Gaudium (inquit Christus) erit coram Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente.

Psal. 38.

In huiusmodi Spiritus resipiscentis agone erat Rex David, quando pœnitentia ductus, in hæc verba erupit. *Peccatum pacem in ossibus rumpit, & propter detestationem tuam, integritas non est in carne mea: iniquitates meæ transcendunt caput meum vt onus graue: grauioribus sunt, quam perferre queam: putruerunt & contabuerunt liuores mei: propter stultitiam meam distorqueor, &c.* O præclarum Spiritus humilis & pœnitentis indicium! O pœnitentia minime pœnitenda! Hinc

Psal. 50.

plura istiusmodi diuinitus effudit: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinē miserationum tuarum, dele iniquitatē meam: Laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, &c. Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innoua in visceribus meis: Ne proicias me à facie tua & Spiritum tuum sanctum ne auferas à me. Redde mihi letitiam Salutaris tui, & Spiritu principali confirma me, &c.* In qua Petitione, in primis eius Pœnitentia: tū postea eius humilitas & peccati recognitio: spes item eius & confidentia clarissime elucescunt. Deinde, vt Spiritum eius erroneum renouaret & rectificaret, suppliciter orat: Deniq; pro Spiritus sancti (quem iure Spiritum principalem vocat) confirmatione & incremento orat: tandemq;

Oratio-

Orationis suę effectum optatum exprimit vid. vt *letitiam Salutaris sui*, ipsi concedat: ac si dixisset: *Implue in me Lucem & Gratiam tuam.* Quibus dilucide explicatur, quod Spiritus ille excitans Dauidem ad pœnitentiã erat ille principalis, seu Lux illa sancta, cuius actione Porta cœlorum est aperta: & *visio* ^{Psal. 36, 10:} *Æternitatis Spiritui erranti manifesta redditur.* Hinc ergo & alibi cecinit ^{Sap. 7.} Propheta iste. *In lumine tuo videbimus lumen.* Et Sapiens ait, *Spiritus hic amicos Dei & Prophetas constituit: neminem enim diligit Deus nisi eum, qui cum sapientia habitat.* Et Christus ait: *Nemo venit ad Patrem, nisi mediatione Filij. Est enim ipse Mediator inter homines & Deum.*

Quibus ita se habentibus, *Orationis mysterium* satis perspicue habemus reuelatum: vid. quod sit *Virtus Spiritus seu mentis diuinę cui libet homini insit, quę causam Spiritus peccantis coram facie patris sui agere solet: & quod ab officio isto cessat quamdiu Spiritus humanus tenebris adhæreat: & quamdiu tenebris est obrutus, filius tenebrarum dicitur & non lucis, qui nihilominus relictis tenebris, & indutis pœnitentia, humilitate & spe; iterum in lucis filium mediante Spiritu lucido est transformatus & ipsius mediatione, à peccato suo penitus emundatus atq; expurgatus, & denique ad salutem æternam exaltatus: iuxta illud Apostoli: *Vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in filio eius est:* hoc est: ^{1. Ioh. 5.} in æterna sapientia quam in creatione dedit homini, vt eum dirigeret in negotiis suis, quę pro voluntate Patris seu fontis lucidi in claritate exuberat, vel obscurior seu occultior redditur. Vnde Dauid: *Si tu illustras lucernam meam* (hoc est vitę & esse radium tenebris corporis obscuratum.) *Splendentes efficies tenebras meas.**

Sed quoniam de gloriosis Sapientię æternę donis, quę ipsa dare solet pœnitentibus in *libro sequenti* vberius disceptabimus: ad successiuam mysterij Orationis explicationem properabimus.

C A P V T I I.

In quo Oratio iuxta Scripturarum intentionem definitur, ac tum postea, in vltiorem Mysterij ipsius explicationem descenditur.

Orationis Virtus nihil aliud videtur esse, quam actus mentis lucidę Spiritum pœnitentem agitantis, ex internis animę humanę latebris exiliens, & ad ipsam sedem & thronum Omnipotentis penetrans & quasi pulsans, vt ad faciem creatoris fiat pœnitenti aditus: qua gratia elucescente reficiatur in suis angustiis. Hinc dicit Sapiens: *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec* ^{Eccles. 35.} *propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat.* Vbi per Orationem intelligit animę diuinę seu mentis radij effusionem siue emissionem ^{Piman. 4.} cuius est (teste Hermete) *cuncta amplecti, quę in terra sunt & quę in mari, & si quid est præterea supra Cœlos: atq; adeo seipsam erigit, vt ipsum quoq; Bonum & fontem lucidum intueatur, &c.* Nec mirum, cum à fonte suo lucido minime possit diuidi. Per humiliantem se, intelligit Spiritum pœnitentia ductum: per nubium penetrationem, arguit Spiritus istius agentis subtilitatem, de quo Sapiens. ^{Sap. 7.} *Spiritus sapientię est subtilis: omnibus rebus mobilior, qui attingit vbiq; propter suam munditiem, &c.*

Quare, quatenus ista Mens, seu vitę Spiraculum Spiritum humanum inhabitat, & vnione vtriusq; ad inuicem conflatur anima: eatenus Orationem haud inepte possumus definire: *Animę orantis effusionem in conspectu Dei: quę donec eum appropinquet, non consolabitur: & non discedet donec altissimus in sua benignitate respiciat, & petitionem eius exaudiat.*

Huius

1. Reg. I. 14.

Psal. 142.
Psal. 141.Apo. 5.
Rom. 12.
Luc. II.

Huius autem Descriptionis portio prima confirmatur per responsum Annæ ad Heli Sacerdotem, dicentem ipsam fuisse ebriam: *non bibi (inquit) sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Et Dauid ait. *Orationem meam effundo in conspectu eius, tribulationem meam ante ipsum pronuncio, &c.* Vbi non modo ostendit causam per quam: sed etiam subiectum propter quod. Et alibi ait: *Oratio mea dirigatur sicut incensum in conspectu tuo.* Et Euangelista: *Orationes Sanctorum sunt odoramenta in phialis.*

Per clausulam secundam arguitur, quod *Orator* debet esse *instans in Oratione sua*: iuxta Apostoli sensum. Vnde Euangelista: *Orans perseveranter, propter importunitatem pulsandi, exaudietur.* Deniq; in prælibata Orationis seu Deprecationis definitione inuenimus, quod Spiritus appetens sit, quasi causa materialis animæ seu Spiritus formalis eiusdem effundendi ratio: Mens vero diuina Spiritum agitans & vehens, ipsiq; transitum, per terram per aquas per nubes, & aëra sua subtilitate aperiens, eiusq; spirationem more incensi, ad metam optatam, seu conspectum creatoris beatum introducens, causa est efficiens: ac tandem illa finalis in Petitionis concessione cernitur.

His ergo serio, licet sero consideratis, percipiemus quidem, quod Orationis Virtus; iuxta hominum vulgarium opinionem non trahit Diuinitatem & Gratiâ ad nos: quoniam Diuinitas est in se fixa & immobilis: sed è regione, per preces nos (confidentia secura nitentes) Spiritum nostrum trahimus & eleuamus ad Deum.

Reuchlin. lib.
3 de art. Cab.

Nam nec Deus quidem, nec Angeli (more mortalium) syllabis aut dictionibus commouentur: sed ideo utimur oratione vocali ex dictionibus composita, ut vires nostras in ardorem illorum incitemus: & fiduciam in eos quasi Anchoram sacram figamus: quemadmodum appellendo nauem ad portum, natuæ solent recte eiecta vel fune prolato, terram attrahere quamuis immobilem, ut conatu tali ad terram optatam se ipsos trahant. Simili quidè ratione, per signa sensibilia, videmur inuisibilem mentis diuinæ virtutem ad nos alligere: cum tamen reuera Spiritus nostros mobiles ad Diuinitatem immobilem attrahamus.

Atq; hoc est fundamentum Mysticū, quo non modo omnis genuina petitio, verum etiam vniuersa Sacramenta, ac Ceremoniarum ritus radicaliter perficiuntur. Hinc ergo in petitionibus & gratiarum actionibus, & Sacramentis, atq; cæteris ritibus signis, characteribus, voce, hinc hymnis & canticis, hinc tympano & choro: hinc fistulis, cymbalis, lyra, & Organo, aliisq; id genus Musicis utimur: non ut Deum quasi Fœminam emolliamus: nec ut Harmoniæ nostræ suauitate, aut precum, atq; exorationum blandimentis & adulationibus Angeli capiantur; sed ut Deum & diuina exaltando, nostræ cōditionis exiguitatem agnoscamus, subiectionem & obedientiam humillime profiteamur, & omnem voluptatem humanam in diuinam transmitemus, amorem intensum & ardentem erga Diuinitatem concipiamus, qui efficit, ut omnium gratiarum fimus capaces. Ob istam igitur causam palmas in cœlum tendimus, brachia expandimus, genibus flexis oramus. Hinc etiam iussi sunt Abraham & Israelitæ Vaccam triennem, capram trimam, turturem, columbam, per medium diuidere; arietem in vepribus hærentem cornibus, gladio occidere; igne q; cremare: Thau super postes ædium, sanguine notare, serpentem æneum aspicere: Seraphim, Cherubim, aliasq; imagines figurare: verba composita loqui atq; vouere, sanctuarium struere; templa magnifica ædificare; Pontificem Aaronem tam vario & admirando indutum ornatu, respicere cum stupore: vid. ut hæc & alia similia propter nos ipsos fierent, ut per ea moueamur, & incitemur: à prauis cogitationibus auertamur, & à visibilibus, ad inuisibilia conuertamur: quo fides nostra augeatur, spes confirmetur, & vera inter nos Charitas Deo gratissima foueatur.

Hæc

Hæc est Doctorum Hebræorum, atque Ægyptiorum in Mysterijs spiritalibus versatissimorum Doctrina, vti à Ioanne Reuchlino disertis verbis affirmatur: à quo accepimus quod Rabbi Moses Ægyptiacus tradiderit *intentionem Ceremoniarum istiusmodi esse propter frequentem Dei memoriam, & timorem eius, & amorem, mandatorumque diuinorum obseruantiam, & vt majori efficacia credatur in Deum altissimum.* Et rationem huiusmodi haud inepte subiungit, nimirum quia nos graui corporis mole oppressi, rebus egemus sensus conuenientibus, queis spiritus noster somnolentus ad Dei venerationem veraciter & viuaciter excitetur: Non aliter quam Elephantaus segnitie torpescens, igne ostenso, audacior resurgit: Eodem plane modo, Virtus seu vigor animi nostri quasi dormientis, istiusmodi externis incitabilis siue vocum siue figurarum indigens spirituali operi robustius instat, & contemplatio nostra tanto acrius in sublime prouehitur, q̄ anto magis attoniti antea obstupueramus.

Concludimus igitur, quod Orationis vocalis Virtus, atque etiam Musicæ sonus, cum cæteris Ecclesiæ ceremonijs, ad impetrandam à Deo gratiam, per se, parum aut plane nihil valeant, sed ipse spiritus internus, qui iisdem syllabis & dictionibus, atque etiam sonis & ceremonijs acrius incitatur ad Deum inquirendum, cui illa omnia cum maxima reuerentia & deuotione dedicantur, tametsi Deus has omnes Ceremonias, vtpote meras hominum inuentiones, minime curet: At spiritum solummodo humilem, fidelem, & confidentem, cui incensum & sacrificium ipsi gratissimum respicit, & petitionem ipsius mentalem, & non verbosam recipere est paratissimus.

C A P. III.

Ad fidelem oratorem quot requirantur: Et quomodo in precando se gerere debeat.

CVM quis ad orandi mysterium se accingit, necesse habet ad illud non rudi more, & (vt dicunt) sicut asinus ad canam, hoc est, sine præparatione accedat: sed sit ipse tam interius, quam exterius ornamentis & habitibus tale munus decentibus optime dispositus: attendens istud Sapientis documentum: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Eccl. 18.

Ad internam autem præparationem quod attinet, in primis (vt antea est declaratum) ei conuenit *Pœnitentia*, si sit eius petitio vel pro peccatorum remissione, vel pro re quapiam alia peccatori necessaria. Hinc volunt literę sanctæ, *Pœnitentiam orationi semper esse præuiam, & cum conuersione à peccatis comitatam.* 1. Chron. 7. 3. Reg. 8. 35.

Deinde, *Humilitas* admodum est in deprecante necessaria: Nam (vt inquit Siracides) *Humiliantis se oratio penetrabit nubes.* Et Dauid ait: *In oratione humilium respexit Dominus.* Quare in oratione sua ipse humilitatem suam hisce verbis profitetur *Ego egenus & pauper sum, adiuua me.* Et alibi indicatur, quod *Oratio debet aspergi humiliatione animi & conscientie:* Tum postea, *confidentia & spe* armari debet, vtpote sine quibus nihil momenti præstare queat. Vnde dicit Propheta regius: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Et Deus ipse per os Prophetæ: *Qui sperauit in me, liberabo eum, & protegam eum.* Et alibi: *Sperate in Deo, omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra: &c.* Quo arguit, quod anima sit coram conspectu Dei effundenda cum spe & confidentia. *Spem* (ait Apostolus) *vt Anchoram habemus animæ, tutam ac firmam incedendi vsque ad interiora velaminis.* Et rationem reddit Salomon: *Quoniam sperans in Domino, salvabitur.* Eccl. 35. Psal. 102. 17. Gen. 32. Psal. 70. 1. Psal. 81. 14. Psal. 62. 8. Heb. 6. Prov. 28.

Y

Porro

Psal. 69. 5.

Porro debet orantis spiritus gaudio quodam & letitia propter confidentiam suam in Deo affici, & perfundi. Vnde ait Dauid: *Exultent & latentur in te omnes qui querunt te; dicantque semper in corde; Magnificetur Dominus.*

Marc. II.
1. Tim. 2.

Nec quidem à fideli oratore abesse queat *Charitas*: utpote cuius est remittere, si quid habeat contra fratrem, ut Pater noster cælestis dimittit nobis peccata nostra, iuxta Christi documenta. *Ira* (inquit Apostolus) & *disceptione omni seposita, orandum puris manibus.*

Rom. 12.
Luc. 11.
Ecc. 7.
Coloss. 4.

Instans etiam & *perseuerans* esse debet in oratione sua, ut hortantur Apostolus & Euangelista. *Orate inquit perseueranter*: Nam orationis finis melior est quam principium. Et Christus: *orationi instate, vigilantes in ea.* Et sic in cæteris.

1. Esd. 9. 5.

Quin & externa quædam notatu digna obseruauerunt tam antiqui, quam moderni oratores: Nam alii inter orandum, pallium & tunicam ob vehementem animi afflictionem scindere solebant. Hinc ait *Esdra*. *Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio & tunica, curavi genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum, & dixi: &c.* Alij Deprecationibus suis præponunt Eleemosynas: vnde scribitur: *Orationes & Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.*

Añ. 10.
Matth. 26.
Deut. 9.

Alij proni, ad declarandam suam humilitatem, cadunt in faciem. Sic *Christus* orans dictus est procidisse in faciem suam: Sic orat *Moses* coram Domino iacens, & suppliciter deprecans.

Dan. 9
Tob. 12.
Judith. 4.

Alij, ieiunia preponunt precibus, & ad pænitentiam suam arguendam, sacco & cinere ornantur. Sic dictus est *Daniel* ieiuniis, sacco & cinere, orasse Deum. Et *Tobias* agnoscit, quod *Oratio cum ieiunio sit bona.* Et alibi narratur, quod oratio *Israelitarum* in suis tribulationibus fuit continua cum ieiunio. Similiter *Niniuite*, ad euitandam destructionem quam minatus est *Jonas*, in sacco & cineribus dicti sunt orauisse.

Psal. 18. 2.
Luc. 22. 40.

Porro, genibus flexis & manibus expansis & palmis ad Cælum leuatis orare consueuerunt iusti. Nam (inquit Dauid) *orantes ad se, & manus attollentes ad Templum sanctum exaudit Dominus.* Et *Christus* ipse separatus ab alijs, & positus genibus orauit, dicens &c. & *Esdra* dixit loco predicto: *Curuaui genua mea & expandi manus meas ad Dominum: &c.* Præterea, separauit se *Christus* quandoque ab omni societate cum orare voluit: *Alij* vero in congregatione orare gestiunt.

Tob. 12.
1. Reg. 1. 10.
Judith.

Quidam, præ extrema cordis afflictione, in orando flere atque lacrymare sunt obseruati. *Orabas* (inquit Angelus) *cum lacrymis & prandium relinquebas: Ego vero orationem tuam obtuli Domino.* Et alibi habetur, quod *Anna* amaro animo ad Deum orauerit, flens largiter. Oratio etiam vehemens cum fletu & peccatorum confessione in *Judith* lucide demonstratur.

1. Cor. 12.

Denique, ab omnibus obseruatur, quod in orando debita vrantur reuerentia. Quare caput inprimis est nudandum. Nam (ut inquit Apostolus) *Orans vir vel prophetans cooperto capite, deturpat caput suum.*

His ergo diligenter à fideli quopiam Christiano obseruatis, ad sanctum illud orandi officium optime erit paratus atque instructus.

CAPVT IV.

Quibus magis conuenit orandi officium, Et quodnam sit licitum
Orationis subiectum.

VT Deus preces iustorum exaudit, & orationes eorum suscipit: ita quidem Psal. 6. 107.
Psal. 22. 28.
Leuit. 26. non spernit ipse nec abominatur afflictionem afflicti: nec abscondit faciem ab eo: sed cum vociferatur ad ipsum, exaudit. Nam orantibus peccatoribus Deus seot gratificari: idque præcipue, si sit ex corde & cum pænitentia deprecatio.

At vero impiorum orationes pænitentia & humilitate vacuas excludit Deus, easque facit vanas & inualidas. Orationem (inquit Dominus) cum Isa. 1.
Prou. 15. 8. multiplicaueritis, non exaudiam, quia manus vestrae sanguine plene sunt. Sic quidem sacrificia Caini (vtpote iniquitatis radicis) à Domino erant reiecta: cum viceversa, illa Abelis iusti accepta erant. Nam vt impiorum victimæ sunt abominabiles Deo, ita iustorum vota sunt placabilia.

Quare iustorum preces sunt proculdubio magis efficaces, & in conspectum Dei citius penetrant, quam illæ peccatorum seu iniustorum. Quoniam orationibus fidelium adest Dominus Deus: & preces piorum exaudiet Deus, cum Psal. 129
Esther 4. facilitate de Templo suo sancto.

Quod quidem sic approbat Dauid: *Iam agnosco Iehouam seruare unctum suum, audire eum è calis sanctitatis suæ: &c.* Atque hæc erat causa, quod Ester peteret orationes piorum, vt à Domino dirigantur eius opera, & verba coram Rege: Cæterum, ex hominibus piis & iustis in genere, alij ex officio functione & conditionis suæ sanctitate, magis ad orandum pro se & pro aliis sunt idonei, & in deprecationibus suis efficaces: vid. *Sacerdotes, Propheta Apostoli, & huiusmodi alii viri sancti.* Hinc dictum est, *Oravit Moses pro populo 40. diebus & noctibus, ne deleret eos. &c.* Non enim oravit populus pro se, quippe impius, sed *Moses* iustus, *Propheta* maximus, cuius preces facillime Deus exaudiuit. Nam orationibus fidelium solet Dominus Deus adesse. Et alibi (post *Mosis* tempus) legimus: Quod orationes pro Israelitis fiebant à sacerdotibus de familia *Aaronis*. Deut. 9.
Deut. 4.
1. Chron. 6.

Similiter pro Templo, per Dei præsentiam consecrando, Deum oravit *Salomon*, & non populus. Non populus, aut ex populo quispiam, sed ille cui Deus sapientiam suam abundanter concesserat, cuius solius ope, amicitiam cum Deo contrahimus.

Legimus item, quam efficax & elegans esset *Oratio Iosaphat*, mediante qua pugnabat Dominus contra inimicos Israel. Sic etiam reliquæ domus Iudæ, non Deum pro seipsis orauerunt, sed postulant *Ieremiam* vt oraret ad Dominum. Et Deus ait ad eum: *Orare noli tu pro populo hoc Ieremia, non obsistis mihi, quia non exaudiam te: &c.* Inde denotans quod preces iusti in causa mala non sint exaudiendæ: multo minus clamor populi. Sic licet *Abraham* oravit pro *Sodomitis*, tamen preces eius non sunt acceptæ à Domino: Similiter orarunt *Sacerdotes* contra *Nicanorem* blasphemum atque etiam ipse *Iuda*. Denique *Christus* oravit pro suis. Et *Apostoli* dicuntur vnanimitè orasse Dominum, post reditum *Petri* & *Ioannis*. Et orantibus *Apostolis*, motus est locus *ubi congregati sunt & repleti sunt Spiritu sancto*: Porro orauerunt *Apostoli* pro *Samaritis* vt acciperent Spiritum sanctum. Et *Paulus*: *Oramus Deum, vt nihil mali faciatis. Et, Vt non intremus in tentationem.* 2. Chron. 29.
Ierem. 41.
Ierem. 7.
1. Mac. 7.
Act. 4.
Act. 4. & 5.
1. Cor. 13.
Marc. 14.

Nec tamen excludendus aut iustus quispiam, aut peccator pænitens ab orationis munere: Quare de pio quolibet hæc particulariter legimus. *Orationes piorum exaudiet Deus de Templo suo.* Et alibi: *Orationes piorum exaudiet*

Levit. 26.
2. Chron. 7.
Ecc. 35.

diet Deus in celo. Et Christus docuit quemlibet orare Deum. Quin & de peccatoribus pœnitentibus dicitur: Quod, Orantibus ipsis Deus gratificetur. Et alibi: Orationi pœnitentium aures Dei aperiuntur. Et alibi: Oratio humiliantis se penetrabit nubes, &c.

3. Reg. 5. 41.

Sap. 7.
Judith. 5.

At vero, Sacerdotibus, Prophetis, Apostolis & Sanctis magis conuenit pro multitudine orare: & in re generali versari: Et quilibet pro peculiari suo negotio, aut pro amico orare potest, modo ad hoc sit bene dispositus, nam sine præparatione debita, nihil efficiet. At vera alienigenæ petitio, qui non est de populo Israel, exaudietur. Atque hoc imprimis est considerandum, quod quo magis Sapia, siue spiritus diuini afflatu sit exuberans; eo quidem efficaciores erunt eius deprecationes: Quoniam teste Salomone, nemo diligit Deum, nisi ipsum cum quo inhabitat Sapia. Hinc ait populus ad Iudith: Ora pro nobis Iudith, quoniam mulier sancta es, & timens Deum.

1. Reg. 1.

Videamus iam pro quibus rebus orare liceat.

Necesse est, vt res petita, sit licita & sancta seu bona: alioquin, Deus aures suas, ne iusto quidem & fideli præbere vult. Ipsius enim Ieremiæ orationes exaudire negauit Iehoua, si pro populo iniquo effundantur. Vnde etiam euenit, quod orante Abrahamo pro Sodomitis, petitioni eius aditus est denegatus.

3. Reg. 5. 31-33.
35-37.

Subiectum quidem orationis præcipuum à Solomone in Templi consecratione innuebatur: vt scilicet, sacerdotem pro alijs, atque etiam quemlibet hominem peculiarem exaudiret inibi orantem: vid. Pro peccato hominis erga proximum: pro auxilio populi fugientis ab inimicis: in defectu pluuiæ cum cælum clauditur: In fame, peste, seu aere corrupto: & morbis quibuscunque: pro bono successu in bello: &c. Sic Moses orat pro populo murmurante, pro victoria erga hostes: pro salute populi peccantis. Sic, orante eo, extinctus est ignis; curata est Maria leprosa. Orantibus Mose & Aarone aqua è Petra effluxit. Iosaphat omni spe alia destitutus pro auxilio erga hostes. Ieremias pro salute & reliquijs Iudæ. Daniel pro salute sua in spelunca Leonum. Orauerunt inquit Esdras multi pro multis, Abraham pro Sodomitis: Moses pro rebellibus: Achaz, Samuel, David. Salomon pro Israelis salute, Elias pro pluuiæ. Ezechias contra Sennacherib: Seniores pro successu Ester Tobias & Sara pro salute sua. Sacerdotes & Iuda contra blasphemum Nicanorem. Judith pro populo: Iesus pro impijs Iudæis. Apostoli cum gratiarum actione pro reditu Petri & Ioannis: Pro aduentu Spiritus Sancti: pro salute: Orationibus (ait Paulus) adiuetis me ad Deum. Similiter, orat pro suis, vt nil mali facerent.

Exo. 17. 32.

Num. 11.
Num. 20.
Ierem. 42.

Daniel.
4. Esd. 7.
Ester. 4.
Tob. 3.

1. Macc. 7.
Judith. 5.
Luc. 23. 1.
Act. 4. & 5.
Rom. 15.

2. Cor. 13

Denique omnis Petitio facta est vel pro salute vel destructione (hoc est pro benedictione aut maledictione) vel pro gratiarum actione.

CAPUT V.

Oratio quotuplex sit. De loco & tempore, in quo orare conuenit. An in congregatione, an priuatim, magis efficaciter oremus, De debita orantis ad mundi cardines dispositione.

ORatio, sacrorum Bibliorum testimonio, in *Petitionem & gratiarum actionem* distinguitur.

Petitio, est anima, vel pro rei cuiuslibet, seu priuata, seu publica commo & salute: vel maledictione & incommodo: coram conspectu Dei effusio. Verbi gratia Orauit Elias vt non plueret super terram, & non pluebat per annos tres: & menses sex. Et iterum orauit ipse, & Cælum effudit pluuiam, & Terra dedit fructum suum.

Quandoque tam benedictio quam maledictio, est eiusdem deprecationis subiectum, cuiusmodi erat oratio Ezechiaë Isaiaë & Amos contra Senachetib: in qua benedixerunt populo suo: at vero hostibus suis maledixerunt: Sic etiam oratio Iosaphat erat maledictoria Moabitis & Ammonitis. Sic enim loquitur: *Ecce filij Ammon & Moab qui nituntur eijcere nos de possessione quam dedisti nobis Deus noster, & non iudicabis eos? hoc est, Nonne maledictionem & iram tuam proiicies in eos? At vero Benedictionem pro populo suo petit in his: Clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies nos, saluosque facies: &c.*

Similiter Sacerdotes in petitione sua Maledictionem erga Nicanorem, in hunc modum, coram Altari effuderunt: *Fac vindictam in homine isto, & exercitu eius, & ne dederis ijs vt permaneant. Et Dauid sic maledicit inimicis: Iudica Domine nocentes me: Expugna impugnantes me: auertantur retrorsum & confundantur cogitantes mihi mala: fiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos: fiant via illorum tenebrae, & Angelus Domini persequens eos: &c.* At in eodem Hymno oratorio sic sibi ipsi benedicit: *Domine quando respicies. Restitue animam meam à malignitate eorum, iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus: Et sic in cæteris.*

Orationis autem species altera quæ est *gratiarum actio* pro beneficio accepto, in multis exprimitur locis: vid. Psal. 143. & 144. &c. Et illa Rague-
lis & Annæ qui dixerunt, *Benedicimus te Domine Deus Israel: fecisti enim misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos. vid. liberauit Tobiam & Saram à Dæmonio: &c.*

De his autem orationum speciebus mentionem facit Apostolus dicens, *Orationes, Obsecrationes, Postulationes, gratiarum actiones sint pro omnibus hominibus.*

Atque huc vsque, secundum subiectum, circa quod versatur oratio: eam fecimus bipartitam.

Iam vero secundum variam illius naturam, idque iuxta sacrarum literarum sensum, ipsam facimus vel *vocalem*, vel *mentalem*.

Vocalem dicimus illam, quæ in syllabis & dictionibus in aerem apertum effunditur: atque huius radix est *Oratio mentis*, quæ in Spiritu non aliter existit creata, priusquam voce profertur, quam Mundus sensibilis & Typicus in illo Archetypico mystice erat signatus, & figuratus, priusquam sensibus erat productus.

Itemque mentalis non aliter est in spiritu humano delineata, quam ipsa mens in spiritu Intellectuali.

Quibus euidentis est, quod vt Intellectus est menti propinquior, quam Spiritus phantasticus, & iterum iste, quam sensituius, qui est extraneus:

traneus: ita quidem *Oratio mentalis* ex natura sua spirituali est illa, quæ se vnit cum natura diuina & consequenter Deo est cognita, quam illa verbalis quæ respectu syllabarum & dictionum ore prolatarum, omnino est à Deo aliena: tametsi ore coram facie Congregationis vocaliter, & in sensu audibili producat, vt per eam religiosæ populi affectiones & cultus externi ad eorum Centrum alliciantur: quo ipsi veraciter Deum reuerentes & timentes, eumque spiritu quærentes, maiori ardore & cupidine ad ipsum appropinquent, (vt *superius* attigimus:) & vt in conspectum Dei admittantur eorum cum illo orantium spiritus.

Similiter, qui solus orat, orationem fundere solet vocalem, vt soni illius efficacia, & dictionum sensu excitetur eius spiritus internus ad maiorem erga Deum venerationem & feruorem: præsertim Laicorum indoctorum, qui quid sit spiritus humanus, homo internus, & quid mentis diuinæ in ipsis actus, prorsus ignorant.

Ob hanc ergo orationem Musica in Ecclesia ordinatur: ornamenta sacerdotalia pretiosa, luces accensæ, varia Crucis manufactura, multiformis Imaginum mirifice fabricatarum inuentio, & quam plurima alia statuuntur: quæ quidem licet per se sint nihil, nihilque agant in rebus diuinis ex sua natura: Tamen, quoniam homines vulgares (quorum est circa sensibilia magis, quam intelligibilia versari) magis exterioribus hisce ducuntur: etiam spiritus interni (ad quorum motus mouentur corpora) per externi istiusmodi obiecta, mirabili zelo erga eum incitantur, in cuius honorem talia primitus inuenta sunt.

Sed vt ad orationis mysterium reuertamur. Quamuis omnis vox à Deo & Angelis audiatur, tamen non eo modo, quo audiunt & intelligunt homines, vel ipsi audiunt & intelligunt. Nam vt vt vocalia sint auribus hominum percepta, tamen non omnia intelligunt homines quæ audiunt, sed ea solummodo, quæ captibus eorum subiiciuntur, & quæ experientia, talia esse didicerunt. Quare vocis eorum cognitio est à posteriori solummodo, & Praxi & experientia longa producta: At vero susurratio illa, quæ in spiritu, virtute mentis est facta, est sonus ille occultus & mysticus, qui Deo & Angelis (vtpote spiritibus) est familiaris, iisque nullatenus occultatus. Ista ergo locutio interna, est illa à priori, quippe quæ ortum & actum suum habet à diuina mente. Atque iste sermo mysticus est fundamentum illius externi & vocalis: Vnde est quod nihil à Deo occultetur, quoniam eius sapientia est fons cuiuslibet sermonis spiritualis & interni: vt iste internus est radix externi. Quare an vox seu linguæ humanæ fructus sit à corde bono vel malo, protinus intelligit Sapientia, & consequenter ea, quæ in intellectu sunt, & minime adhuc prolata intelligit Deus: nam spiritus intentio à Deo abscondi nequit: iuxta illud Sapientis: *Renum hominis testis est Deus & cordis illius scrutator & linguæ illius adiutor: Et spiritus Domini qui continet omnia, scientiam habet vocis.*

Sap. 1.

Deinde, quod vox hominibus non significatiua Deo sit cognita & secundum mentis internæ intentionem, & creaturæ necessitatem intellecta, dictum est quod vox infantis Agaræ à matre relictæ & flentis, à Deo esset exaudita, qui ei vitæ necessaria concessit. Nam tametsi infantis clamantis vox non sit significatiua: Deus tamen intentionem illius intelligit priusquam prolata sit. *Pater vester* (inquit Christus) *intelligit quid vobis opus est, antequam petatur.*

Gen. 21.

Matth. 6.

Luc. 1.64.

His positis, clarissime patet, quod petitio spiritualis illi vocali sit multis gradibus anteponenda: quoniam illa est huius fundamentum. Hinc ait Deipara: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo*

in Deo

in Deo Salvatore meo. Et Apostolus paucis explicans mentalis Orationis excellentiam & energiam, dicit: *si orem lingua, spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est. Orabo ergo spiritu, orabo & mente. Psallam spiritu, psallam & mente: Gratias ago Deo, quod omnium vestrum lingua loquor: Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu seu intellectu meo loqui, ut & alios instruam, quam decem millia verborum in lingua. Lingua igitur sunt signum, non ijs qui credunt, sed infidelibus. Prophetia autem non infidelibus, sed credentibus.*

Quibus innuere videtur, quod verba non iuuant, nisi ut infidelibus reuelationes, aut Prophetias aut doctrinas orantis linguas explicet, quæ gubernatur à spiritu. Orationis vero essentia in mente manet. Quare, ut tam spiritu quo lingua mouetur, quam mente quæ vera est Dei imago, oremus, nos monet Apostolus: quoniam oratio illa est hominibus: hæc Deo & Angelis propior. Dei enim & Angelorum vox est formalis & non vulgaris, qua alloquuntur Prophetas & Electos, spiritu. Illa ergo oratio est optima quæ est mentalis, quoniam siue sit per se, seu cum vocali, semper est efficax, quatenus Deo proxima. Idcirco nisi oratio vocalis sit iuncta cum illa mentis nihil efficit.

Concludimus ergo, quod quisque potest sine vlla verbi prolatione, solo spiritu quam efficaciter orare: Hinc ait Baruch: *Visa itaque turba Babylo-nica de retro, & ab ante adorante, dicite in cordibus vestris: Te oportet Domine adorare.* Atque istiusmodi locutio, non erat vocaliter loquendo, sed occulte secum meditando iuxta illud Daudis: *Lex tua meditatio mea.* Apostolus ergo dicit, *Orate per omnem orationem omni tempore in spiritu.*

Imo vero tam occulta est ista spiritualis orandi formula: ut Paulus fateatur, quod *quid oremus sicut oportet, nesciamus.* Quare agnoscit quod spiritus mentalis adiuuat istam nostræ ignorantie infirmitatem, postulando pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutator cordium, scit quid desideret spiritus. Nam corpus quod est Spiritus sancti in spiritu humano regnantis Tabernaculum, est verum illud Templum Microcosmicum, in quo spiritus quasi internus homo, Diuinitatem solet adorare: cuius quidem Typi sunt Tempora materialia. Quare spiritualis Oratio maxime conuenit Templo humano.

At secundum iam membrum progredimur, in quo, Vtrum Oratio priuata, vel in Congregatione facta sit efficacior, paucis discutiemus.

Quod oratio in congregatione sit rei potius publicæ, quam priuatae & peculiari utilior, in eo declaratur, quoniam ut duo in rebus corporis, vno sunt fortiora: & in arundinibus, exigua earum portio frangitur quam facillime, at combinatio maior, non item (iuxta vulgatum Axioma, vis vnita fortior:) & ut plura lumina magis illuminant quam vnum & alterum.

Ita quidem multi spiritus fortiorem impressionem, & latiore viam coram conspectu Iehouæ efficiunt quam pauciores. Hinc ergo erat quod Apostolus ait fratribus: *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus S. ut adiuuetis me in orationibus vestris, orantes pro me ad Deum, &c.* Non dicit, frater, sed fratres: Et per vniuersum Bibliorum filium percipiemus, quod omnis magni & publici momenti oratio facta est in congregatione: Verbi gratia: *Iosaphat* cum cōgregatione Iudæ, deprecatur & Dominum, stado in medio cætu Iudæ & Ierusalē. Talis erat oratio cōtra hostes & ososores & irrisores. Talis oratio p̄ bono *Esteræ* successu. Talis illa *Sacerdotum*

contra

1. Macca. 7.
Act. 4. & 3.
& 13.

contra blasphemum Nicanorem. Talis illa *Hezechia, Isaia & Amos* contra *Seanacherib*. Talis illa *Apostolorum* qui vnanimiter orabant Dominum post reditum *Petri & Ioannis*. Et *alibi* pro *Samaritis*, vt acciperent Spiritum Sanctum. Et *alibi*: dum ieiunantes imponerent eis manus, dimiserunt *Saulem & Barnabam*. Atque ita in multis aliis.

Marc. 6. &
14.
Leuit. 26.
Matth. 6. 6.

Nec tamen hac de causa auferenda est vis orationis cuiuslibet priuati: cum quidem iustus quisque tanto Sapien-
tiae lumine est exaltatus, vt eius spiritus seu anima Mentis diuinæ acie facillime & celerrime in conspectum Creatoris penetret. Sic fæliciter orauit *Moses* pro successu populi, idque per se & separatus à cætu: nec non & *Abraham, Isaia, Ieremias, Daniel & multi* alij ex Prophetis. Et *Christus* ipse se separans ab aliis, sæpe solus abiit in montem & aliorum, ad orandum. Sic *Publicanum* peccati mole oneratum, & *Annam* sterilitate mulctatam & infinitos alios pro seipsis & per se in templo, idque successu fælicissimo orasse legimus. Neminem ergo orantem, grauissimum licet peccatorem, modo pænitentem, repellere solet Deus. Ipse enim istiusmodi oratoribus maxime gratificari gestit, vt in codice sacro passim reperitur. *Christi* denique iussu. *Tu cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora partem tuam in abscondito: & pater qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Luc. 5. 16. 6.
12.
Exod. 29.
Act. 21. & 16.
& 10.
Matth. 6. 6.

Ad locum autem & tempus quod attinet, quo conuenientius oremus: Sciendum est: quod *Locus* sit vel *publicus* vel *priuatus*. De *publico* vbique fere mentionem facit Scriptura. Hinc enim, *Tabernaculum Dei, Templum Salomonis, omnesque Basilicae, & totius orbis Ecclesie* fabricatae sunt. *Priuatum* quod spectat, eum quidem pro re nata & occasionis necessitate electum inuenimus. Sic *Christus* in monte, & deserto. *Moses* cum egressus erat de vrbe, extendit palmas ad Dominum: nam in vrbe impia orare noluit. *Apostoli* in littore maris orauerunt. Itemque oratio facta est iuxta flumen extra *Philippos* ciuitatem. *Priuata* etiam in domo orant. Et in cubiculo oratur: *Tu autem* (inquit *Christus*) *cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio orato.*

Sap. I.

Denique cum *Catholicus Dei Spiritus* ideo sit dictus, quoniam implet Orbem, & vbique adest: ideo *Templum Sapien-
tiae Catholicum* est ipse *Mundus Vniuersalis*, cuius spiritus non aliter beneuole & maleuole ducitur, quam ille *Microcosmicus*: & consequenter, quatenus Deus omnem locum implet spiritu suo, eatenus *omnis locus* est aptus locumque supplet *Templi* externi, in quo spiritus *Microcosmicus* efficaciter Deum veneratur, adeoque ad ipsius præsentiam pertingere possit.

Iam vero vt ad *Tempus* orationis perueniamus: Est illud quidem vel cum *remissione*, vel *continenter & perseueranter*.

Act. 10.
Daniel.
Psal. 62.
Luc. 6. 12.
Luc. 13.
Matth. 13.
Psal. 119.
164.

Determinatum orationis tempus hæc denotant. *Orans eram in domo mea hora nona &c.* Et *Daniel* fertur *ter in die* orasse. Et *Dauid* ait. *Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.* Et *Christus* erat *pernoctans in Oratione ad Deum*. Et (vt ex *Euangelio* liquet) *Orandum est in necessitate in media nocte cum perseuerantia*. Et *Christus* solus orandi gratia, *vesperi* ascendit in montem. Et *Dauid* *laudes effundebat Deo septies in die*. Quibus patet, quod quælibet hora est orationi idonea.

Luc. 18.
Iud. 4.
Luc. 21.
1. Thef. 5.

Quod autem oratio debet esse cum *perseuerantia*, multis sacrarum literarum testimoniis docemur. *Euangelista* ait: *Orare oportet semper & non deficere*. Sic *Israelitarum* oratio continua fuit ad Dominum in tribulatione sua. Et *Christus* ait. *Orate omni tempore, vt digni habeamini fugere futura mala.* Et *Apostolus* ait: *Orate sine intermissione: &c.* Hisce ergo documentis, & exemplis instrui videmur, vt nihil fere præter *Orationem* cogitemus. Quod si ita se habeat, *Quid ergo* (dicet quispiam) *pro victu est amictu, quid pro negotiis mundanis, aut recreatione corporis eiusve quiete vel somno agendum est. Semperne*

perne orandum? Cur igitur orationes Salomonis, Iosaphat, Ezechia, Moſis; imo & Saluatoris noſtri adeo breues & curtæ? Cur etiam inuehitur Chriſtus in eos qui longas fundunt orationes, & contra Ethnicos, qui orantes multa loquuntur?

Matth. 23. 14.
Matth. 6. 7.

Reſpondeo ergo, quod per *Orationem continuam*, Chriſtus & diſcipuli aliud intelligunt quam vocalem orationem, nempe illam *ſpiritualem* ſeu *mentalem*. Vnde dicit Chriſtus: *Orantes nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt, putant enim vt multiloquio ſuo exaudiantur.* Hoc autem non dixiſſet Saluator, ſi Oratione vocali continenter eſſet vtendum. Intelligit ergo Scriptura ſacra proculdubio in locis antea citatis, *Orationem internam & mentalem ſeu meditationem Spiritualem*: nimirum, vt in omni negotio, edendo, bibendo, ambulando, ſedendo, mentem ad Deum ſemper eleuemus: ipſum in animo noſtro cultu vero & ſyncero adoremus, oculis eum ſpiritualibus cum timore & tremore intucamur, omnes actiones noſtras ad eius gloriam dirigamus: in omni afflictione, auxilium ipſius efficaciter imploremus, manumque ſuam ſalutarem ſpe & fide apprehendamus: ac tandem cum animas tum corpora noſtra in ſacram ſuam tutelam & clientelam perpetuo commendemus. Atque hoc quidem ſenſu, de Deo perſeueranter meditando, vere ſine intermiſſione orare poſſumus. Nam *qui ambulat in via Veritatis, & in Lege diuina, noctu diuque inſiſtit, Deum dicitur intrinſecus orare: & conſequenter pro iuſto eſt habendus.* De quo ſic canit Pſalmiſta: *Iuſtus labitur in Iehoua, & recipit ſe ad eum: & denique gloriabuntur omnes recti animo.* Nam *cuius os meditatatur ſapientiam, & cuius lingua loquitur ius: in cuius animo eſt Lex Dei ſui, nullus grefſus eius labefcet.* Talis ergo qui eſt, ſine intermiſſione Deum ſpiritualiter orat, & reueretur.

Matth. 6. 7.

Pſal. 64. 11.
Pſal. 37. 30.

Denique orantis reſpectu cardinum Cœli, *Poſitio*, non eſt hoc in loco negligenda: quoniam varia eſt hominum variorum de iſta re Opinio.

Quod vero dignior mundi plaga in oriente ſit ſita, contra varias Philoſophorum antiquorum opiniones, eſt ſacræ paginæ teſtimonio, cap. 1. lib. 1. de Myſtica Anatomia, luculenter declarauimus. Sol enim ab illo loco quotidie ſolet viſitare terram, creatura (inquam) illa glorioſo ſplendore coruſcans, vt pote, in quo Sol increatus ſuum traditur poſuiſſe Tabernaculum. Et ob iſtam rationem diuino oraculo inſtructus probaui, quod in nonnullorum Patriarcharum & Prophetarum orationibus & precandi formulis facies precantis orientem verſus eſſet diſpoſita. Et Sapiens ait, *Notare oportet, vt anteuertamus Solem ad gratias agendas tibi, & ad exortum Solis oramus.* Hinc ergo Templorum capita verſus ſolis ortum ſemper ſunt poſita, vt ad illam præcipue plagam in orando tenderemus.

Sap. 16. 28.

At vero Hermes, diuinus ille: Antiſtes, ſub dio, occidente ſole, ad Auſtrum oriente vero ipſo, ad Eurum ſeu Subſolanum in orationibus ſuis faciem ſuam conuertit.

Pim. 13.
Aſclep. 15.

Concludimus ergo, quod in precatione in omni tempore, hæc obſeruanda ſunt diligenter. vid. Quod recreato corpore ſobria noctis quiete (vt facta hac ratione, ciborum digeſtione & corporis natura iam otioſa manente, & ab onere leuata, homo tum poſtea maiori zelo & intentione poſſit orare) mane ſurgere debet. Orator ad petenda Dei dona, ſi prompte eum inuenire cupiat: mane (inquam) hora prima, à creaturis irrationalibus ſtimulatus. *Tunc enim aues laudant Deum, vt teſtatur Ambroſius. Qui mane vigilat ad me, inueniet me:* ait Sapiens. Item alia horæ à prima non ſunt negligendæ, vt tertia, ſexta, nona, quia in illis Deus eſt laudandus. vnde Daniel (vt dictum eſt) *ter in die, ſelectens genua, orabat.*

Prov. 8.
Dan. 6.

Porro, in ieiunio moderatus cibus, & nunquam venter repletus, triuanis ieiuniis præfertur: & multo melius eſt, quotidie modicum, quam ra-

Z

roſa.

Epist. Arist.
ad Alexand.

ro satis seu multum sumere: ita debet esse prouida discretio in actu refectio-
nis, vid. vt sit carnis sub lege spiritus redactio: & ne sit extra viam Dei, de-
uiatio: & ne fiat virium aggrauatio, & operum impedimentum: sed sit ad o-
perandum promptitudo, sic semper comedas, vt semper esurias, & statim
post cibum possis legere psallere & orare. Magna ergo ars & solers industria
necessaria est ad vtendum necessariis in refectioe corporali, de qua gloria-
tur Apostolus: *se scire & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati.* Et Hip-
pocrates ait: *Ego volo comedere vt viuam, non viuere vt comedam.* Alimentum
enim propter durabilitatem quarendum est, non durabilitas propter ele-
mentum. Et alius vir sapiens ait. *Homo per animam cognoscit & intelligit omnes
res arcanas in hominibus, si modo illa non impediatur per corpus:* Nam quanto ma-
gis augetur corporis vis seu virtus per naturale cibi & potus nutrimentum
tanto magis infirmatur & decrescit intellectus spiritus. Hinc ergo erat, quod
quidam alius Sapiens Belienus dictus ait: *Quæris lucem tuam? id est animam
tuam. Quære eam in vitreo vasculo, hoc est in corpore non nimis saginato:* Hæc ergo
est ieiunii inter Sanctos ratio: vt scilicet clariores inde habentes intellectus,
non modo profundius in diuina arcana orando atque animam effunden-
do penetrare queant, veurmetiam comprehendant melius secreta & mirabilia
Dei.

Sed iam, adorandi Methodum progrediamur.

C A P V T VI.

*In quo orandi Methodus explicatur, & quod Oratio vocalis debeat
esse brevis, & non longa.*

Res maximi est momenti & æstimationis vt in orando methodum exa-
ctam iuxta Hebræorum, tam antiquorum quam recentium & modernor-
um ritus & normam obseruemus.

In orationibus vt plurimum, hæc inuenimus membra, vid.

*Primo, est preparatio orantis, indicans eius humiliationem: Domini ma-
gnificentia seu laudum eius exaltatio: Deinde, sequitur eius Potentia, quæ per
exempla ad rem pertinentia explicari solet.*

*Pænitentia quoque cum peccatorum confessione. Promissi diuini
commemoratio: Orationis obiectum motivum, seu ratio cur concederetur. De-
nique votum seu pactum, cum Deo pro beneuolentia tanta.*

Quod autem ad effectum attinet, ille finita oratione est confidenter
expectandus. Nec quidem dicimus hæc omnia membra ad quamlibet de-
precationem esse requirenda: sed in vna plura, in alia pauciora pro necessi-
tate subiecti esse reponenda. Horum autem membrorum vsus per varia oratio-
num virorum Sanctorum Exempla, clarius elucescet.

Ester 14. v. 1.
Humilitas.

*Ester pro salute sua & suorum orans. In loco priori Humiliationem
suam sic declarat. Namque pavens periculum quod imminebat, deposuit
vestes regias: fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis va-
riis, cinere & stercore repleuit caput & corpus suum humiliavit ieiuniis,
19. crinesque laceravit: hocque verbis sic expressit: Deus fortis, exaudi vocem eius
16. qui nullam spem aliam habet. &c. Memento Domine, Rex Deorum & vniverse pote-
statis. Tuscis, quod abominor signum superbia.*

Magnificatio

*Deinde magnificat Dominum hisce verbis: Domine mi, Rex noster es so-
lus, & præter te, nullus est auxiliator alius.*

Potentia.

Potentiam & fortitudinem eius sic exprimit:

5. *Audiui à Patre meo, quod tu Domine tulisses Israel de cunctis gentibus. Tu Do-
19. minus Deus fortis super omnes, &c.* vbi non modo fortitudinem exprimit,
verum

verum etiam exemplum dat. Tum postea priusquam venit ad Orationis sue
subiectum, pœnitentiam istiusmodi sua confessione arguit. *Peccauimus in con-*
specu tuo: coluimus enim Deos aliorum, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum
&c. In quibus verbis etiam iustitiam Dei arguit.

9.
Pœnitentia.
Confessio.
7.

Deinde Deum promissi sui ad Israelitas meminisse pergit sic. *Volunt tua*
mutare promissa, & delere hereditatem tuam &c.

9.
Promissi me-
moratio.

Orationis autem suæ subiectum sic delineare videtur. *Ne tradas Do-*
mine sceptrum tuum ijs qui non sunt: sed conuerte consilium eorum super eos: & eum
qui in nos capit sauire, disperde.

11
Subiectum.

Causam, qua incitatur Deus ad hoc domum, recitat hisce verbis: *Et*
nostri quia oderim gloriam iniquorum. &c.

15.
Causa mouens

Pari etiam ratione, membra orationis *Iudith* pro salute sua & populi,
& pro destructione hostium se habent.

Iudith c. 9.

Humilitas.

Nam eius humilitas & pœnitentia cernitur. v. 1. 2.

Potentia Dei probatur exemplis ad istud subiectum pertinentibus. in
verf. 2. 3.

2. 1. 3.
Pœnitentia.
Potentia.
Subiectum.

Subiectum circa quod versatur, à v. 6. exprimitur.

Deinde, causam explicat, qua moueatur Deus ad exaudiendam suam
petitionem v. 18 19.

Causa mouens

Similiter, in oratione *Iosaphat*. contra inimicos Israel 2. *Chron. c. 6.*

2. *Chron.* 10.

Eius humilitas notatur à 12. v.

Humilitas.

Magnificatio & Laudatio Dei, cum exemplis: à v. 6.

Magnificatio

Promissum Dei ad Israel memorat, à v. 9.

Promissum.

Causam qua inducatur Deus ad aures suas petitioni ipsius præbendas
explicat. v. 10.

Causa inducens.

Denique præcipuum Petitionis subiectum: à v. 12. describitur.

Subiectum.

2. *Esdr.* 1.

Sequitur Oratio *Nehemia*:

In qua, Magnificat Domi um. à verf. 5.

Magnificatio

Vt aureas præbeat orationi. 8. & 11.

Attentio.

Pœnitentiam & humilitatem suam. 6.

Pœnitentia

Promissum Dei commemorat. 9.

& Humil.

Votum facit vel causam cur concedatur arguit: 11.

Promissum.

Subiectum ponit. 15.

Votum.

Causa.

Subiectum.

Oratio *Iacobi* pro præseruatione sua ab ira fratris.

In qua;

Magnificat Deum, v. 9.

Magnificatio

Promissum eius vendicat 9. 10.

Promissio.

Humiliat se, v. 10.

Humiliatio.

Subiectum petitionis exprimit, 11.

Subiectum.

Oratio *Tobia* pro salute.

Tobia 3.

In qua;

Humiliatio arguitur, v. 1. 6.

Humiliatio.

Laudatio seu Magnificatio Dei, 2.

Laudatio.

Pœnitentia & confessio peccati. a. 3.

Pœnitentia.

Subiectum notatur. 6.

Subiectum.

Denique, concludemus cum ipsius *Christi* methodo: utpote, in qua in-
tegrum orandi mysterium situm est.

Domine (inquiunt discipuli) *doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos* *Luc. 11. 2.*
suos. Et Christus ait: Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt. Putant *Matth. 6.*
enim in multiloquio suo exaudiantur: &c. Quibus in orandi methodo, imprimis
denotat Saluator, quod multa verba & sermo tardiosus & longus sit euitan-
dus. Nam *Deus Pater, qui omnia scit occulta; quid opus nobis antequam petamus eum,*

intelligit, vt ipse testatur Christus. Nam quid amplius à Deo requiri potest, quam quod in oratione Dominica quam exactissime comprehenditur. Ac illa quidem ex paucissimis verbis est composita. Frustra igitur fit per plura, quod per pauciora commodius fiat: & vanam censemus esse in orantibus gloriam meramque absurditatem, plura ei effundere verba, cui nihil est absconditum: ipsiusque medulla spiritus perspectissima: cuiusmodi quidem blaterones sunt illi qui hisce temporibus, Puritani se nuncupari gestiunt: & sæculis præteritis scribæ, & alii eiusdem farinae Iectarii: De quibus sic loquitur Christus: *Vae vobis, qui orationes longas orantes, comeditis domos viduarum.* &c. Nam quid (obsecro) amplius dici potest in oratione longa, aut quid corde desiderari, quod paucioribus describi nequit? Non enim est Pater noster adeo stupidus (cuius est intentiones & necessitates nostras scire, priusquam voce & verbis significantur) vt tot verbis pro rei explicatione, indigeat. Imo quidem hæc pauca verba siue mentaliter siue vocaliter expressa, omnia hominis necessaria in se concludunt.

Matth. 23.
14.

O Domine Deus, omnium potentissime, Pater misericordia plenissime, adsis mihi peccatori (obsecro) misericordia & benignitate tua, vt ipse in lumine tuo videns lumen, ambulem in semitis tuis, nunc & in aeternum. Amen.

Vbi in primo loco magnificat orator Deum, tum pro fortitudine, tum pro misericordia sua, ac tandem subiectum Orationis suæ explicat, vid. vt *Deus ei adsit sua benignitate.* In qua clausula, omnia tam ad animæ quam corporis salutem necessaria concluduntur. Denique ratio Deum mouens, est licita & honesta, vid. *vt videndo in lumine Dei, lumen, ambulet omnibus vita sua diebus in via & lege diuina, Deoque fideliter corde & animo inserviat.* Quæ quidem ambulatio perpetua in conspectu Dei est oratio illa continua, in qua iusti versari dicuntur, quam in præcedentibus mentalem & non vocalem esse probauimus. In quo sensu dicit Euangelista: *Oportet semper orare, & non deficere.* Et Apostolus *Orate sine intermissione.* Et iterum, D. Lucas. *Orate omni tempore, vt digni habeamini fugere futura mala.* &c.

Luc. 18.
9. Thes. 5.
Luc. 21.

Hanc etiam orandi formulam mentalem sic optime expressit Psalmodographus. *Beatus vir, cuius in Lege Iehouæ est delectatio, & qui de lege illius meditatatur inter diu & noctu.* Et alibi clarius. *Contremiscite, & nolite peccare. Meditemini in cubilibus vestris cum silentio. Sacrificate sacrificia innocentia, & sperate in Domino.* &c. Quibus verbis intelligit orationem mentalem quæ debet esse continua, hoc est, semper in timore & reuerentia Dei viuere, & in viis eius sincere ambulare conuenit: iuxta illud, alibi ab eo expressum, *Quis habitet in Tabernaculo tuo? Qui innocenter viuit, quod iustum est operatur, & veritatem in corde suo meditatatur.*

Psal. 1. 1. 1.
Psal. 44.

Psal. 15. 12.

Sed vt ad propositum redeamus. In Orationibus nostris vocalibus imitemur præcipue Christum Dominum nostrum dicentem: *Sic vos orabitis, Pater noster qui es in calis: sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in celo, & in terra Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Quia tuum est Regnum, & Potentia, & Gloria, in secula seculorum. Amen.*

In qua quidem precandi formula, aduertantur duo vid. *Quantitas & Qualitas Orationis.* Pro *Quantitate* eius, arguit eam non debere esse longam sed breuem & neruosam sine omni verborum superfluitate. *Qualitas* eius in *Methodo* consistat exacta:

In qua

In quibus obseruentur

Nexus & relatio admirabilis inter orantem &
 Deum qui oratur.
Magnificatio & exaltatio laudis ipsius qui exo-
 ratur.
Humilitas & charitas Orantis.
Subiectum Orationis vniuersale.
Omnipotentia & Dominium illius qui exora-
 tur.

Nexus & relatio inter orantem & ipsum quem exorat, in his verbis ex-
 plicatur: *Pater noster qui es in calis*. Quare consequitur, quod si sit nobis Pa-
 ter qui oratur, & nos sumus filii illius quem oramus. Et quemadmodum Pa-
 ter ad miserationem erga filium suum est pronus: Ita quidem, si pro pecca-
 tis filios castigare solet, illud tamen benignitate paterna & misericordia mo-
 tus facit, sicut Pater ad filium. Hinc ergo quam aptissime incepit Saluator
 noster in oratione sua cum Patre: nomine quidem pietate & clementia ple-
 no. Et vero quod Deus sit reuera Pater noster, carni indicauit Christus: eo
 quod *Lux illa Centralis omnem hominem in hunc mundum venientem illuminans*
per quam & in qua mouemur & sumus, à fonte lucido processit: more filii à patre.
 Qui vnus nihilominus est cum Patre. Quare ad imaginem Dei fabricati di-
 cimus.

*Nexus sui
Relatio.*

Hinc semper orationi suæ præposuit Christus vocabulum *Pater*, vt Pa-
 ter mihi, non potest calix hic transire, &c. Et alibi. *Abba Pater: omnia tibi possibilia*
sunt: Et Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt. &c.

*Matth. 26.
 Marc. 14. 36.
 Luc. 23. 34.*

Pari etiam ratione, cum nos simus Christi fratres, nos monet Christus
 ipse in eadem formula orare, *Pater noster qui es in calis: &c.* Et prodigus ait:
Pater erraui contra Cælum & contra te: non sum dignus vocari filius tuus &c. Hæc
 ergo est ratio insinuationis orantis ad Deum, vt ideo Deus debeat aures suas
 præbere, quoniam est eius filius; & consequenter ipse illius pater, quare vt
 sit ei benignus & misericors, per illud vocabulū Pater maximopere mouetur.

Nam quicumque ignorat Deum esse ipsi Patrem: eius quidem preces
 Deus, vt Pater, audire nolit.

Secundo loco: Patris sui laudes extollit & magnificat Orator in his
 verbis: *Pater noster qui es in calis: Sanctificetur nomen tuum. Adueniat Regnum tu-
 um.* &c. In qua particula insinuat quod eum omni laude & sanctitate in cor-
 de & Spiritu suo afficiat, ipsique omnem dignitatem & gloriam attribuat, &
 Regni sui aduentum vt ipsius præsentia clarificetur, exoptet.

Magnificatio.

Tunc humilitatem suam in his arguit. *Fiat voluntas tua in terra sicut in*
cælo, hoc est: tam in corpore meo terreo, ex luto confecto, quam in spiri-
 tu meo. Sic dixit Christus de se, *Pater, si vis, transfer calicem istum à me: verum*
tamen, non mea voluntas, sed tua fiet: &c. hoc est, humillime subiicio me vo-
 luntati tuæ.

Luc. 22.

Deinde ad generale orationis suæ subiectum progreditur: quod in tri-
 plicem conditionem distinguere videtur. Nam in primis petere videtur
 pro alimentaria corporis & vitæ suæ sustentatione: deinde pro peccatorum
 suorum præteritorum remissione: ac denique pro liberatione ipsius à malo
 & peccato futuro.

Subiectum.

Postea, in ista clausula officium orantis perquam necessarium indicat,
 in eo, quod à Deo Patre misericordie, debitorum oranti remissio non sit ex-
 pectanda, nisi & orantis debita fratribus quibuscumque remittat. Orantis e-
 nim *miseratio* per sympathiam attrahit sibi simile à Patre cœlesti, qui maxime
 est misericors. *Potentiam* denique, & *dominium eius* exprimit in his verbis.
Quia illud est Regnum & Potentia & Gloria in secula, &c.

Potentia.

Z 3

Inde

Inde arguens quod ipsius solummodo est, hominem *beare*, & iterum eum summæ infelicitatis effectibus *maledicere*, & in errorem, & tentationem introducere.

Beare, dico: quippe cuius est solius, remittere peccata, & dare panem nostrum quotidianum, & reficere atque conseruare faciei suæ præsentia & benignitate iuxta istud Dauidis: *Omnes creatura à Deo habent expectationem, ut det ipsis escam suo tempore, Deo ergo dante ipsis, colligunt: aperiente manum suam satiantur bono. &c.*

104.12.

Maledicere etiam, & infælices reddere solet quando vult. Vnde oramus, *Ne nos inducas in tentationem.* Iuxta illud: *Apud illum est robur & potentia, eius est errans & in errorem inducens qui facit ut consulti deueniant in dementiam & iudices stultos reddit.* *Qui facit ut errent tanquam ebrii, palpent in tenebris deficiente luce.* Quare in primis orandus est cælestis Pater (in quo mouemur & sumus) ut ne ducat nos in tentationem, sed ab omni malo liberet, utpote cuius est Regnum, Potentia & Gloria: & consequenter qui operatur omnia in omnibus nunc & æternum.

Cæterum, hic minime omittendum censeo, quod Iudæi quædam Dei nomina in orationibus pro salute, & gratiarum pro beneficiis actione, clementiam & benignitatem à proprietate maxime prona, significantia, usurpant. vid. *Iah*, *El*: sed vario respectu, nam Deum in gratiarum actione vocant *Iah*, ut in multis Psalmis Dauidis videre est. Exempli gratia, *laudate Iah qui sanat fractos animo. Et si iniquitates obseruaueris Iah, Domine, quis sustinebit? El* vero vitur, cum gratiam ab eius Fortitudine acquirere velit. Hic dicit: *Fortissime & Deus spirituum & carnis; num uno peccante, contra omnes ira tua desaviet?* Et Moses orans pro restauratione sanitatis Mariæ leprosæ, sic ait.

El na rapha na la. vid. *El*: Deus gratiæ. *rapha*. i. sana: *Na*: id est, eam.

Quare si velimus rem gratiosam quære, cuiusmodi est Salus & Benignitas Dei, ad salutis tuitionem requisita, Nomen *El* inuocare, à Cabalisticis monemur. Qui etiam propter beneuolos ipsius effectus vocant Nomen *Iah*, *Speculum Clementiæ*: ut vice versa, *Adonai*, *Speculum seueritatis*: ut dicit Porta Lucis.

Si quis vero more imprecatiuo, influxum iudicii ac iustitiæ vellet, inuocet nomen *ELOHIM*. Ipse enim (ut testatur Archangelus) est minister omnium potentiam exercentiū, nam ut nomen *EL*, quod nos *Deum* interpretamur, omnia fouet & succurrit omnibus summa pietate & clementia, quod est illi propria (atque hac de causa, ipsi gratia attribuitur) Ita quidem in proprietate nominis *Elohim*, Deus dicitur exercere potentiam suam, & hac ratione dicitur *Vir belli*: & quasi Bellator fortis: Quare ab istius influxu seueræ veniunt punitiones: ut in *Tractatu sequenti de morborum causis* fusius agemus.

Hic ergo notandum est, quod in orationibus benedictoriis pro sanitatis tuitione, & maledictoriis pro confusione & dissipatione inimicorum, fiat loco nominis *Iah*, & *EL*, vel *Adonai* & *Elohim* vti: sc. appellatione Patris pietate plenissima & Dei *miserescentis* benigna, & gratiæ plenitudine abundantis: vel Dei fortissimi & Domini potentissimi, qui rebelles domare solet, ceu Bellator terribilis & robustissimus: &c.

Quibus verbis illorum Nominum Proprietates tam benignæ quam inclementes indicantur.

Sed iam ad finalem Orationis effectum properemus.

CAP.

C A P. VII.

De finali Orationis effectu, quod sit summum illud tam Philosophorum quam Theosophorum Bonum: meditatione cuius, quicquid desiderat fidelis orans, consequitur. De nominibus misericordie Iah, El, & Iesu. Quod Angeli voluntatem orantis, iubente Iesu seu Sapientia eterna, perficere soleant.

Cum nemo votum seu desiderium suum ulterius extendere queat, quam ad summum Bonum, quod est omnium Magorum, seu Philosophorum verorum Cabalistarum Alchimistarum, immo & Theosophorum subiectum & Meta, ad quam summo conamine aspirare & collimare soleant, (cum in ipsius Sacratio Augustissimo, quicquid ab homine desiderari possit, continetur) necesse est quod istiusmodi Boni acquisitio coronet fidelis orantis desiderium. Quodnam vero sit summum istud Bonum, intimare videtur Sapientis. *Corpus (inquit) infectum corruptione, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit animam multis curis plenam: ita ut vix conuicimus quæ in terra sunt, & quæ ad manus, laboriose inuenimus. Quæ autem in caelis sunt, quis peruestigauit? & consilium Dei quis nouerit, nisi Deus dederit Sapientiam, & miserit Spiritum suum sanctum è locis altissimis. Sic correctæ sunt eorum quæ in terra versantur semitæ, & res quæ placent Deo, edocti sunt. Itaque Sapientia fuerunt saluati. &c.*

Sap. 9. 6. 15.

Quibus euidentis est, quod summum illud Bonum sit Sapientiæ Spiritus quem Deus rite & fideliter orantibus tam ad peccata eluenda, & mentem obfuscatam illuminandam, quam ad omnia vitæ humanæ commoda obtinenda, sanitatemque tuendam, è sanctis cælis effundere & liberaliter implere solet. Hic enim est hominum salus, vitæ radix, veritatis fons & omnis boni author.

Atque ut ipsa (teste Solomone) est in natura sua simplex & inconquinata, *Sap. 7.*
Ita quidem non se transfert nisi in animas sanctas. Quoniam in animam maleuolam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore peccatis subdito. Spiritus enim sanctus *Sap. 14.*
effugiet fictum, & aufert se à cogitantibus quæ sunt sine intellectu. Hinc ergo est, quod nisi orans sit pœnitentia, humilitate, charitate & spe armatus, in vanum erit ipsius ad Deum Petitio: quoniam qui aliud labiis balbutire, aliud corde solet cogitare, deseritur à Deo, cordis & renum scrutatore, altiusque & profundius, voto frustratus, in tenebrarum cœnum immergitur. Hinc David orat. *Psal. 17.*
Exaudi Iehoua, attende ad clamorem meum, aurem præbe orationi meæ absque labiis dolosis: hoc est sine fuce aut hypocrisi effusa.

Sapientiæ igitur fructus sunt & effectus qui ab oratore fideli postulantur. Sic Solomon oratione præeunte, Sapientia summa potitus est & plane stupenda: cuius actu virtute & mediatione omnia tam occulta quam manifesta cognouisse fassus est: & optata sua tam aduersus inimicos maledictione, quam pro suis benedictione accepisse. Ad hunc igitur spiritum, ardentibus ad Deum precibus refugium nostrum habeamus necesse est, si votorum nostrorum compotes, auxilio diuino, esse cupimus, siue sit ad hostium maledictionem seu nostrorum benedictionem.

Sap. 7.

Ad benedictionem autem acquirendam invocare debemus Deum ut gratiam istam suam, h. e. Sapientiæ suæ sanctæ auxiliū nobis concedat. Quid ergo (O mundane) tibi deest? Anne deficiunt tibi opes & diuitiæ? Ecce, si oratio tua sit fidelis *Diuitiæ.*
descen-

Pro. 2. & 3. 14. descendet pro voto tuo Sapiencia quæ (teste Salomone) in manu sua sinistra habet diuitias. Nam Sapiencia ipsa ait, Penes me diuitiæ sunt.

Honor.

Pro. 5.

Sap. 10. 13.

Anne Honorem & Gloriam desideras? Honos & gloria (inquit ipsa) penes me est. Sapiencia enim erat quæ Iosepho afferebat dominium regni Aegyptij, & potentiam aduersus inimicos. Ad Deum ergo pro spiritus istius subsidio est orandum, vt mediante eo, cuius est pro placito extollere & deprimere, ad honores eleuetur.

Lex.

Ecc. 2. 4. 26.

Visne ambulare in Lege & mandato diuino? sit tibi hic Sapiencia spiritus in auxilium, vtpote qui est Liber Fæderis & Dei altissimi lex, quam mandauit Moses hereditariã in congregatione Iacob, vt testatur Siracides. Quare in tali casu fideliter ores Deum & mittet tibi Paracletum istum in auxilium tuum.

Mysteria Dei

Sap. 10. 11.

Anne mysteria Dei intelligere cupis? Oratione fideli præuia, hoc donum tibi afferet Sapiencia: quippe quæ regnum Dei, Iacobo ostendit, & scientiam sanctorum docuit, teste Salomone. Adde, quod ipsa Dei consilia mortalibus aperit, & cæli mysteria ipsis reuelat, vt alibi habetur.

Scientia.

Psal. 140. 10.

& 119. 66.

Exod. 4.

& 28. 3. & 31.

2. & 35. 15.

Sap. 1. & 7.

Pro. 4. 6.

Peccatorum

remissio.

Sap. 10. 2.

Sap. 10. 12.

Eloquentia.

Auxilium in

hostes.

Ecc. 9. 10.

Sap. 10.

Sap. 11. 5.

Adeceptoribus

liberatio.

Sap. 10. 11.

Scientiam & intelligentiam quæris? More congruo orabis & auxilium eius aderit, qui est Doctorum Doctor & Scientiarum Magister: vt vbique in fonte sacro reperias. Hunc ergo vocat Sapiens Spiritum disciplina sanctum: à quo obtinuit Solomon rerum omnium cognitionem. Nam Dauide teste, Huius præceptum lucerna est, & doctrina lux.

Peccatorum remissionem petis? Pænitentia serua præeunte petas à patre sapientiam, cuius est auferre peccata illuminando, vt Christus testatur sub nomine verbi. Et Salomon agnoscit quod ipsa eduxerit Adam è delicto.

Eloquentiam appetis? Ora Deum vt sapientiam seu gratiam istam tibi concedat, quoniam ipse os mutorum aperit, & linguas infantum disertas reddit.

Si ab hostibus oppressus, fortitudinem, animositatem & victoriam desideras: Ora fideliter, & per sapientia virtutem vinctus. Nam ipsa est melior robore, præstantior armis bellicis, vt ait Solomon: & potentia iusto dat erga inimicos, & certamen forte dedit ei, vt vinceret: teste eodem. Hæc Moïsi animã intrauit, quæ stetit contra reges horredos in portentis inimicosque suos demersit in Mari.

Anne Deceptorum strophas & fallacias euadere velis? In fraude circumuentium fideliter oranti, affluit Sapiencia, quæ custodiuit illum ab inimicis & à seductoribus tutaui eum.

Sed vt ad propositum reuertamur: Anne sanitatis tuæ continuationem & conseruationem exoptas? Ecce Sapienciam, longitudinem vitæ in dextra sua retinentem vt in sinistra diuitias: quippe quæ est arbor vitæ apprehendentibus eã. Et alibi agnoscit Sapiens, quod per ipsam dies nostri multiplicantur: & anni vitæ nobis adyiciuntur. Hæc etiam cum aqua deleret Deus terram saluauit Noemum cum familia sua, per contemptibile lignum. Hæc Lot ab igne Sodomitico fugientem liberauit. Hæc Iacobum cultorem eius religiosissimum ab inimicorum dolis eripuit & à seductoribus eum custodiuit.

Quod si morbis & infirmitatibus sis correptus, amplectere sapientiam quæ est misericordia Dei sanans omnia, de qua Sapiens: Neque verba neque magma sanauit eos, sed tuus (Domine) sermo qui sanat omnia. Hac mediante Elias, Christus & Apostoli morbos insanabiles curauerunt. Sed de his vberius, in Tractatu nostro de supercaelesti curandi methodo.

Concludimus igitur, quod sapientia est spiritus ille sanctus qui solummodo producit optatos orantis effectus: Quare necesse est vt orans habeat ipsius Sapiencia Iconem & quasi radium in corde suo, si successum bonum per animæ suæ coram Iehova effusionem habere vellet. Testatur enim Sapiens quod neminem diligit Deus nisi eum cum quo habitat sapientia.

Pari etiam successu, virtute sapientia, maledictionis effectus in oratione contra impios & aduersarios producuntur. Nam spiritu isto torue impios aspiciẽte, ipsi subito exanimati sunt: vt in filiis Aaron alienũ Iehovę ignẽ offerenti-

Sap. 16.

Sap. 7.

Pro. 3.

Pro. 9. 12.

Sap. 10.

Sap. 10. 9.

rentibus apparuit. Sic etiam deserendo impios, eos iustorum imprecatione & maledictione errare facit: & ex sapiētibus stultos reddit, ita vt tanquam ebrij in tenebris palpent deficiente Luce: atque ita ex animosis timidi, & ex fortibus imbecilles redduntur. Ob istam ergo rationem iusti Deum exorantis imperio subiiciuntur ipsius inimici; vt in sacra Scriptura passim videre liceat.

Quid ergo ista tam potens, tantiq; momenti res? *Anne naturalis* vel ipsa *natura*, vel ipse *Deus*?

Hic respondere mihi videtur Siracides dicens: *Sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante auum.* Ergo hæc ipsa est *Verbum*. Quid ni? cum ab Euangelista dicitur *illud fecisse in principio, & quod fuerit apud Deum, & quod Deus esset Verbum.* Ergo in Sapientia erat vita, & hæc vita erat lux hominum, vtpote quæ illuminat omnes homines in hunc mundum venientes. Nonne etiam à Salomone describitur esse *Vaporem virtutis Dei, & emanationem claritatis Omnipotentis Dei synceram, & Candorem lucis aeternæ, & Speculū sine macula Dei Maiestatis, Solem & Stellas luce excellens?* Et filius Syrach ait: *Ego Sapientia ex ore Altissimi prodij &c.* At si Sapientia æterna à Deo prodiens, si Verbum Dei ab ore eius prolatum, si Lux diuina, in mundum afflatu diuino ad mundi existentiam emissa, vtpote à qua omnia & sine ipsa nihil: si emissorius ille Spiritus omnia gubernans, viuificans, sanans, saluans, & præferuans: Tunc *Angelus ille Imperialis* super omnes Angelos dominium habens de quo Ioannes, *Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis*: Iesus autem est hic diuina voluntate nuncupatus; quippe cuius solius est saluum reddere populum à peccatis eorum, vt testatur Diuinitas per os Angeli Gabrielis.

Magnum ergo est & ineffabile hoc nomen *I E S V S*: à Iudæis & Gentibus Ephesi ita magnificatum: Nomen, quo non efficacius vllum. Quoniam *in nomine Iesu fleētitur omne genu; caelestium, terrestrium & infernorum, vt testatur Apostolus.*

Saul persecutor hoc nomine prostratus & humiliatus est. *Iesus* (inquit) *ego sum quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcare. Huic ipsa Demonia se subiecerunt & ipsius virtutem agnouerunt. Iesu Fili Dei* (inquit dæmonium) *quid nobis & tibi?* Et, *Iesu Fili altissimi Dei, adiuro te per Deum ne me torqueas, &c.*

At boni Angeli in eo nomine exultant: Nam dictum est: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est hodie Saluator, qui est Christus Dominus & subito facta est multitudo militia caelestis laudantis Deum dicentium: Gloria in altissimis Deo: & in Terra Pax hominibus bonæ voluntatis.*

Hoc nomine claudi curati sunt. *In Iesu Christi Nazareni nomine* (inquiunt Petrus & Ioannes) *surge & ambula.* In hoc nomine omnia sua miracula fecerunt Apostoli & hæredes ipsorum, quos ipsi Cacomagi imitantes, hoc quidem nomine abutebantur, vt in Actibus legitur.

Per hoc ergo nomen probatur, quod *Christus* est *Deus*: est enim hoc nomen, *Vnctio* ab alto: quod seipsum cum carne permiscens; *verbum incarnatum* nuncupatur: Atque ita Christum siue *Vnctum* produxit, Spiritu diuino repletissimum, & consequenter omnium potentissimum: vnde fit, quod *Iesus* cum *Christo* iunctus & *Christus* per *Iesum* vnctus: *ter-maximum in Mundo Dominum* produxerit, *per quem omnia in mundo existunt & sine eo nihil.* Hoc testatur Apostolus Petrus dicens: *Iesus Christus est omnium Dominus: vtpote per quem pacem annunciat Verbum quod misit Deus filiis Israel.* Hoc etiam confirmauit Angelus dicens: *Iesum esse Christum Dominum.* Nectamen sequitur, quod hoc nomen magnum *Iesus Soter* vel *Saluator* sit ideo nomen nouum: est enim antiquissimum. *Iesus* enim seu *Saluator* dictus est secundum carnem: qui erat *Saluator* secundum Diuinitatem. Constat ergo nomen hoc fuisse ab æterno præor-

dinatum & consecratum & post Creationem ore inprimis diuino nominatum. Deinde à Patriarchis & antiquis Patribus desideratum, post à Prophetis propheteratum, tandem à Beatissima Virgine prædicatum, ac deniq; à Iosepho ei impositum: Sequentibus vero seculis ab Angelis diuulgatum, ab Apostolis magnificatum, à Martyribus testificatum, à Christianis confessum & collaudatum, à Sanctis Virginibus tanquam oleum effusum, & ab omnibus fidelibus per vniuersum terrarum orbem veneratum.

1. Cor. 8.

Concludimus ergo, quod hoc sit nomen illud Catholicum & salutare quod *Iehoua* agnouit fuisse in *Angelo illo magno* quem misit ante Israelitas in salutem eorum in itinere per desertum. Etque hoc nomen tam grande, amplum & magnificum, quod omnia Dei nomina à Cabalisticis & Hebræorum Doctoribus ebuccinata in se comprehendat, videlicet virtutem nominis *Ehieh, Iah, Elohim, El, Sadai, Adonai, &c.* Nam vt omnia ab vno tanquam Patre fiunt & ordinantur: Ita quidem per hoc vnicum nomen lucidum & Essentiale (& non ab alio) omnia in actum producantur: iuxta illud. *Dij quidem sunt, qui dicuntur in cælo & in terra: nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum, &c.* Vbi etiam cernimus, quod vt Iesus per se arguit diuinam Sapientiam & Verbum, quod est Sigillum Omnipotentis: Ita additur ei Christus, quatenus per Iesu seu lucis diuinæ incarnationem, dicitur creatura incarnata Christus siue Vnctus. Hinc vult Augustinus: quod differentia inter hæc duo nomina sit, quod Nomen *I E S V S* sit nomen proprium Diuinitati: sed illud (*C H R I S T V S*) commune, & Sacramenti. Non enim erat Diuinitas per se, sed corpus cum Diuinitate seu caro vncta, quæ oblata est in vero Sacramento.

Nomen igitur *C H R I S T V S* est Nomen gratiæ: vtpote Homo per gratiam vnctus: sed nomen *I E S V S* est nomen Gloriæ; quoniam ipse est Diuinitas in clarificata sua natura. Sicut enim per gratiam Baptismalem, quæ fit reuera per Vnctionem factam cum Spiritu & igne, à *C H R I S T O* dicuntur Christiani: Sic in cælesti gloria, ab ipso *I E S V* dicemur Iesuitæ veri, id est, à Salvatore saluati. Denique quanta est discrepantia inter Gratiam & Gloriam, tanta est differentia inter Christum & Iesum.

Erat autem *I E S V S* nomen illud supersubstantiale, mediante quo, *Angelus Dei* quem misit ante Israelitas tot mirabilia & stupenda fecit: & sine eo quidem, nihil possunt Cælicolæ. Hoc est nomen illud, quod dedit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis sermonem, mortuis vitam, ægrotis salutem, dæmoniis terrorem, peccatoribus remissionem.

Rom. 10.

Dicimus ergo cum Apostolo: *Quicumq; hoc nomen inuocauerit, saluus erit.* De hoc nomine, ipse Dominus ait: *Quicquid petieriti: Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Hæc eo latius de sacratissimo hoc nomine pertractauimus, vt intelligatur ratio cur in Orationibus suis ita frequenter adhibeant illud Christiani: vel separatim vel coniunctim cum nomine Christus, precesque suas vt plurimum claudere soleant, hisce verbis: *Per Christum Iesum Dominum nostrum*: vel istiusmodi formula.

Quare oratione tua fidei facta, vnctioneq; Iesuitica, ab alto comparata, tu tandem in Christorum numerum cooptatus, & vndiq; Angelis bonis virtute nominis istius mirifici (*I E S V*) qui est Angelorum caput, stipatus, sanitatis viam, & salutis semitam calcabis & admirandum in modum vota tua à Deo impetrare queas.

Atque hæc hæctenus de Orationis methodo.

Iam vero vt ad *Orationis effectum* regrediamur; quem, mediantibus Angelis,

gelis, tam bonis, qui versantur in præseruatione; quam malis, qui ruinam moluntur & infirmitatem, atque destructionem; videlicet in orante & sibi proximis seu amicis, *benedicendo*: vel hostibus suis & inimicis, *maledicendo*; velociter operari dicimus. Nam per Verbum hoc mirabile & diuinissimum IESVS vel per illud CHRIVS, quod & IESVM comprehendit: boni instituuntur atque ordinantur Angeli ad Sanitatis iustorum tuitionem seu defensionem: *Angelus ille (ait Iacob) qui vindicat me ab omni malo, benedicat pueris istis.* Et Dauid oratione sua facta: sic effectum illius declarat *Misit Deus de cœlo & liberavit me, vbi permissionem, arguit actum Angelicum.* Hinc ergo alibi. *Non accedet ad te malum & flagellum non appropinquabit Tabernaculo tuo: quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum quoniam cognouit NOMEN meum: clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum: & glorificabo eum: Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum, &c.* In quibus verbis, vere aureis, hæc sunt notatu dignissima:

Gen. 48.16.

Psal. 90. v. 10

Primum scilicet, quod tam vita & sanitas, quam mors & infirmitas sit in manu Dei. Vnde scriptum est: *Vita & mortis potestatem habet: & deducit ad portas inferni & reducit.*

Sap. 16. 13

Secundo: quod tam vitam & sanitatem, quam mortem & infirmitatem mediatione Angelorum bonorum vel malorum afferre solet. *Non accedet ad te malum (inquit) & flagellum non appropinquabit Tabernaculo tuo: hoc est, malorum Angelorum effectus.* Et in versu præcedenti hoc ita confirmare videtur. *Non timebis (ait) à timore nocturno, à sagitta volante in die, à lue perambulante in tenebris & à Damonio meridiano. Et in sequentibus ait: Quoniam Angelis suis (bonis videlicet) mandauit de te, &c.*

Tertio; arguit in primis hoc non sine oratione fidei esse à Deo impetrandum. Nam (inquit) *Quoniam sperauit in me, & clamauit ad me, ideo exaudiam eum.* Atque ibi etiam denotat rationem, cur ipsum exaudiat, eumque liberare sit promptior. *Quoniam (ait) cognouit nomen meum &c.* Nomen (dico) Omnipotentia; quod est IESVS in quem, qui credunt, ipsumque agnoscunt: à Deo exaudientur & præseruabuntur: *quoniam Deus (vt antea) omnes illos diligit, cum quibus habitat Sapiencia: quæ est virtus nominis sacrati IESVS: cui omnes Angeli tam cœlestes, quam inferni obediunt & genua sua (vt pote Imperatorum summo) flectunt.* In eo ergo est ipsa salus: & qui eo fruitur, necesse est, vt in pace simul & cubet & dormiat: iuxta Prophetæ verba: *Nam si Deus nobiscum, quis contra nos? Dicam ergo cum Psalte regio: Deus Iehoua seu IESVS summa Iehoua virtus est Lux mea & Salus mea: à quo timerem? Iesus robur vita mea.*

Sap. 7.

Psal. 4. 9.

Psal. 6. 9.

Psal. 118. 6.

Psal. 127. 1.

Hiscè igitur percipere possumus; quomodo fidelium Orationes exaudiantur &, qui sint iusti & fideles, quorum preces clementer audire solet Deus: videlicet ipsi, qui confidunt in eo, & in quibus ignis & lux gratia habitat, seu qui Baptismo Iesuitico: exigne videlicet, & Spiritu reficiuntur: nam cum hisce Sapiencia habitans eos Deo amabiles reddit. Hinc ergo more Typico dixerunt antiqui Sapientes. *Ne loquaris de Deo sine lumine.* Hinc Lumina posuerunt tam Ethnici, quam Iudæi coram altaribus. Et Ecclesia Romana in hunc vsque diem, in Ecclesijs: Quin & cadaueribus mortuis Veteres apposuerunt luminaria, in eorum custodiam (vt finxerunt) à veneficarum dilaniatione, seu potius à lucifugarum & malorum dæmonum frequentatione. Hæc autem Lumina reuera sunt typica; ad veram & mysticam illam lucem, quæ Deo est familiaris (vt pote ab eo orta) conducens.

Aa 2

Atq;

Leuit. 10.

Leuit. 10. 7.
1. Ioh. 2.
2. Cor. 1.

Atq; hæc est ratio, quod Aaronis filij pœnas luerent exitiales, quod ignem alienum & incognitum Iehovæ obtulerint. Et ob hanc rationem Abraham, Iacob, Moses, David, Salomon, Aaron, & cæteri Pontifices, atque etiam Prophetæ cum Apostolis orare solebant pro congregatione & Bono publico: videlicet quoniam vñctione ab alto vñcti erant: cuiusmodi vñctos intellexit David in persona Dei loquens: *Nolite tangere Christos (seu vñctos) meos.* Et Moses ait filiis Aaron: *Oleum sanctæ vñctionis est super vos.* Et D. Ioannes: *Vñctionem habetis ab alto & nostis omnia.* Et Apostolus Paulus. *Vñxit & signavit vos Deus & confirmat, dans pignus Spiritus in cordibus vestris.* Horum ergo Orationes Deo longe sunt, quam aliorum acceptabiliores: Quare impendente periculo, orabat populus istiusmodi sanctos, vt pro illis exorarēt Deum: vt è sacris literis antea demonstrauiamus.

Sed iam Sapientiæ Spiritu adiuuante, ad Orationis praxin descendimus.

T O M.

TOM. I, TRACTAT. I, SECTIO. II, PART. I.
LIBER TERTIVS.

271

ORATORIAM
PRO SANITATIS CON-
SERVATIONE PRAXIM
pertractat.

CAP. I.

In quo, variae precationum formulæ, pro interne & externe salu-
tis præseruatione,

Oratio ad Deum pro sanitate conseruanda: Et præcipue,
pestis tempore.

Æterne Deus, Iehoua, anima mea salus, & vita robur, susceptor eorum qui Psal. 25.
te fideliter amant, cum zelo timent, & ex corde in te confidunt: In te Do-
mine, in te solo speraui, ex intimis visceribus meis te dilexi. Quare fac mi-
hi gratiam & misericordiam, & orationem meam exaudire ne dedigneris
obtestor: consuetum Benignitatis tuae radium in animam meam infundas: & umbra a-
larum tuarum, me pauperrimum in bonitate tua confidentem abscondas; oro. Spiritum Psal. 17.
meum, more clypei validissimi circumdet Veritas tua: Angelique tui me custodiant in Psal. 17. 8.
omnibus viis meis, ita ut nec pauor nocturnus timorem mihi incutiat, nec sagitta vene- Psal. 90.
nos in die volans, neque pestis aut aer corruptus in tenebris aut nocte inuadens, nec lues
aliqua in meridie vastans, neque vlla infirmitas aut anima corporis ve mei perturbatio
sanitatem ledens ad me accedat: nec malum, flagellum ve quodcumque Tabernaculo Psal. 16.
meo appropinquet deprecor: ut hac ratione animus meus in te Domino suo benigno exul- Psal. 5. 9.
tet, & caro mea in tristis hac tenebrarum valle, secure habitet. In pace enim & tranquilli-
tate simul cubabo & dormiam: cum tu Iehoua solus in tuto collocaueris me. Hæc mihi con-
cedas (ô bone Deus misericordia plenissime) utpote qui es solus saluator atque liberator
per verbum ineffabile, I E S V M: sacrosanctam & gloriosam tuam in mundo Lucem:
efficacissimum vitarum Sigillum, ac Mundi saluatorem, & per CHRISTVM iucun-
dissimū gratia aeterna Typum, infallibilemque resurrectionis nostræ characterem, Amen.

Oratio pro eadem.

O Glorioso I E S V Spiritus sapientia sancte, qui es emanatio claritatis omnipoten- Sap. 7.
tis Dei sincera; Splendor lucis aeternæ Speculumque sine macula Maiestatis, & I-
mago Bonitatis illius: Tu Mundi Lux, tu hominum salus, tu robur & rupes vita mea, Ioan. 1.
qui sanitatem & dies multos & fœlices, vitæque dotes in dextra tua tenens, eos ipsis qui Prou. 3.
in te confidunt, liberaliter efferre haud desistis: En & ecce me pauperem; in tua ho-
nitate perpetuo sperantem; Maiestatem tuam toto conamine reuerentem: Et filia-
li timore ex animo colentem, Eripe me, oro, à malo tam animi quam corporis: au-
rem tuam beneuole ad me inclina: saluum me fac; mihi que esto in D E V M prote- Psal. 17.
ctorem, ut à morborum spirituumque malorum violentia & malignitate saluum me fa-
cias: quoniam tu es potentia mea DOMINE: Tu mihi D O M I N E, spes à pue-
ritia mea. Ne longe abesto à me. D E V S ad auxilium meum festina; serua

Aa 3

me

Psal. 70.
Psal. 17. 6.
Psal. 70.

me sicut pupillam oculi: sitque sanitatis & salutis meae cura in manibus tuis. Nam ego semper sperabo, & os meum annuntiabit toto die, laudem, iustitiam, atque salutem tuam. Quoniam tu (O bone I E S V) es tota bonitas, sincera Veritas, sola salus Mundique Saluator vnicus, cuius Regnum tam in Cælo, quam in Terra est sempiternum: Quare tibi soli sit summa Gloria, Laus & Honos, in secula seculorum, Amen.

Oratio peccatoris: pro misericordia, & præseruatione Sanitatis.

Isai. 46. 4.

Psal. 79.
Psal. 33. 1.

Iona. 4.
Sap. 11.

Sap. 9. 13.
Sap. 7.
Da. 6.
Ose. 13.

Psal. 90.

OMnipotens & sempiternus Deus Israel, qui ad senectutem usque & usque ad canos portare & saluare soles: Ne me miserum & pauperem, quippe peccato contaminatum despicias obtestor, sed orationem hanc meam benigniter exaudias. Emitte Domine Angelum tuum in circuitu mei, qui eripiat me à malignitate, quoniam in te speraui. Nonne tu DEVS clemens & misericors, patiens & multa commiserationis, ignoscens super malitia? Ecquid mansurum fuisset aliquid, nisi tu voluisses, aut conseruatum fuisset quicquam quod non accersuisses? Imo vero dissimulas peccata hominum ut finaliter pœnitentia ducantur: & parcis omnibus quia sunt tua, O Domine animarum amans. Si igitur ignoranter è viis tuis erraui, doce me statuta tua: & concedas mihi sapientiam, ut in illa interdum & nocte, versetur meditatio mea, & in lege tua existat vnica mea delectatio. Sic enim correctæ eorum qui in terra versantur semita, & res quæ placent tibi, homines edocti sunt. Itaque Sapientia tua fuerunt seruati; neminem enim diligis tu nisi eum; cum quo habitat ipsa; utpote, mediante qua, tu solus es liberator & præseruator, per ipsam tu conseruasti omnia in seculum, tu cibum egenis dedisti, vinctos soluisti, oculos cæcis aperuisti, incuruatos erexisti; & non modo iustos, verum etiam peccatores fideliter & pœnitenter exorantes, amasti, præseruasti, & sub umbra alarum tuarum recepisti. Quare vitæ & sanitati meæ propitius adsis (O Iehoua misericordia plenissime) à malo me liberares, longitudine dierum repleas, mihiq; salutare tuum affluenter ostendas obsecro. Per D. N. I. C. qui est vera Mundi Lux & Sapientia, Amen.

Tob. 8. 4.

Tob. 8. 7.

Non requiritur ut Orator in deprecationibus suis sit longus & tædiosus, propter rationes antea à nobis allatas. Hinc erat quod Sara Tobiae vxor parco vsus est sermone in Oratione sua pro Sanitatis suæ & Tobiae continuatione, & tamen ipsam humiliter, licet paucis deprecantem audiuit Deus, Nec quidem satis est dicere, quod ipsa esset mulier ignara. Nam (inquit Tobias) Sara exurge, & deprecemur Deum hodie & cras & secundum cras: filij quippe sanctorum sumus, &c. Quibus arguit, quod cum esset filia sanctorum, optime ipsi & Tobiae esset orandi methodus cognita. At vero, ut Oratio Tobiae, non erat longa, ita quidem qualis sit ipsius deprecationis Saræ, pro Sanitatis tuitione methodus, hic videre liceat. Dixit itaque Sara.

Oratio Saræ.

Tob. 8.

Miserere nobis Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani. Hæc est tota, & tamen sufficiens eius Oratio. Nam in primis suam humilitatem & paupertatem arguit, & pœnitentiam etiam pro peccato: nam ubi non adest peccatum, ibi non requiritur misericordia. Deinde, in vno verbo peruenit ad subiectum Orationis: Quod est, ut Deus tam Tobiam quam ipsam præseruaret & retineret intra Sanitatis limites vsque ad senectutem.

CAPVT I I.

In quo praxis Orationum pro salute erga inimicos: hostium-
que confusione,

Oratio ad tuitionem salutis, aduersus inimicos: & pro
destructione inimicorum.

In hoc negotio Deum fortem & formidabilem Exercituum
inuocare solemus, hoc modo:

Oratio.

O Iehoua robustissime & potentissime Deus exercituum, Bellator fortissime, Glorie ^{Psal. 14. 8.}
rex, rupes, propugnaculū & scutum eorū qui confidunt in te: Surge Domine, o surge,
& serua me à persecutoribus meis: Percute inimicos meos omnes, qui insurgunt contra
me: sicut gluma quam dispergit ventus, dissipa eos, corrigas (obsecro) eorum audaciam: ^{Psal. 3.}
Quoniam ut tuum est, populum humilem exaltare: ita quidem oculos superbiorum hu- ^{Psal. 17. 29.}
miliare tibi est admodum familiare. Ecce me pauperem atq; impotentem coram conspe-
ctu tuo pronum & prostratum, auxilium atq; subsidium tuum humiliter exorantem. In
te Domine, est spes mea unica. In tua bonitate & benignitate firmata est mea anchora. In
te (inquam) confido, in te fideliter speravi: idcirco non consistant improbi in catu timen- ^{Psal. 1. 4.}
tium, & ex intimo corde diligētium te. Agnoscat Iehoua viam iustorum: at illa impiorum ^{ver. 6.}
pereat: Si tu regas me, nihil mihi deerit. Nam etsi ambulauero in medio umbræ mortis; ^{Psal. 22.}
non timebo mala. Si consistent aduersus me castra, non formidabit cor meum, quoniam
tu mecum es. Ideo virtute tua infirmetur hostium meorum multitudo, cadantq; inimici ^{Psal. 18.}
mei qui tribulant me. Adsis ergo mihi (obtestor) O Iehoua, fortitudo, firmamentum, re- ^{Psal. 17.}
fugium, liberator, adiutor, saluator, cornuque salutis meæ, & susceptor, in nomine & vir-
tute Iesu, Filij tui vnici, qui tecum viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Secunda Oratio.

Domine Deus Exercituum, Tu es Deus in cælo: & dominaris cunctis regnis Gentiu. ^{2.}
In manu tua est fortitudo & potentia: nec quisquam tibi potest resistere. ^{2. Chron. 20.} Anne
brachij tui fortitudinem sustinere potuisset robustissima AEgyptiorum Natio: aut Vir-
tuti tuæ obstare sufficiebat curruum eorum multitudo? Anne filij Moab, & filij Ammon,
Gentes audacissime, aduersus brachij tui vires precibus Iosaphat in Iudæorum auxilium ^{2. Chro. 20.}
inuocatas momento quasi temporis durare valuerūt? Imo vero, ipse Holofernes, Nicanor,
Senacherib, Sisera, cum populis suis innumerabilibus; Fatalia inuictæ fortitudinis tuæ
stigmata agnouisse cogebantur: ita ut eorū ruina & subuersione vniversa Terra tuis lau-
dibus est repletissima. Tu humiles & desolatos ad te, in tribulationibus suis clamantes, &
fideliter in te sperantes consolari, & salute adesse assoles. Nunc ergo ecce inimicorum
multitudo insurgit contra nos, qui manuum suarum fortitudini innitentes, & superbia
atque audacia nimia elati, animas & salutem nostram Leonum ferocium instar, auide ve-
nantur. Ne tradas Domine sceptrū tuum hisce improbis, & gloriosis, ut non rideant post-
ea ad ruinam nostram, sed conuerte consilia & furorem eorum super ipsos: ita ut qui in nos ^{Ester. 14. 11.}
incipiunt seuire, tui numinis vigore disperdantur, & sicut gluma quam Vetus dispergit,
ab inuicē dissipentur: Intuere superbiā eorum, & respice ad nostram humilitatē quoniam ^{Iudith. 6.}
tuum est non derelinquere presumentes in te, sed presumentes in se, & de sua virtute glo-
riantes humiliare. O Deus fortis super omnes, in nobis nō est tanta fortitudo, ut possimus
huic multitudini resistere quæ irruit super nos, sed cum ignoramus quid agere debeamus,
hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus, humiliter supplicantes, ^{2. Chro. 20.}
ut exaudias orationem eorum, qui nullam aliam spem habent. Nos à manu im-
piorum liberare festina. Quoniam tuum est regnum poten-
tia & gloria in secula seculorum,

Amen.

Ora-

Oratio pro liberatione & conseruatione salutis, quam calumniatores & deceptores, labiis falsis deprauare aggrediuntur.

O Deus omnipotens, tu fidelis renum & cordis scretorum scrutator, cui nihil est in orbe terrarum absconditum: agnosco te esse scutum meum, & unicum vitam meam robur: quare, me in te vnice fidentem ne repellas (obtestor) nec tristis hostibus me affligentibus incedam, sed miserere mei, & vindica me, in causam hanc meam descende, eam serio defende. De gente non sancta, ab homine doloso & scelerato libera me, ab impio qui in me concursat, & malum consilium aduersus me capit, de me male loquitur; & tametsi mihi ante oculos blanditur, à scelere tamen odij non abhorret. Verba oris eius dolus & flagitia mera, scelusque parat in cubili suo perniciosum. Mihi innocenti abscondit rete suum: anima mea in fonti fodit lacum. Labia ipsius mendacia, superbe & contemptim loquitur aduersus me: in ore eius non est rectum: intus corruptus est, malum in corde suo meditatur: Guttur eius est sepulchrum patens, lingua vero sua blanditur. O bone Deus, in te semper speravi, in tribulationibus meis, te humiliter inuocaui, & inueni gratiam: nunc ergo me nomen tuum suppliciter inuocantem, ne confundat impius, sed confundatur, & in foueam consopiat: Da ei pro cogitationum ipsius facinore & malitia, eique digna se redde, & eum condemnes, oro in consiliis suis precipitetur, & pro multitudine scelerum ipsius, elimina eum. Fiat sicut puluis vento expositus, Angelo tuo iactante eum. Sint via eius obscura & lubrica: eumque urgeat Angelus tuus, vsu veniat ei de improviso calamitas: reti denique suo quod aliis condidit, capiatur & concidat in eadem calamitate; dum anima mea letetur in Domino: & salute sua gaudeat. Nonne tuum est (O Iehoua iustissime) mendaces perdere, sanguinarios & fraudulentos abominari: Ob istam igitur causam, Anima serui tui imposterum minime deiectabitur: nec se ulterius molestare perget, sed in te faeliciter sperabit: quoniam futurum est, ut iterum pro salute sibi reddita, immensas Deo suo Opt. Max. gratias aget: cuius est solius viuere & regnare in secula seculorum, Amen.

Psal. 43. 2.
ibid. 1.

Psal. 41. 7.

Psal. 36. 2.

ibid. 3. 4.

Psal. 36. 7.

Psal. 31. 18.

Psal. 20. 3.

Psal. 5. 10.

Psal. 31. 17.

Psal. 38. 4.

Psal. 5. 10.

Psal. 35. 5. & 6.

Psal. 35. 8.

ibid. 9.

Psal. 5. 8.

C A P. III.

De orationis congratulatorie Methodo in genere, Et tum postea ad subiecta magis peculiaria tendit.

QUOD orationes pro beneficiis acceptis congratulatorie sint cuilibet iusto quam necessariae, neminem iustum & pium latere existimo: Nam si hominibus conueniat hic sermo, Si hominem homini ingratum dixerimus, omnia dixerimus: multo magis expectanda est à nobis peccatoribus erga Deum nostrum *Gratitudo*, à quo omnia necessaria ex bona sua gratia accipimus. Nonne pro pane nostro quotidiano ipsum quasi mendici perpetui petimus; sine quo, ne momento quidem temporis persistere nequimus? Et pro tanto accepto beneficio nullae sunt à nobis gratiae, Deo tam gratioso, misericordi & liberali retribuendae? Si ergo gratiam & fauorem pro beneficio hac vice accepto sincera mente, rectoque corde recognoscamus; eum proculdubio in suis beneficiis futuris constantem reperiemus. At è regione, si quis ingratus gratiam DEO suo tam bene merenti non reponat, pro omnium erga Creatorem suum ingratiissimo est habendus, qui ei postea in necessitate ob ingratitudinem deficiet, faciemque suam abscondet.

Inuenimus ergo quod sancti Patres antiqui, pro re qualibet accepta, gratias Iehouae Deo suo humiliter reddiderint. Verbi gratia: *Moses* & *Miriam*, Cantico oratorio & Hymno Eucharistico pro Pharaonis & exercitus Aegyptiaci subuersione, & in mari submersione. *Iusti tres* pro ipsorum à fornace ignea, praeseruatione. *Dauid* pro salute sua, variisque aliis beneficiis. *Judith* ob vi-

Exod. 15.

ob vi-

ob victoriam aduersus Holofernem. *Tobias senior* pro Angelo quem misit in auxilium. *Tobias iunior* cum vxore *Sara* pro liberatione & præseruatione ipsorum à Dæmonio. *Paulus* pro Colossensibus, & multi alij pro beneficiis diuersis saluti conuenientibus, Deum glorificauerunt, gratiasque ipsi debitas rependerunt. Nos igitur vnum vel aliud istiusmodi Orationum Exemplum hoc in loco proferemus.

Tob. 12. 8.
Tob. 8.
Coloss. 1.

Oratio congratulatoria pro Victoria Dei fauore & assistentia, in hostes obtenta.

I.

DEus fortis & sempiternæ Iah: qui solus es liberator & saluator, te Domine adoro humiliter, & perpetuo diligam, quoniam tu es munimentum meum & refugium: Tu Deus meus & Petra mea; quoniam tu es: nam laudibus cum cecinerim te, ab inimicis meis saluus fui factus: cum circumdederunt me funes mortis, torrentes Belial intumuerunt contra me, laquei inferorum circumuenerunt me, mortis tendicula me anteuenerunt. At sic in angustia constitutus, te inuocabam: ad te (inquam) Deum meum clamabam & ex Templo tuo sancto vocem meam exaudiuisti, manumque tuam ex alto misisti, quæ me de potestate hostium meorum, de osoribus meis (quamuis me multo essent robustiores) eripiebat. Tu Domine, mihi tulisti auxilium, & ab inimicorum periculo liberaisti me. Quare te Domine ex toto corde canam, & celebrabo res tuas admirabiles, lætabor (inquam) & exultabo in te, euehendo & extollendo nomen tuum. Altissime, eo quod benigniter audiuisti vocem meam: gratias tibi immensas ago, quod inimicus meus retro abiit & periit virtute tua: Tu enim vindicasti me & iudicium meum perfecisti, Dominus ergo meus omnipotens in æternum teneat imperium, qui Solium suum ad æquitatis custodiam parauit: Ei ergo sit sempiterna laus, honos & gloria in secula seculorum, Amen.

Psal. 145. 8.
Dan. 6.
Psal. 9.
Psal. 9. v. 16.
17.

Psal. 9. 1.

Oratio pro præseruatione contra calumniatores.

2.

Domine Deus, iustorum salus, & omnium qui in te confidunt munimentum, scutum & cornu salutis meæ: Benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo attollam manus meas: labiis canoris laudabit te os meum, cum recordor tui, & beneficiorum erga me tuorum super strata mea, in vigiliis meditor tuam bonitatem, tibi que adherens anima mea te sequitur, quoniam indignum & peccantem respexisti seruum tuum ad te fideliter orantem & clamantem, & spei suæ quasi anchora fidentem: me innocentem aduersus homines dolosos vindicasti, & à sceleratis mirifice liberaisti me: malitiam magis, quam bonitatem amantes, & mendacia quam veritatem loquentes, sermonesque lingua fraudulenta perniciosos de me publicantes, malum consilium aduersus me capientes, & scelus in cubiculis suis parantes sicut glumam coram vento dissipasti: fecisti vias eorum obscuras & lubricas: Angelus tuus vrsit eos, & funditus exturbauit eorum inuentiones: quoniam innocenti mihi abscondebant perniciosum rete suum: innocenti anima mea fodiebant lacum: at tuo Domine auxilio ipsi reti suo quod pro me abscondebant, capiuntur: lingua eorum fortitudinem contriuiisti, & fecisti ut in impietate sua perirent & confunderentur. Quare gratias ago tibi ingentes pro iustitia tua coram vniuerso mundo in populi medio nomen perpetuo collaudabo tuum; Laudesque Domini altissimi inter Gentes canam. Quoniam exaudiuit vocem supplicis, eripuit ipsum à calumniatoribus, eumque ipsis superiorem fecit. Non ergo post hoc gaudebunt super me mendaces inimici mei, nec frustra ulterius annuent oculis qui me odio habebunt, nec amplius anima mea quondam deiecta conturbabit me, sed imposterum sperabit in Deo, eique pro salute sua gratiarum actionem effundet in æternum.

Psal. 63. 5.
Psal. 34. 1.
Psal. 47. 5.
Psal. 36. 3.
Psal. 35. 4.
Psal. 7. 17.
Psal. 28.
Psal. 18.
Psal. 35. 13.
Psal. 42.

Bb

Ora-

3.

Oratio gratulatoria pro præseruatione sanitatis,
in tempore pestis.Psal. 27. 1.
Dan. 6.

Iob. 31.

Psal. 91.
Psal. 63.

O Iehoua lux mea & salus mea, Iehoua robur vitæ meæ, tu propugnaculum, tu liberator, tu saluator mi, gratias ago tibi immensas, quod serui tui humillimi deprecationes audire & orationes ipsius suscipere, eique peccatori te inuocanti tempore hoc visitationis tuæ seuera, dicere es dignatus: Condoneo & non destruam. Gratias (inquam) maximas ago Maieitati tuæ omnipotenti, quod me inter tot peccatorum millia, sub alis tuis receperis, à laqueo aucupantis & à peste ærumnosissima, eripueris: à pauore nocturno & sagitta volate in die, à lue (dico) & aere corrupto in caligine peruadente liberaueris. Quare tibi in vitæ meæ benedicam, in nomine tuo attollam manus meas, labiis canoris laudabit te os meum æternum, qui viuus & regnas in secula seculorum.

4.

Oratio Eucharistica pro Sanitatis conseruatione &
vitæ prolongatione.Psal. 27. 1.
Iob. 12. 11.

Exod. 13. 25.

Psal. 21. 4.
& 35. 18.

Æterne Deus, hominum salus & vitæ robur, in manu cuius est anima omnis uiuentis & spiritus uniuersæ carnis, utpote quæ omnia fecit. Gratias ago (Domine) pro Iustitia tua, nomen tuum pro misericordia & benignitate erga me tuæ canam & perpetuum ultra nubes extollam, qui mihi peccatori in hunc usque diem pepercisti: Tu enim ex clementia tua panem meo & aquæ meæ benedixisti, tu quemuis è medio mei morbum amouisti; tu diu vocem supplicis gratiose exaudiendo vitam mihi longeuam concessisti. Concedas etiam mihi (ô benigne Domine) ut adherens tibi anima mea te perpetuum sequatur: ita cogitationes meas dirigas (oro) ut nocte, dieque de te & bonitate tua ingenti mediter, in lege, semitisque tuis per residuum vitæ meæ spacium, ambulem: ut sic ego in hoc mundo bene ideo uiuens, ut tum postea bene moriar, sic tandem in hoc mundo & coram hominibus moriar, ut resurrectione vera (Numine tuo assistente) in vitam resurgam sempiternam,
Amen.

COELESTIS AN- NITATIS TUENDAE METHODO.

IN LIBROS DIVISA DVOS.

Quorum

Prior, complexionis observatione
Posterior, Astrologica Natiuitatis directione; } sanitatem tueri docet.

LIB. I. CAP. I.

In quo generalis sanitatis ex cœlesti observatione tuenda & præ-
seruande ratio agitur.



Vamuis omnis tam sanitatis quam infirmitatis ratio atq; radix cœlestis ab illa supercœlesti dependeat; tamen quoniam cœlos & stellas ordinauit Creator, vt spiritu suo immortalis mouerentur ordine naturali & influxu præordinato; res inferiores tam ad generationem & conseruationem in statu sanitatis, quam ad corruptionem & interitum in conditione præternaturali, disponerent, nõ erit (vt opinor) sapienti Medico difficile, influxiones eius nocentes præuisas atque futuras, vtpote statis temporib. fato ineuitabili descensuras corrigere, & in melius conuertere. Quod quidem nihilominus neq; potest Medicus expertus arte sua præstare: aut saltem ipse adhuc sanus, medici malum futurum præfagientis mandato obedire non vult, (nisi Deus omnium & in omnibus solus actor) Medicum pro bono & commodo illius quem Cœli minantur, bona sua gratia dirigat, eumq; Medico obedientem reddat, operiq; ipsius Medici benedicat. Nam vt Deus est vnicus & semper idem: ita quidem eius actus immediatus est in locis supercœlestibus, & licet in cœlestib. virtus hæc videtur esse mediata, tamen à suo fonte non est minus diuidenda quam animæ portio in thorace ab illa in cerebro. Sic ergo dictum est, *Deum operari omnia & in omnibus*, sed in organis diuersis. Sic aliter agit in Spiritu Empyreo quam in Æthereo, & aliter etiam in hac quam in illa Stella, & tamen virtus Dei est semper eadem & vnus essentia.

His igitur rite cognitis, rationem videmus cur à nonnullis Ethnicis, Cœlum æstimatur pro Deo: atq; etiam Stellæ pro Diis habentur: ita tamen, & cum eadem cautela, vt hi omnes relationem suam habeant ad vnicum Iouem, seu Iehouam, vtpote, à quo diuinam suam essentiam & actum recipiunt creaturæ prædictæ. Hinc Hermes Trismegistus, *Cœlum sensibilem Deum administratorem omnium corporum, quorum augmenta decrementaque Solem & Lunã sortitos esse*, haud erubescerat dictitare, sed ea nihilominus cū cautela, quod cœli veri & ipsius animæ, & omnium quæ in Mundo sunt ipsum agnouerit esse Gubernatorem, qui & omnium Effector est Deus, &c.

Quibus arguere videtur, quod & prima Monas sit Deus absolutus; Ita quidem Mundus & consequenter Cœlum sit Deus respectiue dictum, quatenus participat de natura diuina, mediante qua, talia ordine successiuo opera-

Bb 2 tur

tur in inferiora, qualia quotannis à Cælis in Terram impluuntur. Hinc igitur certum est, quod tam Medici spiritus, ab illo, qui est spirituum Dominus, in errorem duci potest nolente ipso Deo sanitatem patientis: vel ipse cuius sanitas est præseruanda, ita seduci potest, ut Medico Veritatem docenti reddatur rebellis, iuxta illud paginæ sacræ; *Apud illum est robur & potentia, eius est errans & in errorem inducens, qui facit ut consulti deueniant in dementiam, & Iudices stultos reddit, qui amouet animam à primoribus terræ, qui facit ut errent & tanquam ebrj palpent in tenebris, deficiente luce.* Hisce ergo admoneri queant, tam Medicus vtcunque Astrologiæ expertus, quam vir sanus vtcunq; spiritus & ingenij acuitate præditus, ut se Deo Opt. Max. in primis humiliet, orentque ipsum, ut propitio aspectu, priori vid. medico in ordinando, & posteriori, patienti nempe in obseruando Medici ordinato adfuerit.

De orandi ad sanitatem tuendam praxi, libro sequenti, abunde agemus, pro petitionib. ad Deum Medico tam in præceptis dandis quàm medicamentis adhibendis in Sectione Tractatus sequentis, vbi Medici officium pertractatur, luculenter annuente Deo, disceptabimus. Veruntamen Orationem viri sanitatis tuitionem desiderantis & benedictionem cælestem expectantis, eiusq; maledictionem summopere euitantis, in hunc modum composuimus.

Oratio.

O AËterne Deus; Pater benignitate plenissime, cui non modo Terra, sed & Cæli cum Stellis eiusdem utpote unico ipsorum Creatori obediunt qui Stellas quasi sub signaculo clausisti, cuius mandatu Pleiades suaues & salutare suas in terram impluunt influentias, & Sol ut Gigas ad currendam viam suam exultans, factus est tam super bonos quam malos oriri, qui rutilantes hos cælorum ignes, ad mortalium beneficium & nonnunquam ad ipsorum afflictionem instruxisti: inter quos Solem & Lunam ad rerum ortus, ad ipsarum augmenta & detrimenta Diuinitatis tuæ traduntur esse Organa. Adsis (humiliter precor) mihi beneuole, tu vitæ meæ salus, vera mundi lux, cælorumque decus, & cum in Verbo tuo mirifico IESV (dono omnibus saluari) stellis more generi humano propitio creasti, beneuoli & salutiferi sint earum, vitæ & sanitati meæ, influxus, ne mihi noceant vires ipsarum, sed suaue salutis meæ liberaliter impluant solatium. Sis obsecro (ô bone Deus) mihi custos, ut neq; Sol me percutiat diurno tempore, nec Luna nocte, malo me afficiat, sed præserues me ab omni malo, & in via recta deducas animam meam per Dom. N. gloriosissimum Iesum Christum clarissimam vitæ & salutis meæ lucernam, Amen.

CAPVT II.

Quomodo ex debita complexionum cognitione, & ipsarum stellis fixis & erraticis applicatione, Sanitas, aduersus influxus Cæli maleuolos, præseruari queat.

Cum ipsa Elementa Mundana sequantur positiones corporum cælestium ut humores humani ipsorum Elementorum naturis conformes reddunt: & ipsorum influentiis non aliter reficiuntur quam vita humana suo pabulo aereo: sequitur exinde quod Elementa Mundana aliter suarum vitarum vires ab ipsis sideribus hauriant, quam illa humana ab Elementis. Hinc ergo confirmatum habemus vetus illud Philosophorum axioma: *Quod superiora agant in inferiora, & sicut sit superius, ita etiã est inferius.* Sic volunt in Cabala peritiores, quod res inferiores sint representatiuæ superiorum, videl. humores Elementorum & Elementa stellarum.

His igitur bene ponderatis non erit, peritio medico difficile, per complexionis cognitionem Elementum ei in primis prædominantis, & consequenter stellæ fixæ & planetæ qui ei præsident notitiam habere. Quæ quidẽ si bene intellexerit Medicus & rite ea cõsiderauerit, rem magni momẽti nõ fore existimat influxus maleuoli insultus debiliores reddere, eius mala & minas euitare, aciemq; ipsius obtundere, ita ut tantum in virum sanum vim habere nequeat,

vt ipsum à suę sanitatis statu alteret. Verbi gratia. Quemadmodum Elementum Ignis in gradu moderato vim habet super bilem seu choleram naturalem: Ita quidem Sol super moderatam & temperatam Ignis virtutem imperium possidet, non aliter quam in bilem præter naturam & ignem intensum dominium sibi vendicat ipse Mars.

Quo cognito facillime discernere possumus, quis planeta vel Stella fixa humori naturaliter Cholero abesse potest: si Planetarum amicitias & inimicitias recte obseruauerimus: Quo tandem percepto ratione varia insultus & influxus planetarum maleuolos & signorum huic complexioni oppositorum mala impedire possumus: nam melius & sagacius est futurum præuenire malum; quam malum præsentem affligens & actu infestans propulsare.

Quare ad exactam complexionum dispositionem & qualitarum earum cognitionem propere accedamus.

C A P. I I I.

De complexionis Cholericę descriptione: & de Elemento Ignis & Stella ei prædominante.

Cholera: hoc est bilis flaua, rubra seu ferruginea magis naturalis ex cœlestibus subiicitur Marti & Soli, ex Elementis, Igni: Quare in sua constitutione est temperate calida & sicca: & in hac ipsius temperie fortior est Sol; debilior ipse Mars. Nam vbi Mars suum obtinet dominium, ibi Cholera sæpissime excedit naturę metam siue limites: & tunc quid præter naturam existimatur esse: quare febres & illiusmodi alios morbos igneos producit. Vbi autem cholera huiusmodi naturalis, dominium habet in nati complexione: ibi caput & capilli nigerrimi (corui instar) reperiuntur, & quo nigriores & magis crispi sunt crines, eo biliosiores & sicciore videntur esse personæ. Hi fronte humili auribus coloris brunicantis, faciei gracili & tenui, oculis nigris, in quorum aspectu multus candor quandoq; percipitur; superciliis nigris, directo naso, sed aliquantisper adunco, labiis largis, pilis in barba nigris, buccis duris & gracilibus, collo tenui corpore gracili & tenui colore bruno, brachiis & manibus tenuibus & macilentis digitis vnguibus & tibiis longis: lingua aut coloris æruginosi aut citrinitatis participe, deniq; vrina & stercore citrino, vt plurimum præditi sunt. Multum coitum appetit cholericus: at parum potest ratione suę siccitatis, vnde spermatis copia ipsi deest: non multum dormit, parum comedit: vox eius est sonora & acuta vt buccina, & in omni sua conditione cholericus & iracundus.

Porro ex conditione sua interna contentiosus est, potationi deditus, & quam facillime ebrietate correptus, & tunc si ira excitetur, furibundus & sine temperantia more leonis euadet, maledicus est & malefactor, gloriosus & jactator, se periculo pro nihilo quasi exponens: & more tempestuoso se gerit in tali casu. Facile à muliere gubernatur, tametsi in tali familiaritate sibi noceat.

At vero si cholera sit rubea & citrinior ibi Luna atq; Venus in tali constellatione partem habent, tametsi in ea Sol etiam dominium sibi vendicet, vnde factum est quod istius conditio in multis conuenit cum Phlegmatico. Notandum autem est, quod istiusmodi complexio sit intrinsecus more bufonis seu serpentis plena; atq; ob istam rationem maculis & signis serpentum, vbiq; imprimitur: nam magis ardet hic intrinsecus, quam species prædictæ.

Concludimus igitur, quod Cholera sit vnus ex quatuor humoribus naturalibus corporis humani, virtute cuius vis attractiua sustinetur in suo vigore. Generatur in hepate, & sedem suam habet in cista fellis: habetq; vim suam

naturaliter attractiuam à ☉ & præternaturaliter attractiuam à ♂. atq; tunc inducere solet morbos à cholera rubra.

Humor iste est potentior in æstate vid. ab eo tempore, quo Sol ingreditur ♄. vsq; ad tempus in quo ☽ visitare solet.

C A P V T I V.

De signis complexionis, seu humoris sanguinei. Quenam sit eius constellatio: & cui Elemento subijcitur.

Habet sanguineus colorem instar Rosæ rubicundum pulchrum vultum rubicundas rotundas & pingues buccas: & labia rosea & densa, capillos flavescentes vel pulchrerter brunescentes & quandoq; raros pilos Barbæ & superciliorum vnius coloris, frontem amplā: tempora rotunda, aures rubescentes, nasum directum oculos pro sanguineo bruno nigricantes pro albo glaucos, dentes pulchros & æquales collum pingue & carnosum, cutim pinguedine extensam, corpus corpulentum & carne repletū brachia & membra pinguedine ornata; densas manus, sanguinem sub vnguibus apparentem; pedes & tibias pingues & non longas vrinam & stercora colore citrina; auri vel succini flauī instar.

Deniq; complexione fruetur natus calida & humida & pro constellatione sua ♀ sibi vindicare solet: at sanguineus brunus, vt & albus de ♃ magis participat. In libidine multum cupit gratia sui caloris & multum potest propter humiditatis suæ abundantiam: pro Elemento suo ærem habet: quoniam Aer habet in sanguineos dominium.

Signa animi ipsius sunt hæc. Coitui est plurimum deditus & cum quibus copulant homines istius complexionis diligunt valde: In omni voluptatis specie videlicet epulis saltationibus, Musica & cantilenis admodum rapiuntur. Affabiles & gratiosi sunt cura vacui esse solent: valde sunt fœcundi: vocem habent sonoram.

Atq; hic obseruandum est, quod sanguineus albus est magis mutabilis & inconstans, quam ille brunus: & quod ♃ sit Planeta melior quam ♀ & istorum ambo sunt Planetæ sanguinei; vnus albus: & alter brunus & nigricans.

Vbi vero complexio est sanguinea bruna seu aliquantulum nigricans facies adest bruna, cum rubedine mixta: capilli ad nigredinem inclinantes frons plena & pinguis, & corpus corpulentum: vt antea est explicatum.

Differentia inter Iouialem & Veneream naturam talis est: nam vnus habet capillos eburneos, & alter capillos nigricantes idq; in omni corporis loco. Atq; hac ratione cognosci potest mixtio eorum: nam sanguineus albicans mixtionem habet ♀ & ☾ vel ♃ & ☾: & sanguineus brunus cum ♀ & ♂: tamen vt mihi videtur, ♃ potius cum Venere se miscet in hac complexione: quod qui sanguinei sunt bruni, pulchriores sunt quam albi.

C A P V.

De signis complexionis Phlegmaticæ: seu humoris pituitosi. Quenam sit ipsius constellatio, Et cui Elemento subiicitur.

Phlegmaticus habet faciem pallidam & albicantem atque aliquantulum pinguem: sed non vt illa sanguinea: vultum bene positum: capillos tenues eburneos & molles, barbæ pilos ad rubedinem vergentes & non multos sed raros. Similiter in superciliis non adsunt multi pili: nasum curuum & plerumque fatis acutum in eius parte anteriori, & latam in posteriori labia densa & pallida

lida linguam pallidam; collum pingue & grossum; cutim mollem & crispam, corpus per totum albicans, oculos cæsius, brachia manus & unguis pulchros, ut sanguinei; staturam decentem, halitum suauem; excrementa pallida, urinam albam, ad spissitudinem tendentem.

Horum constellatio est *Luna*; unde humidi sunt & frigidi in natura sua: atq; ob istam rationem in Venere seu coitu multum possunt gratia abundantia materiae humidæ; & parum volunt propter naturam eorum frigidam præcipue in frigidis Lunæ Quartis: in calida vero Quarta augetur eorum actus. Participat humor iste præcipue de Elemento Aquæ. Ex conditionib. etiã animi eorum sic cognoscuntur; satis sunt iracundi subito ad iram mouentur, & subito deponunt iram, mutabiles & inconstantes sunt in operibus; & non ita sapientes, quoniam sunt omnibus largi. Consilium nõ seruant, quando ira commouentur. Temperati sunt & in vno loco commorari impatientes, non quieti cum seruis suis diu, nouas amant inuentiones, bene dormiunt, multæ cogitationes cerebra eorum occupant & multæ imaginationes. Quod faciunt leuiter & cito, & quod habent seruare nesciunt, multum laborant cum aliis, multæ sunt pietatis & compassionis & bonæ contemplationis. ☾. est ijs dominatrix: atq; ob istam rationem Lunatici & inconstantes sunt in operibus suis. Iam ridebunt & gaudebunt & mox tristitia & stupiditate afficientur. Eorum ingenium melius esse percipitur in casu subitaneo.

C A P. V I.

De humoris Melancholici signis: ipsius constellatione & Elemento.

HUmore melancholico à Natiuitate sua præditi colorem habent plumbeum, staturam satis longam, iuncturas amplas in qualibet corporis parte, & grossa ossa, faciem satis spaciosam & cutem cum magnis granis, tauri more; multos in capite capillos, duos & fusci coloris; & qui subito in canitiem migrabunt, aures grossas; rugas magnas in fronte & facie; supercilia pendentia cum multis pilis & longis, deorsum tendentes super oculos; vultum obscurum & superciliosum, frontem contractam, oculos flauescentes & ferociter inuidentes, magnum nasum, magna labia, & dentes magnos instar equorum, nasum & labia subpallida & male colorata; os magnum: unde multum comedunt & deuorant: collum ut cornu coreatum; magnas manus & pedes, longas tibias: genua magna: valde sunt neruosi, & venas habent amplas in æstate olent hircum: admodum fortes sunt: linguam coloris plumbi possident: & in corpulentia graciles & tenues existunt. Huius constellatio est *Saturnus*: quare humor iste in sua complexione est frigidus & ficcus. Istiusmodi conditionis homo parum in rebus Venereis appetit, quoniam est frigidus: & iterum, parum in actu potest, quoniam est ficcus. Quare in actu Venereo est hic omnium humorum pessimus.

Signa ex anima conditione sunt hæc. Raro aut nunquam sunt hilares: multum comedunt & bibunt: omnes habent in suspitione, non multum dormiunt, viri pro mundo auidi, deceptores & nullius conscientia; nemini confidunt, quod habent, firmiter tenent, cito irascuntur & pro nihilo quasi: & tardi sunt in remissione. Hi sunt omnium aliorum magis ingeniosi, cum vxore non diu pacifice viuunt, quicquid faciunt, est longæ operationis: nam tardi sunt in operando. Spiritu valde sunt elati, atq; superbi, & in gubernatione sunt cæteris excellentiores. Horum magister est

Saturnus.

C A P.

C A P. V I I.

In quo Planetarum inter se amicitia & inimicitia recitatur, & quomodo in sanitatis tuitione, & ratione Astrologica sit progrediendum.

Obseruauerunt Mathematici, quod tam amicitia quam inimicitia grandis & euidens sit inter planetas: nam inter *Iouem* & *Martem* magnum est odium; quemadmodum ex altera parte *Saturnus* maleuolentia persequitur *Venerem*: Quare ut *Iupiter* & *Venus* sunt vitæ creaturarum amicæ, vnde & *Fortunia* dicuntur ambo hi: Ita quidem *Saturnus* & *Mars* sunt vitæ inimici, & ob eam rationem, *Infortunia* dicuntur; & maleuoli.

Porro etiam *Luna* est *Marti* inimica, & *Ioui*: quatenus ipsius humiditas aquea, igneæ Martis dispositioni, eius vero frigiditas aereæ illi Iouis caliditati est opposita.

Similiter *Saturnus* est inimicus *Soli* & *Marti*, respectu suæ frigiditatis terreæ; & respectu suæ caliditatis *Veneri*. At vero *Luna* est amicus. Atque ita in cæteris.

His itaq; rite consideratis procedendum est hoc modo:

Cognita complexionem & planeta & signo prædominante; facillime dignosci potest, ad quam infirmitatem ipsa est magis procliuus. Verbi gratia: *Cholera* maleuole excitata per malum Martis aspectum facillime febrem accendit, bilemque naturalem in rem præternaturalem reducit. Sic etiam Sole æstiuo tempore cum canē (quæ est Stella Martialis) exurgente: febriles in sanguine excitat intemperies, idque præcipue in complexionem biliosa: Quamobrem vult Galenus, quod ut homines phlegmatici melius se tempore æstiuo habent, quoniam frigiditas aquæ, calore temporis æstiuo reprimatur, & hac ratione calidum innatū excitatur magis: ita quidem Cholericis melius tempore hyemali se habere dignoscuntur: quoniam nimia cholerae caliditas temporis frigiditate propitiatur: eiusque siccitas propter humiditatis prædominantis copiam refrænatur, vnde est quod illa tempestate humidum radicale magis exultet.

Hinc igitur sequitur; quod si Medicus sapiens perceperit magnum Martis dominium fore in Signo quodam Cholericis: verbi gratia in ♃. ♄. ♀. & quod maleuolo aspectu respiciat Solem vel Lunam, tunc præueniendi sunt istiusmodi Martis insultus, herbis vel aliis medicamentis, quæ subiiciuntur inimico Martis vid. Ioui; quæ etiam medicamenta tam purgantia quam alterantia in primis sunt eo tempore colligenda & componenda; in quo Mars sit debilis: & in suo casu vel detrimento, & Iupiter in sua dignitate domestica vel exaltatione, bono eum etiam aspectu respiciente: si sit possibile: nam ista ratione Medicamenta de proprietate Iouis, ipso in sua potentia & exaltatione existente collecta, ad maleuolos Martis prædominantis insultus repellendos & resistendos aptiora & fortiora reddentur.

In tali etiam casu, patiens debet Septentrionem & Occidentem respicere, & cubiculum ad eam quartam situm pro habitatione sua eligere: quousque dominium Martis & aspectus ille maleuolus sit præteritus.

Porro, quia Mars inimicus est Lunæ, beneuoli eius aspectus & medicamenta ei subdita & sub ipsa in sua exaltatione permanente confecta, mirum in modum proderunt. At si sanus sit complexionis phlegmaticæ, quoniam eius constellatio est Luna, & Luna tam in plenilunio quam in mansionibus humidis grauiorem & maligniorem in ipso sano reddit pituitam (& præcipue si maleuolo aspectu Saturnus eum respiciat, vel eum in naturam putridam conuertat, si Mars ipsam intueatur) ideo in casu priori Iouis prædominantis præsidia requi-

requirere debemus; & herbas seu animalia Ioui subiecta: & medicamenta sub eius dominio confecta in primis eligere: hocque præcipue si Luna Saturnum maleuole respiciat: at si cum Marte se applicet Luna, Medicamenta Venerea: in fortitudine Veneris confecta, in vsu erunt.

Adde, quod *Melancholici*, quibus Saturnus præest, Saturni malignitatem quando est admodum in cœlo potens & cum maleuolis aspectibus videlicet, vel Lunæ quam amat, tunc stupidos & graues reddet ipsos, si cum illis Martis furibundos & Lycanthropos, &c. Quare cum Venus sit dignitatibus suis exaltata Saturno opposita, medicamenta ei subdita collecta & confecta sub tali eius fortitudine mirifice valebunt. Similiter cubiculum ad Meridiem & Orientem spectans in primo casu, & Occidentem in secundo est in primis eligendum. Et sic in cæteris.

Quæ autem sunt medicamenta illa tam simplicia quam composita, quæ Planetis subiiciuntur, in *Volumine sequenti*, vbi agetur de medicamentis Animalibus, Vegetabilibus & Mineralibus, clarius explicabimus.

C A P. V I I I.

Quid Medico faciendum, si mali quidpiam sani facultati animali vitali & naturali futurum præuideat. Et quomodo in naturali, virtutis attractiua, digestiua, retentiua, & expulsiua defectum aut detrimentum futurum præueniat.

In primis cognoscere debemus (Methodi melioris gratia) virtutum cum generalium tum specialium ordinem & dispositionem: quam hic cum suis constellationibus in series suas distinximus.

Species: & ista mēbris generationis inseruit. Estque eius constellatio, ♀.

Visus; in humore oculi crystalino est ortus, qui consistit ex frigido & humido: eiusque constellatio est ☾.

Auditus; consistit in frigido & sicco, cui præsidet ♄.

Odoratus; ex calido & sicco: cui præsidet ☉ & ♂.

Gustus; ex calido & humido & ☿ est eius Dominus.

Tactus; nulli parti speciali assignatur, sed se extendit ad totum corpus instar retis: & hic ex 4 qualitatum temperie consistit.

Motiuæ quæ facit motum voluntarium per nervos & musculos in vniuerso.

Huic prædominatur ☾.

Princeps, Sensus communis } In 1 vetriculo } Et vim

estque Imaginatiua } In 2 vetriculo } principalem in

multi- AEstimatiua. } In 3 vetriculo } his habet ☿.

Rationatrix. } In 3. } bet ☿.

Memoratiua. } In 3. } bet ☿.

Vitalis in corde: quæ per arterias efficit motum: vitæ perquam necessarium. Hæc præcipue gubernatur ab influenza Solis.

Naturalis: in hepate; cuius vis

Primaria } Sanguinis. } } cui præsidet ☿.

versatur } Cholerae. } } ☉ & ♂

in 4. humorum } Pituitæ, } } ☾.

creatur. } Melancholiae. } } ♄.

Secundaria } Nutritione. } } in qua

versatur in } Augmentatione } } ☾ & ☉.

Generatione. } } Cc

Principale: estque istiusmodi virtus; vel

Animalis; in cerebro: est que vel

Individui, atque hæc est vel

Duo sunt virtutum corporis humani genera: Quarum unum est,

Minus principale: Vide A.

Cc

<p>A. Virtutes minus principales sunt principalibus ministræ, & quasi ancillæ: suntq; 4. vid.</p>	<p><i>Attrahens</i>: quæ est in tē- perie sua calida & sicca & ♂ & ☉ subiicitur, opera- tur autem hæc per fibras rectas in administratione</p>	<p><i>Animali</i>: quæ fibræ sunt in vetiis arteriis, neruis, membranis & aliis partib. tã carnosis q̄ mēbranosis. <i>Vitali</i>: Nam cum fibræ istiusmodi in cordis substantia contrahuntur tunc reliquis fibrarum speciebus relaxatis cor dilatatur: & iste mo- tus Diastole dicitur.</p>
	<p><i>Retentrix</i> quæ est in tempe- rie frigida & sicca: & in- fluxus reci- pita ♄. <i>Concoctrix</i>, consistitq; in calida & hu- mida tempe- rie: & huic præsudet ♃.</p>	<p>Et operan- tur istæ duæ per obli- quas fibras in facultate</p>
<p><i>Expultrix</i> consistens in fri- gidityte & humiditate: at- que istius cōstellatio est ☾</p>	<p><i>Animali</i>: vt supra. <i>Vitali</i>: nam hæc fibrarum species substantiæ cordis insita actione sua producit quietem inter systo- len & diastolen.</p>	<p><i>Naturali</i>: vid. in externa Venti- culi & intestinorum tunica, & in venis & cista fellis, & c. quæ tam retentium quam digestium mu- nus obeunt.</p>
<p><i>Animali</i>: vt antea. <i>Vitali</i>: nam fibræ cordis transuer- sæ se contrahendo rectas relaxant & hoc modo cor contrahitur qui- dem & reprimitur.</p>	<p><i>Naturali</i>: & hæc fibræ species se- cundam seu mediam ventriculi & intestinorum tunicam tenentes & constituentes & in cista fellis & renibus & c. expulsivam in iis procurant facultatem.</p>	

Vt ergo istius distinctionis subiectum habuimus ex Philosophis & Medi-
cis peritioribus, & fide dignis habemus; quippe de quo Galen. *De virtute no-
strum corpus dispens. & de sympt. diff. cap. 3. & in synopsi de puls. cap. 34. & de natural.
facult.* Atq; etiam Auicen. *prima primi. doct. 8. & 16. c. 3. & ib. c. 2.* mentionem fe-
cerunt amplam: Ita quidem de virtutum istarū constellationibus, ipsum Pro-
lemæum *prop. 86. Centiloq.* loquentem reperietis. Nam *ibi* agnoscere videtur,
quod Sol sit principium facultatis vitæ, ♃ facultatem naturalem impluere ☿
in animali, phantasia & sensibus vim dare: similiter à ♄ initium facultatis re-
ductricis siue retentricis est sortitum, Iouemq; facultatis augmentatiuæ ♂ fa-
cultatis irascentis & attractiuæ, rectorem esse agnoscit. ♀ illius voluptuosæ
& concupiscibilis fontem facit. Porro & ipsi & alij facultatem generatiuam
influentiis ♀ ascribunt: illam vitalem Soli.

Ex humoribus in virtute naturali productis, sanguinem Ioui: Choleram
naturalem Soli: vt & illam præternaturalem Marti: quamuis nonnulli alij
istum humorem Soli & Marti simul attribuunt, Pituitam ☾. Melancholiam
♄, nam confidenter asserunt, quod Mundi inferiora tanquam passiva à supe-
rioribus quasi actiuis dependent: volentes actus superiorum in inferiora esse
mediantibus influentiis suis factos.

Hinc

Hinc etiam virtutem attractiuam temperate calidam & siccam in ☉. influentia consistere volunt: & non in illa ♀. vtpote, qui in natura sua vt plurimum est corrupta. Virtutem autem digestiuam influentis Iouis ascribunt, illam vero retentiua Saturno. Deniq; virtutem expulsiua Lunæ.

Hic autem obiter dicunt Astrologi, quod ☾ inter cæteros planetas plus virtutis habet & dat suis influentis quam aliquis aliorum, quatenus ipsa propinquius nobis existens gratia humiditatis cui prædominatur, maxime gubernat & disponit humores in corpore humano: atque eo magis quoniam ipsa habet influentiam super Phlegma siue pituitam: At pituita nihil aliud est quam sanguis semicoctus: at sanguis est humorum princeps. Similiter cholera nihil aliud est quam spumosa sanguinis superfluitas: vt phlegma, aquea: & Melancholia fæculenta & terrestris. Quare sequitur ex necessitate, quod ☾ debet esse potentissima ratione sui influxus in corpore humano & omni re humoralis in toto mundo.

Præterea obseruatu dignum est, quod vt in campo Æthereo duo numerantur Planetæ, qui per se nullam aut saltem non magnam ad vitæ utilitatem & continuationem influentiam producant, vid. ♄ & ♃. Ita quidem in corpore notantur esse membra, quæ minime per se ad vitæ continuationem conducunt, sed solummodo per accidens ad eius sanitatem agunt vid. cista fellis, qua recipit & attrahit ad se choleram adultam, vt hac ratione membra reliqua minime vltra leges naturæ accendantur & in intemperiem febrilem redigantur. Et Splen, siue lien, qui est Vas siue promptuarium ad sanguinem fæculentum & melancholicum recipiendum ordinatum. Hinc ergo est, quod vt ♃. habet dominium in cista fellis: ita quidem ♄. in lienem.

At iam vt ad propositum reuertamur, & vsum harum constellationum ad quatuor dictas virtutes spectantium, ad sanitatis præseruationem conuertamus: dicimus quidem quod, vt illa attractiua (quæ consistit in caliditate & siccitate) debet tunc corroborari & consolari cum similis regnat in cœlo Virtus, verbi gratia, cum ☾ sit in signa calido & sicco, cuiusmodi est ♋. & ♌. sed in ♍. quippe, qui est signum Zodiaci nimis forte: & influentiam habet in corde humano & consequenter in ventriculo: quare eius virtus est tam fortis, vt ♍. non eligetur pro operibus medicinæ, siue Luna sit in eo vel in ascendente vid. nec pro laxatiui administratione; aut confectionis compositione; aut sanguinis missione.

Quare confectiones ad hoc opus melius fiunt luna existente in ♋. aut ♌. & non in ♍. At vero ille qui festinat virtutem attractiuam aut contra futuram eiusdem labefactionem subito necessitate urgente fortificare & statuminare aut eam iam nunc labefactatam curare, & non potest expectare præsentiam ☾ in ♋. aut ♌. eligat saltem tempus in quo cœli Ascendens erit ♋. vel ♌. vt hac ratione radix superior consolari queat radicem inferiorem. Similiter, qui corroborare vult virtutem facultatis retentiua contra periculum vel præsens vel futurum expectabit tempus in quo ☾ ingredietur aut inuenietur in signo frigido & sicco: verbi gratia cum erit in ♏. aut in ♐. & nõ in ♑. vtpote, quod est signum retrogradum. In hoc ergo tempore ad facultatem retentiua (quæ à Medico pro futuro suspicatur) tuendam vel iam labefactam restituendam, confectiones & alia medicamenta, quæ ad facultatem retentiua corroborandam valent conflari; atq; à medico seu pharmacopæo componi debent.

Porro iuxta sententiam meam, herba, aut planta in tali tempore sunt colligenda, quæ conferunt ad istiusmodi effectus. Vbi autem futura virtutis concoëtrici siue digestiua lapsus & decrementum præuidetur vel præsens imminet in ea periculum existat luna in signo calido & humido verbi gratia in ♎. & in prima medietate ♏. & in ♐. quando aut confectiones aut alia medicamenta

condiderit medicus. At si necessitas requirat *festinationem*, fiat compositio dum aliquod dictorum signorum fuerit ascendens. Si *facultatem expulsiuam* vel contra *malum futurum* vel *presenti malo labefactam* aut *debilitatam* rectificare velit medicus, colligat & componat ipse confectiones & medicamenta ad tale negotium apta, dum ☾ sit in signo lubrico: vid. frigido & humido; vt in ☽. ♃. & ♄: Et sic in cæteris.

Concludimus igitur, quod hoc modo, vbi facultas vel virtus aut *attractiua* aut *retentiua*, vel *concoctrix* vel *expultrix* timetur à Medico videlicet quod in deterius vergendo, possit sanitatis limites præterire; ibi medicum peritum suademus vt summopere subsidium ab istiusmodi Ætheris constellationibus petat: cum tritum & expertum sit vetus illud Axioma: *Vis unita fortior*. Idque eo magis, quia Cælum est Mas & actus: vt & hoc inferius, fœmina & patiens: Quare si hanc vel illam impressionem in cera efficere velimus: sigillatim iuxta naturam rei, quam imprimere velimus, eligere conuenit. *Omnimodo igitur fugienda sunt atq; euitanda contraria Cælorum influentia*; nam quis (obsecro) Medicorum Astrologiæ peritus ventris lubricitatem lubricibus sistere, aut febris ardentis calorem mitigare calidis: aut ventrem nimis durum, rebus stypticis & constringentibus emollire: aut rebus concoctioni aduersis, ipsam adiuuare; aut rebus natura frigidis & humidis attrahere tentabit & aggredietur?

Cum igitur res omnis fortificatur suo simili, *expectanda est constellatio in auxilium virtutis labescentis, qua semper debet esse eiusdem naturæ, cum illa re, cui opem afferre debet*. Nam simile suo simili gaudet & reficitur.

Præterea medico perito suademus, vt minime *mansiones Luna* negligat, quoniam ipsa in mansione calida & sicca magis conferret virtuti attractiua: in frigida & sicca, retentiua: in calida & humida, digestiua; & in frigida ac humida expulsiua: nam inueniet ipse gradus in eodem signo natura varios, vt in *Tabula mansionum Luna* in *Tractatus secundi sectione*, de curatione Astrologica explicatur.

C A P. I X.

In quo arguitur, quod tempora Electionis in phlebotomia & medicamentorum tam purgantium quam alterantium adhibitione, & superfluum à corpore excisione in sanitatis conseruatione sint admodum necessaria.

QVONIAM apud homines intra sanitatis limites manentes frequens est tam vernali, quam Autumnali tempore non morbi alicuius præsentis, sed præcautionis causa, sanguinis missione; medicamentis laxatiuis, & istiusmodi aliis remedijs vti, atque etiam non modo iisdem anni quartis, verum etiam æstiuali, atque hyemali tempore aut in Balnei & lotionis vsurpatione, aut in crinium aut vnguium sectione Electionis obseruare tempora. Ideo, de *temporis Electione*, in primis in sanguinis ad sanitatis præseruationem, missione: ac tum postea de illis ad medicamentorum administrationem pertinentibus; ac in ultimo loco de superfluitatum præfectione verba faciemus pauca.

Ad *venæ autem sectionem*, quod spectat, in primis consideranda est *sani complexio*, corporisque ipsius *habitus*: deinde ipsius *etas* minime est negligenda: nam qui ad Hydropicam dispositionem sunt procliuēs: his nullo modo nisi extrema vrgeat necessitas sanguinem mittere velimus.

Porro vbi *puerilis* aut *decrepita* adest *etas*, ibi tardi & non sine magna consideratione sanguinem trahere suadebimus. At si ad morbum aliquem futurum præueniendum sanguinem auferre velimus, *tempus* quidem ad hoc negotium

gotium

gotium magis commodum est cum ☾ sit ab omnibus impedimentis magis libera & aspectum bonum cum ♃ vel ♀ habuerit. Obseruandę etiam in hoc casu sunt *signorum Zodiaci Natura*: Nam ☾ existente in Signis sanguineis & phlegmaticis & aereis bonum erit, si alia nō obstant: nec nō & 4. ☾ quartę in tali casu non sunt cōtemnendę. Nam in *prima* eius quarta quę se extendit à ♀ ad ♀ primam; sanguinis missio iuuenib. maxime conuenit. In *secunda*, quę est à prima ♀ vsq; ad ♀ sanguis magis proprie est deducendus in ætate virili. In *tertia*, quę est à ♀ ad ♀ secundam, sanguis ex homine medicę ætatis est eliciendus: at vero vbi magna vrget necessitas tundatur vena in senibus à ♀ secunda ad ♀.

Et quamuis hæc præcepta non sint ita stricte obseruanda; quin etiam vbi cogit necessitas tempora ista mutari possunt: tamen quoniam Luna est respectu assiduitatis suę influentię, & propinquitatis suę naturę maxime cum terrestribus familiaris: ergo iuxta ætatis suę dispositionem ordinatur ætas etiam humana, atq; ob istam rationem maxime conueniunt ætates eius cum illis uiuentibus.

At vero dicimus quod *sanguinis missio* est per leges Astrologicas *prohibita* ☾ existente in ♀ cum ☉ idq; per biduum aut ante, aut pone: Similiter ☾ in ♀ cum ♃ currente, similiter non est bona in ♀ ☾ cum ☉ ♃ & ♀ videl. per spacium 12. horarum ante vel post. Similiter vena non est conuenienter secunda spacio vnus diei naturalis ☾ existente in ♀ cum ♃ ☉ ♀.

Sed quoniam de exacta Lunę in Phlebotomię conditione clarius & luculentius in *Discursu illo de Phlebotomia* quam *Tractatu consequenti* explicauimus, ideo de ea hoc in loco plura non dicemus.

Eadem plane ratio est habenda in *Astrologica Medicaminum administratione*: nam Signa humida, vid. ♄ ♃ & ♃ obseruantur esse magis commoda ad facultatem purgatiuam seu expultricem excitandam. Si igitur in hisce transeat ☾ bona & fortis in hoc opere officium præstabit: lubricior (inquam) reddetur aluus & ☾ propter dispositionem hanc suam humidã plura reiiciet excrementa. Hoc etiam & idem præstabit ipsa in signis aereis ♀ ♃ ♃. Imo vero in his excrementa magis attenuat ipsa.

At vero à ♄ maxime præcauent Medici Astrologici, quoniam ille in corde & ventriculo vires suas habet. Quare ☾ in ♄ existente, vel ipso ascendente non bene operabitur medicamentum purgatiuum, quoniam tam ventriculo erit fastidiosum quam ob ♄ siccitatem non ita lubrica inuenietur aluus.

Non erit etiam exigui momenti res, si in medicamentis propinandis eligatur *hora* illa in qua signum faustum erit ascendens, & cuius planeta sit positus infra terram. Hęc est itaque ratio quod medicamenta istiusmodi plus præstare solent; & maiori cum vtilitate obseruari vernali & autumnali tempore, quam aut æstate aut hyeme assolent.

Hic etiam obseruatu dignum existimamus, quod ☾ transiens per ♄ & respiciens ♀ vel ♃ vel ♃ virtutem expulsiuam corroborat, quo phlegma cum Electuario facillime secernatur. Si autem aspiciat ♃ educit melancholiam. At vero ☾ existens in ♃ & aspiciens ♀ per ♃ vel ♃ choleram potius expellit. At si cum ♃ iungatur in iisdem aspectibus, operam dat in secretionem humoris Melancholici.

Similiter prægrante Luna signum ♃ & aspiciente ♀ per ♃ vel ♃ humor choleticus pilulis facilius & bono cum successu purgatur.

At si ipsa aspiciat ☉ & ♀ Melancholia pilulis deorsum melius vrgetur: Denique sciendum est quod cholericæ ♀ natura virtute ♀ excernitur melius: vt & illa Saturni Melancholica per calidum & humidum ipsius ♃: Atque sic in cæteris.

Sed quoniam de *temporibus* istiusmodi in medicamentorum purgantium adhibendorum Electione, *Volumine sequenti*, ubi de Medicamentis in genere egimus, sermonem fecimus vberiolem, plura hoc in loco de hisce non loquimur.

At iam ad commoda *Balneorum & lotionis corporum tempora & constellationes* perueniemus.

Si quis in *Balneo* se ab immunditie vel fætoris purgandi causa lauare voluerit, præuideat suadeo an ☾ vel per ♀ vel ☿ obambulet, & si ipsa ♀ beneuolo aspectu se applicet. Nam tale tempus ad istiusmodi negotium optime adaptabitur.

At si quis *sanus* se ipsum lauare aut balneo reficere velit, propter metum alicuius intemperiei quæ ei euenire potest, videndum in primis est an illa intemperies futura debeat esse vel ex siccitate, vel humiditate, vel alio humore, orto. Si enim ad talem morbum futurum medicamenta siccantia sint requisita: verbi gratia: ubi paralysis vel hydropisis minatur, opus erit illud tempus expectare in quo ☾ signum aliquod igneum inhabitauerit, & aspectum vel radiationem habeat conuenientem cum ♂ & ☉ bene dispositis & fortunatis.

Si vero *morbis futurus* humida requirat medicamenta, obserua tempus in quo ☾ per signum aliquod humidum transeat, & ♀ & ♃ aspectu aliquo fausto intueatur. Tales (inquam) conditiones & præcepta talia obseruare & sequi debet Medicus si ad præcautionem morbi alicuius futuri, sano balnea inire consuluerit.

Denique in *capillorum & unguium præsectione* res est, maximi momenti tempora Lunæ & constellationes cœlestes per quas ipsa transit, colligere, ut ipsis rite obseruatis, illiusmodi naturæ superfluitates tardius in sano crescant aut citius. Tardius (dico) quando prompto ipsarum incremento debilitantur sani vires, atq; etiam magis graciles redduntur: uti ego ipse in nobilissima quadam fœmina obseruaui; cuius crines ita in longitudine & multitudine sunt multiplicati, ut vires ipsius admodum ipsorum copia essent deiectæ: & facies cum toto corpore, macie indecente erat confecta: Quod quidem non solummodo ab inclinatione naturali, sed ideo fortasse eueniebat; quoniam in mala hora, & in incremento Lunæ erant præsecti. Nam in hora bene electa ipsi tum postea præcisi & decurtati, non ita subito crescebant.

At vero, e regione, quando *caluities* adest, aut ubi comæ raræ adsunt, ibi eligendum est sectionis tempus seu constellatio qua ipsæ in maiori multitudine tum postea crescant. In priori ergo casu, capilli decrecente Luna; & in ♀ existente sunt scindendi.

Præterea si capillorum vberiolem prouentum *prohibere* volueris, eorum instituat præsectio sub signis ☿. ♃ vel ☿ fausto nihilominus aspectu concomitante. Porro, ubi crinium in tali tempore sectio fit, postea excrescent, & à putredine præseruabuntur.

At vero in casu altero, ubi ipsæ comæ sunt ornatus gratia *nutrienda*, fiat earum præsectio ☾ accrescente & in signo crinito, eiusmodi sunt ☿ ♃ ♀ bono existente ipsius cum ♀ & ♃ aspectu.

Denique in *unguium præsectione*, hoc est obseruandum, quod ut ipsi non ita subito recrescant, in Lunæ decremento, eos decurtare solent nonnulli. Aliqui vero ad meliorem unguium post sectionem confirmationem, & ad impediendum ne in affectionem Apostematum incidant, eos scindere assolent, dum ☾ accrescat, & mansionem suam habeat in domibus ♀ & ☉.

C A P. X.

De mensium & dierum pro rebus ad sanitatem pertinentibus electione.

NEc quidem friuolam & inanem esse mensium & dierum hac in re electionem cum ipsas literas sacrosanctas huic proposito quodammodo inclinatas inueniamus: vid. vnicum anni mensem, diem atque horam esse alio infastio-
Iob. 7. 8.
8 26.
Ephes. 6. 12.
Eccl. 7. 14.
 tiorem & minus ad hoc vel ad illud, propitium. Hinc ait Christus: *Nondum venit tempus meum.* Et alibi: *Nondum venerat hora eius.* Et Apostolus ait: *ut possitis resistere in die infasto inuasionibus Diaboli.* Et Sapiens ait: *In die bono fructus boni & malum diem præcaue.* Sicut enim hanc sic illam fecit Deus, ut non inueniat homo contra eum iustas querimonias. Quibus euidentis est, idque experta Sapientiae veteris doctrina confirmatum, quod tempora tam fausta quam infasta ad hoc vel illud in Mundo peragendum reperiantur.

Observatio igitur Veterum in multis rebus & præcipue in sanitatis tuitione quod vnus mensis alio, & in eo, vna dies alia; Et in die vna, hora alia sit magis infœlix. Hinc ergo experientia docti, volunt quod, *Mense*

Ianuarij: vini albi potatio conuenit. Phlebotomia prohibetur, præcipue in diebus eius periculosis: quos faciunt, 1. 2. 3. 4. 5. 15. 19. 20.

Februarij: prohibent sanguinis missionem in venâ pollicis, nec (nisi vrgeat Necessitas) fiat Phlebotomia in diebus eius periculosis qui sunt, 12. & 29.

Martij: comedere ficus, uvas passas, & alia Esculenta & poculenta dulcia. Dies 17. pro malo æstimatur.

Aprilis: conuenit sanguinis missio: præcipue in dextro brachio idq; ubi visus debilitas metuitur. Phlebotomia die tertio conuenit pro dolore capitis. Sit in hoc mense cibus recens & calidus.

Maij: Surge diluculo, utere cibus & potu calidis. De pedibus & cerebris animalium ne comedas. Ne fiat sanguinis missio in diebus periculosis: qui sunt 7. 15. 16. 20. Sed in diebus 4. 5. aut 6. & in fine. Phlebotomia fiat in utrovis brachio vel ad præcauendum malum vel propulsandum.

Iunij: comibere omni die ieiuno stomacho haustum bonum aquæ gelidæ, sisque in comedendo moderatus. Abstine, si possis à Phlebotomia: & præcipue die 7. qui est periculosis.

Iulij: abstine à coitu; quia humores ascendunt ad cerebrum: Abstine à sanguinis missione, & præcipue diebus 15. & 16. qui maleuoli dicuntur.

Augusti: Ne perdas sanguinem in diebus periculosis: qui sunt 19. 20.

Septembris: Fructus maturus iuuat: & dies 17. maxime conuenit sanguinis missioni pro Hydrope, Febre aut Paralyfi.

Octobris: Mulsum & vinum conueniunt. Sanguinis missio non ita valet: & præcipue die 6. qui est periculosis.

Novembris: Caue ab his diebus 15. 19. in quibus ne ingredere Balnea calida.

Decembris: Comede cibus calidos. Fiat sanguinis missio, si necessitas cogat. Dies eius periculosi sunt duo, 2. 17.

Atque hæc nobis sufficiant de rebus istiusmodi in Astrologia coniecturalibus, quæ præcipue conducunt ad sanitatis tuitionem & corporis sani reformationem.

Iam vero ad negotium in Astrologia magis certum progrediemur, quod modum & rationem ostendit, qua Medicus peritus ad Naturæ sani interiora melius & facilius penetrare, & de morbis tum postea futuris præueniendis rectius cogitare poterit.

LIBER SECVNDVS.

DE

COELESTI SANITATIS TVE NDAE
METHODO.

CAP. I.

Quomodo Natiuitatis reuelatione semel cognita quispiam Astrologiæ peritus mala Sanitatis futura, facile impedire valeat.

Lib. 5. centiloq.



Vamuis hoc à nobis propositum, non necessitate prouenire dicamus, tamen illud iuxta Naturæ cursum proferre, est quidem admodum probabile. Hinc igitur ait Ptolemæus, peritus atq; sapiens ille Astrologus, *multum malū impediri potest, quod per astrorum cursum euenire ordinatur, si ipsorum dispositionē prius intelligat.* Illa enim ab ipso cognita, nō erit difficile malo præuenire, quod sane per *Natiuitatis suæ constellationem* impendet: tritum istud axioma verificans, *Sapiens dominabitur astris*; Verbi gratia: Si sanus esse à natura sua & ex constellationis suæ dispositione aptus in infirmitatem aliquam calidam & siccam siue biliosam incidere, medicus sagax in hoc casu, huic malo occurrere potest nato adhuc sano alterantia medicamenta administrando, quorum est frigefacere & humectare: quæ quidem sunt vt plurimum eo tempore adhibenda, quando ☾ est in quarta humida & frigida, & mansione tali, vel saltem ipsa in vnico ex signis frigidis migrante & existente: debetque sanus istiusmodi medicamentis per bonum spacium vt ante tempus malum in quo tale minatur: hoc enim modo, aut totaliter annihilabitur maleuolus constellationis futuræ effectus: aut saltem mirum in modum mitigabitur, & attenuabitur eius influenza.

CAP. II.

Quid sit Natiuitatis reuolutio: Et ea primum cognita quid tum postea faciendum.

IN primis igitur, vt ad istius cognitionis & scientiæ perfectionem perueniamus, necesse habemus scire quid sit *Natiuitatis reuolutio*: & quomodo ab Astrologo recte intelligatur. Obseruare igitur debemus gradum signi seu Eclipticæ lineæ directū quo ☉ natiuitatis hora existit; imo vero, si fieri possit, ipsum temporis minutum in quo infans erat natus. Verbi gratia: Infans est natus Sole existēte in quarto gradu ♋ cum quibusdam eiusdem gradus minutis, tunc locus in quo inuenitur Sol, erit dictus gradus natiuitatis, nō tantum in partu infantis, verum etiam per integrum vitæ suæ spacium. Quare cum Sol anno sequenti est eundē peruenerit gradum 4. ♋ cum min. tunc dictus est iste natiuitatis illius reuolutio. Atque ita quolibet anno successiue sequenti, durante
vita

vita nati complebitur natiuitatis eiusdem reuolutio vnica. Et tunc, secundum illam horam & numerum horæ in qua ☉ perficit ad locum eundem anni reuolutionem Schema quolibet anno cœleste erigas, & adaptatur Ascendens quolibet anno vti tempore prædicto: deinde exprime planetas in locis suis & cætera Schemati Cœli necessaria adde. Denique, quid sit nato tum postea euenturum, iudica: nam melius est, *vt medicus præueniat malum, quam a malo præueniatur.*

C A P. III.

Quid faciendum, vbi hora & gradus natiuitatis non cognoscitur.

IN tali casu, iuxta documenta Ptolemæi in *Quadripartito*; iudicandum & operandum erit per coniecturam horæ vitæ & minut. idque tam certe, quam possumus: quod quidem sic præstabimus super horam incertam.

Dispone domus cœlestes tam perfecte, quam sit possibile, & collocentur in iis, vt artis est, Planetæ. Tunc respicias velim quis Planeta sit fortissimus in figura facta super locum ☉ luminarium, aut ☉ immediate ante Natiuitatem factæ. Isto autem maioris fortitudinis planeta inuento, considera eius locum in figura Natiuitatis præsuppositæ: & nota quot gradus & minuta in Signo, in quo est in tempore natiuitatis illius transuerit. Tum sume hoc pro tuo fundamento, videl. quod planeta qui habet maiorem fortitudinem in hora ☉ vel ☉ debet poni & exprimi in simili gradu dicti Signi, in quo erat natiuitas præsupposita: in quibuscunque gradibus erat inuentus in aliquo signo. Exempli gratia. ☉ luminarium immediate præcedens natiuitatem potest esse in 4. gradu ♃. ☉ autem ibi in loco ☉. est maximæ potestatis, & consequenter, est Dominus. Tunc respicere debes, quot gradus ☉ ambulauerit in Signo in quo est inuentus in hora natiuitatis, vt si ipse fecerit grad. 6. & 2. minu. ♀ tunc ☉ est in hora natiuitatis in fine 7. grad. ♀. capies hoc pro fundatione tua, quod ille Planeta qui est fortior cæteris in loco ☉ in hora ☉ in hora natiuitatis in 7. grad. Signi in quo signo est hora natiuitatis & non hora ☉ aut ☉ sed natiuitatis: atque hoc erit primum fundamentum.

Fundamentum secundum inuestigationis veri gradus Ascendentis cuiuslibet Natiuitatis est tale. Obserua Figuram seu Schema Cœli, factum per coniecturam ad inueniendum Ascendentem Natiuitatis, & tunc quære in quo loco Cœli est Planeta qui maiorem in Cœlo habet virtutem in loco ☉ & hora ☉ & cui ex duobus angulis, hoc est, an Ascendenti, vel illi medij Cœli Planeta ille sit propinquior ☉ verbi gratia: Si ☉ sit inuentus per Figuram præsuppositam propinquius angulo 10. domus, tunc 7. grad. signi præsuppositi est principium 10. domus. Et si Planeta in hora natiuitatis sit propinquior angulo Ascendentis, tunc tota figura sic & taliter formari debet: vt 7. gradus signi præsuppositi debet esse Ascendens: atque ita ex gradibus 30. cuiuslibet Signi qui erant in operis principio, siue propter horologij defectum, aut propter negligentiam eorum qui deberent obseruare verum horæ minutum, in Natiuitate. Et per istam viam cognoscitur & inuenitur sine dubio proprius gradus per fortitudinem loci ☉ aut ☉ & per propinquitatem Planetæ ad duos dictos angulos in hora Natiuitatis.

Sed ad huius rei declarationem adhuc planiorem Exemplum hoc vestris oculis producemus.

Natus est Infans die 27. Februarij in hora & die ☿ qui fuit die 27. Februarij in hora ♃ & sit ita quod Figura ☉ ☉ & ☉ immediate præcedens natiuitatem istam esset in ♃ grad. 15. & 16. min. & quod ♀ habeat ibi maiorem fortitudinem, vid. Triplicitatem & Exaltationem in loco ☉ & hora Natiuitatis antea præsuppositæ ♀ fuit in 2. grad. 12. minu. ♃. hoc est in 3. grad. ♃ prope

D d

angu-

angulum medij Cœli: atq; ita 3. grad. \approx inuenietur in principio 10. domus; & in 22. eiusdem grad. quoniam ♀ in hora Natiuitatis inuenta fuit prope angulum medij cœli.

Hic autem est notandum, quod 10. min. non multum important seu referunt in hoc negotio.

C A P. I V.

In quo Iudicium seu mali futuri, ex veræ natiuitatis horæ obseruatione præueniendi ratio.

Cognita ergo in hunc modum sani Natiuitate; graduq; Ascendentis sic inuento, cœterisq; Planetis in domib. rite dispositis, aptissima facta erit præparatio ad præuidendum atq; præfagiendum de pluribus in Annorum reuolutione incommodis quæ nati sanitati obesse queant: verbi gratia: Si Eclipses ☉ & ☾ factæ fuerint in gradu Ascendentis in Natiuitate, aut iuxta eum, hoc est, non distans ab eo per 2. aut 3. grad. ante nati partum, arguit aliquod intra dimidij anni spacium aut citius, periculi euenturum.

Atque ille maleuolus euentus siue sit morbus seu accidens aliquod aliud erit eo maius & periculosius si Eclipsis fiat in angulo Asc. intra graduum prædictorum numerum: Et si accidat malum pollicitum, post eos gradus, euentus non erit adeo periculosus, sed tamen nihilominus in periculo erit. Hoc idem intelligendum est de ♀ & ♃: sed tamen hi non afferrent tam magnum damnum, si in gradu Ascendentis, vel prope ei, eodem tempore fuerint in annis reuolutionis. Atque eo erunt ipsi periculosiores, quo magis infortunati, retrogradi, aut combusti.

At vero, vt de morbis nato futuris sermonem instituamus, Inuenta natiuitate & gradu Ascendentis in Figura more solito disposita, figuraque Planetarum præsentia ornata; obseruandæ sunt diligenter dispositiones Domus 6. & 8. Et videndum est, in quo loco eorum Domini sunt, & an sint fortes & si Lunam vel Planetas maleuolos, & in fortitudinibus suis aspectu maleuolo putas ☽ vel ☿ aspiciant, & quæras diligenter si applicationem faciant infauftam cum Domino Ascendentis, vel vitæ nati, & præ omnibus inquirendum est, in qua anni quarta, & tum postea in quo Mense septimana die & hora maius imminebit periculum in anno reuolutionis. Nam per diligentem istiusmodi inquisitionem tempus futuri mali prædicere solet Medicinæ Astrologicæ peritus. At vero locus, seu membrum in corpore minatum, & natura morbi futuri facillime dignoscetur obseruatione naturæ signi domus in qua reperitur planeta qui est Dominus sextæ: quod signum indicabit membrum malo afficiendum, vt & illud domum sextam occupans declarabit qualitatem & conditionem morbi præuisi.

Quodnam autem in corpore humano membrum signum in Zodiaco quodlibet sibi vëdicat, similiter quales sunt signorum dictorum cōditiones, & quos morbos in corpore humano producere solent, in Tractatu sequenti, vbi de cœlesti morborum causa agetur, plenissime dicemus.

Notandum autem est obiter, quod quo plura in Natiuitate vel reuolutione sanitatis testimonia reperiuntur, eo paucioribus morbis natum obnoxium fore iudicabis: Quo plura testimonia infirmitatum eo morbis pluribus: atque sæpissime accidit, quod ♃ aut ♀ sit morborum Author vel singulus per se, vel ambo simul: Verbi gratia: Si eorum vnicus, sit Dominus in reuolutione vel natiuitate, vel Horoscopi, vel sextæ.

Nec quidem peritum Medicum latere decet, quod reliqui Planetæ præter ♃ & ♀ dupliciter affligi dicuntur; videl. propria sua imbecillitate aut malignis radiis

radiis

radiis ♄ & ♃ qui sunt infortunati. Quare si prædicti Planetæ cum sunt in Natiuitate Significatores, duobus hisce modis simul affliguntur, effectus erit eo vehementior; at si vno videl. imbecillitate aut solo aspectu maleficorum, minus malum erit.

Significatores autem valetudinis & infirmitatis sunt Dominus Horoscopi, Luminaria, & præcipue ☾ Signum & Dominus sextæ domus & planetæ vel planeta in sexta domo, vel in natiuitate, vel reuolutione. In horum autem Significatorum quolibet, duo veniunt consideranda: primo, an sit fortis, vel imbecillis; secundo, an sit liber à malignis radiis prædictorum duorum videl. ♄ & ♃. Si ergo omnes dicti significatores sunt fortes & liberi, valetudinem arguunt; sin minus, infirmitates haud paucas.

His ergo diligenti intuitu consideratis, morbi futuri natura & conditione ab illa Signi & Planetæ cognita, periti erit Medici, tali malo occurrere, & præuenire per medicamina & nutrimenta contraria, quæ propriis temporibus sano adhuc permanenti adhiberi queant: Quoniam, contraria contrariis curari solent, & influxus cœlestes ignei & biliosi futuri febres & inflammationes sano minantes; diæta & victus ratione, & pharmacis de natura Lunæ & Veneris participantibus, aut nullius effectus fieri, aut mitigari, mollificari, atq; obtundi solent.

Atque huc vsque de sanitatis tuendæ ratione ex cœlorum obseruatione sermonem meum metiri in Medicina studentibus haud fore inutile existimaui. Nunc vero ad Elementarem sanitatis tuendæ rationem saltu quidem leui descendemus.

PARS TERTIA.

DE

ELEMENTARI SANITATIS TVE NDAE
METHODO.

IN LIBROS DIVISA DVOS.

Quorum, agit:

Prior, de Aere, Ventis, & Meteoris, sanitati vel conferentibus vel nocentibus.

Posterior, de

Motu & exercitio. Venere & vigilia.

Cibo & potu: inanitione & repletione.

Somno & Quiete.

Animi passionibus.

Medicamentis sanitati propriis.

P R O O E M I V M.



Elementaria.

Sap. 12. 1.

1. Cor. 5.

1. Cor. 12.
Roman. 11.
Act. 17.

AM vero, ad res non naturales in regione sublunari comprehensas, quæ sanitati obesse solent, peruenimus, quæ quamuis reuera ex natura diuina, & actu Angelorum, vel (vt Astrologi volunt) ex influentiis Cæli, dependent: tamen, quia iam reliquimus supercælestia & cælestia regna; vt illa Elementaria maiori cum diligentia scrutemur, more Philosophorum & Medicorum vulgariū, loqui mihi hoc in loco proposui: Sub ea tamen lege, vt in corde cognoscamus hæc omnia nec ab aere, nec à Ventis, nec ab Elementis, nec à Meteoris, nec ab accidentibus siue internis, siue externis essentialiter fieri, sed à Dei virtute, qui operatur omnia in omnibus, tam in terra quam in cælis. Et quamuis nos vulgari sermone dicimus, hoc vel illud fieri, vel ab Angelis, vel à Stellis, vel ab Elementis, vel ab Actione, vel Motu, vel cibo, vel potu, vel exercitio, & huiusmodi aliis, tamen reuera cum Sapiente & Apostolo cognoscimus, hæc omnia ab actu diuino cuiuslibet creaturæ essentialiter & radicaliter innato ortum, & originem suam duxisse. Spiritus incorruptibilis, ait Salomon, est in omni re: & Diuus Paulus: Dii quidem sunt qui dicuntur in cælo, & in terra, nobis tamen vnus Deus pater ex quo omnia & nos in illo, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum. Inde arguendo, quod omnis in creatura actus formalis, & motus attribuendus est Deo patri, à quo, & Verbo immediate, per quod. Quare alibi concludit, quod Deus operatur omnia in omnibus. Et alibi: Ex ipso, per ipsum & in ipso sunt omnia. Sed sit mihi semper hoc in corde meo fundatum, quod in eo ipso & solo, viuimus mouemur & sumus: in eo creatura omnis consistit, & sine eius actu viuifico reuertitur in terram suam; vt Psalmista Regius affirmat. Et tamen (inquam) liceat mihi more vulgi loqui, & causas agentes subalternas fingere cum Ethnicis, qui calidum & frigidum principia agentia, & ignem aerem atque aquam fecerunt eorum Tabernacula: cum reuera sunt calor & frigus tantummodo Effectus, Essentiæ vnus diuina in proprietate varia, seipsum vel occultantis per contractionem

tionem luminis sui in se; vel per manifestationem suæ lucis agentis se ex se emittendo. Lux enim generat motum, & motus calorem: atq; iterum Dei Luce suam in se contrahentis effectus sunt tenebræ, & tenebræ quietis origo; quies frigoris; quod non agit nisi resistendo, & non nisi à calido lucis effectû excitetur: Hac ergo contraria duo sunt vnius Dei effectus.

Adres ergo non naturales more Medicorum, Græcorum & Arabum, quos Christiani solummodo amplecti solent, verba hic, pro meliori legentium intellectu, facere intendimus.

Res non naturales sunt vel	{ Externa, quæ dicuntur corpora nostra alterare, vel	{ Necessario, cuiusmodi sunt { Non-necessario: vt omne vulnerans, contundens percutiens, &c.	{ Aer. { Cibus & Potus. { Motus & Quies. { Somnus & Vigilia. { Inanitio & repletio. { Animi accidentia. { Venus: quæ ad motum reduci solet.

De hisce ergo singulis ordine suo discurremus.

LIBER PRIMVS. DE AERE.

In Aere duo sunt consideranda: vid.

{	Natura vniuersalis.	4. Elementorum.
	Conuersio in naturã	4. Ventorum.
		4. Anni temporum.

C A P. I.

De Natura Aeris vniuersali.

IN Tractatus huius primi Sect. primæ, Part. 2. lib. 2. cap. 2. A erem in Catholica sua mole fecimus vniuersalem Spiritus mundani massam seu patiens: in vno loco *Empyreus* dictus, in alio *AETHEREUS*, in tertio *ELEMENTARIS*: & quamuis eum fecimus vnicum & in sua substantia simplicem, tamen ipsum subtilitate seu rarefactione, & grossitie seu spissitudine in Mundo variari, & secundum suam variationem, varias induere appellationes diximus. Vnde quandoq; eum *TERRAM* nuncupari, quandoq; *AQUAM*, *AEREM*, *IGNEM*, *AETHEREM*, & *SPIRITUM EMPYREUM* quæ pro perfectionis igneæ clibano haberi declarauimus. Atq; vt substantiam huius Spiritus vniuersalem pro *CATHOLICO MUNDI PASSIVO* agnouimus: Ita quidem Sapientiam æternam vniuersalem, ipsius actum esse ostendimus: secundum cuius voluntatē vel rarior vel subtilior, vel velocior vel tardior, vel grauior vel leuior, vel calidior vel frigidior, vel humidior, vel siccior, vel purior, vel corruptior; & consequenter, vel sanior, vel infirmior, vel obscurior, vel clarior, vel turbulentiore, vel pacificior, quãdoq; ad Cometas producendas promptior, nonnunq̃ ad pluias solas, vel pluias cum tonitruis, vel niues, vel glacies, vel pruinās, vel aspectum serenum proferre aptior. Deniq; est Spiritus hic instar ceræ passiuæ, quæ pro voluntate hominis ad quamlibet impressionem

nem suscipiendam est apta, tametsi in se, nullius sit figuræ, sed instar massæ deformis. Sic quidem *Spiritus Mundi Mercurialis* cum per se sit nullius figuræ seu imaginis, tamen in quamcunq; effigiem seu imaginem reduci solet, imprimente & operante *magno Dei Sigillo*: cuius *Character* est ipsa *Veritas*. Hinc ergo tolluntur vanæ tam Philosophorum, quàm Medicorum Assertiones, quæ causas in Mundo secundarias tertianas, quartanas, & huiusmodi alia figmenta posuerunt. Efficientes, vt etiam homines Christiani euanescent in imaginatio- nibus suis, ita vt cogantur, falso, inter Philosophiam veram & Theologiam ponere discrepantiam. Nonne videmus ipsos Philosophos Ethnicos, horum fig- mentorū Iuuentores, titubare in suis de hac re opinionibus? Nam *Aristoteles* firme constituit ipsum *aerem* esse calidum in sua proprietate; atq; ratio eius est vt Galenus testatur, quoniam Aer non ita concrescit & congelatur vt Aqua. At vero mea opinione, falsa est hæc eius assertio, quoniam aerem in pruinam & niues esse congelatum cernimus, non congelante Aqua. Videmus etiam nulla pluuia siue nebula præeunte; quod ex concursu aeris congelati arbores glacie ponderosa onerantur.

Gal de sympt.
med. facult.
L. 2. c. 20.

Ex altera parte, *Stoici Aerem* fecerunt frigidum, idq; iudicauerunt ob ve- locem olei (quod aeream habet naturam) congelationem. At si rem bene con- siderauerint, inuenient quidem quod, vt iste Spiritus mundanus, sit per se nul- lius formæ aut imaginis, sed instar ceræ rudis, ita quidem perciperent ipsum, nec per se esse calidum nec humidum nec frigidum nec siccum, sed quandoq; calidum humidum frigidum vel siccum, iuxta maiorem vel minorem Sapien- tiæ diuinæ in eo operantis actum: verbi gratia; vbi agit velociter, & cum vehe- mentia, ibi conuertitur in igneam naturam; vti in fulgure & aliis Meteoris ignitis. At si moderate agit & magis temperate, tunc *Spiritum* istum *Ruach*, Aerem dici- mus: at si magis adhuc lente & tarde operatur in eo, ibi partes eius simul glo- meratæ & coagulatæ aqueam constituunt speciem: vbi vero Lux illa diuina, se ipsam in se magis contrahit, ibi Elementum magis opacum, densum, solidum, atq; frigidum procreatur. Quibus videre liceat, quod omnia, quæ dicuntur *Elementa*, non sunt nisi *unicus Spiritus passiuus siue creatus, in varias species alteratus* & quod *specierum illarum formæ sint nihil aliud præterquam actus varij, vnius simpli- cis Spiritus increati, agentis*: qui teste Apostolo operatur omnia in omnibus. Hinc igitur est quod ipse Galenus in hoc confundi videtur: quod tametsi agnoscat, Aerem esse temperate calidum tamen ipsum *alibi* extreme calidum agnoscat, vnde vocat *Aeris feruorem, æstum*: inde arguens Aerem esse quandoq; de natura Elementi ignis quam Aeris. Similiter *in alio loco* ait. *Aer calidus aliter nos calefacit, aliter temperatus*. In quo agnoscere videtur, alium Aerem esse de natura ignis, alium de natura illius Elementi quod Aerem nuncupamus. Atq; hinc sequi debet quod ipse Aer, ex consensu tam Philosophorum quam Medicorum, sit versatilis in naturam vnius & alterius Elementi: & consequenter quod sit quasi Mercurius Philosophorum vniuersalis & Catholicus, qui se habet, vt *Mercurius ille cælestis*, nam vt hic se conuertit, & mutatur in naturam cuiuslibet planetæ cum quo iungitur (vnde quandoq; est Saturninus, quandoq; Iouialis, & non- nunquam Martialis, & Lunaris naturæ) ita quidem Aer quandoq; dispositionem induit Septentrionalem, quæ Saturno subiicitur, Orientalē, quæ Marti & Soli, & Australem, quæ Ioui, & Occidentalem, quæ Lunæ appropriatur.

Aphor. 7. 13.

Gal de simp.
med. facult.
lib. 2. c. 15.

At vero vt omnes Stellæ, quæ in cælo sunt, virtutem habent à Sole: ita quidem omnes venti virtutem habent ab eo, qui *posuit Tabernaculum suum in sole*: qui *vt est Vnum, ita quidem est omne quod est*: vti *infra* latius.

His igitur consideratis, quod Aer sit sacrarium Dei, mediante quo, & per quem, Deus vel beat creaturam, eamq; in sanitate præseruat, vel ipsum maledi- cendo, & corruptum reddendo, infelicem eum reddit. Nam iuxta Galeni do- ctrinam *Aer nullo modo euitari potest, quin vt corpora nostra necessario ambiat*: nam in

Gal. de art.
med. c. 85.

aerē

aere nos ambiente femper verfari, comedere ac bibere ac vigilare ac dormire est neceffarium. Imo vero Aer qualis qualis est, corruptus nempe vel purus, non modo corpora noſtra circumambit, verum etiam per poros cutis ab arteriis attrahitur. Quare Aer malignitate inquinatus est vnica & præcipua corruptionis caufa, vt pote quæ à corpore ſeparari non poteſt: ſed ei veluti adnatus adheret, atq; ſecundum eius naturam quã habet; (ſecundum voluntatem actus æterni) nos lædit multifariam eo quod nos vel calidos immodice, vel frigidos, vel humidos, vel ſiccus facit: quod etiam Galenus fateri videtur. Gal. tuend.
ſan. l. 1. c. 3.

C A P. I I.

Quomodo Aer ſequitur motum & diſpoſitionem quatuor Ventorum: & quod quatuor Elementa ex maſſa Aerea, mediantibus ventis, generantur.

IN Tractatus iſtius Sectionis primæ partiſ ſecundæ, libri ſecundi, capite ſecundo, ratio declaratur, quomodo Venti alterant naturam maſſæ aeræ in conditionem quatuor Elementorum. Nam Venti Orientales naturam Ignis producant. Subſolani enim ala Meridionalis, quæ à Solſtitio Hyemali flat, & *Eurus* dicitur, admodum eſt calida & valde ſicca: tametſi de humiditate Australi aliquantulum participet, & flatu ſuo alteret naturam Aeris in igneam Elementi conditionem idq; præſertim in principio ſui flatus; quamuis ſæpiſſime propter rationem à nobis antea allegatam ſit verſus finem pluuiioſus; idq; præcipue, ſi ex parte oppoſita, *Circius* occulte ſpirauerit; nam mixtione flatus *Circij* congelatiui cum illo *Euri* diſſolutiui ex proportione frigidi & calidi, diſpoſitio in medio Aeris humida & nebuloſa & quandoq; tonitruis mixta gignitur. Nam duo Venti oppoſiti ſimul flantes, tametſi denominatio aſſignatur fortiori: tamen neceſſe eſt, vt Aer interpoſitus, in nubes condenſetur, quæ facile à caliditate ignea prædominante diſſoluuntur in pluuias. At vero ſi *Circius* vel oppoſito modo vel alius aliquis ventus tranſuerſaliter non flat, mirifice calefaciet *Eurus* Aerem & in igneum Elementum eum ſubtiliando reducat. Porro ex altero latere Subſolani a deſt *Cacias* ſeu *Helleſponticus*, qui ſiccitate ideo abundat, quoniam de Septentrionis ſiccis participat, quare dicitur omnia diſiccare: nec tamen eſt tam vehementer calidus ac eſt *Eurus*; quare aptus eſt Aeri talem qualitatem ſeu impreſſionem ab Euro recipere: ita vt ipſum admodum ſiccum & calidum reddit; & ſi eius oppoſitus occulte flat vid. *Africus* ſeu *Lybs*; nubes congregare ſolet: ſed vt plurimum ſiccus. At hac ratione Elementi ignei naturam induit Aer, non ſecundum anni tempus æſtiuale, ſed contingenter, de quo intelligit Galenus, vbi expoſitionem facit ſuper hæc Hippocratis verba: *At æſtibus fortibus conuulſio &c. vbi per AÆſtus* (inquit ille) *intelligit Hippocrates Aeris ambientis feruorem &c.* In quo caſu varia ſunt ad ſanitatem tuendam præcepta, cuiuſmodi ſunt iſta. Apo. 7. 13.

Præcepta ſalubria ad Aerem, naturam nimis calidam induentem pertinentia.

AEr neceſſario corpora ambiens, flatu nimis calido vndiq; diſſeminatus, corporis debilitatem profert, porosq; corporis aperiens, ſudores extrahit nimios Spirituſq; natiuos expirare facit. Huius correctio manualis, hoc verſu explicatur: *ſi caleat, mutant hunc Roſa Myrrha, ſalix.*

Porro ptiſanæ potatione & victus frigidi vſu reſiſtitur Aeris æſtuantis operationi.

Seipſum diſponat ſanus ad plagas Mundi naturaliter frigidas; nam raro fit, quod Spirituſ ab illis quartis non tantillum ſpirat: quare frequentanda eſt illa

1.

illa domus pars, quæ ad Septentrionem vel occidentem respicit: habeatque mansio varia spiracula. Porro nemora & arbuſta refrigerantia visita, & fontium clarorum exitus aquas murmurantes respicias sæpe; quandiu spirat ventus illiusmodi conditionis.

Sint vestimenta tua ad hoc bene disposita: quare cholericis & sanguineis in hoc casu, vestis ex lino vel serico interclusa bombace: sitq; more Gallorum plerumq; in longitudine secta: nam tales vestes sanguinè non inflammabunt, aut æstuarè sinent: & impediunt etiam aliquantulū Aeris æstuantis ingressum.

Aqua.

At vero venti contrarij vid. Fauonij famuli: Africus nempe in eius ala Meridionali & Corus in Septentrionali effectus producere solet phlegmaticos; Africi autem effectus erunt magis ad caliditatem Australem vergentes & admodum humidi, vnde pluias pituitosas secum afferunt: At vero Corus respectum habet ad siccitatem Septentrionalem, & propter eandem non erunt eius effectus adeo humidi, sed longe frigidiores, quoniam vnicum sibi testimonium vendicat ab Occidente, aliud à Septentrione; quare vt hi Venti omnimodo opponuntur illis Orientis vid. Corus Euro: & Africus Cæcio: ita quidem, spirantibus istis Aerem transmutant à dispositione Elementi Ignis in illam Aquam: quoniam vt Corus aliquantulum condensat & congelat: ita Africus aliquantulum dissoluit, sed non nimis: vnde in aqueam conditionem reducunt aerem: atq; ita Elementum Aquæ suum dicitur habere dominium. In quo casu, Phlegmaticos moneo, vt Præcepta istiusmodi obseruent.

Præcepta.

1. **Q**uoniam Phlegmatici ex sua natura sunt magis obtusi, atq; succo aqueo repleti: ideo necesse est cōsiderare, quod si Aer talis eorum corpora circumambiat, quod necessario de eius natura participant, & ob istam rationem pituitosis humoribus magis sint onerati & oppressi. Hinc ergo necesse est, vt Aer iste corrigatur partim arte: vid. ignibus accensis Balneis suffumigiis; victus ratione & partim natura; vid. illam domus partem frequentando, quæ ventum vel plagam oppositam respiciat: atq; etiam locum naturaliter siccum & arenosum eligendo pro habitatione.

2. *Secundum* est; quod colligendæ sunt herbæ, atq; grana frumenti, & huiusmodi alia, quæ natura pituitæ sunt opposita, tali tempestate in qua venti calidi tempore diuturniori flarent; bono etiam planetarum ignitorum aspectu vid. fortis vel Solis vel ♂ bene dispositi præeunte.

Aer.

Vbi vero Ventus à Puncto Meridionali flat, Spiritum sublunarem naturam mediocrem, quæ temperamentum habet Elementi aeris vid. calidum & humidum: At si eius ala Orientalis flat; vid. Euroauster, magis vrget caliditas, propter eius ad angulum seu cardinem Orientalem respectum: Si vero eius ala Occidentalis spiret, erit natura flatus ad dispositionem frigidā procliuior. Hinc ergo est quod Spiritus ille Elemētaris iam in aeream dispositionem vid. vel magis vel minus calidam & humidam mutatur, alteret corpora, quæ necessario ambit; & ad suas impressiones recipiendas aptiora reddit, vnde & Spiritum aereū in homine inficit & mutat. At vero ventus iste diaphoreticus est, & nimio sudoris profluuio debilitare solet, quoniā exhalat Spiritus vitæ commodos. Quin & pestifer est, noxius & Spiritum mundanum corrumpens, implet corpora superfluitatibus; ita vt quādoq; ea intumescere faciat: putredinis est mater & genitrix. Quare vbi Venti isti nimium spirant; ibi sanis, qui sunt vel auditus difficultati, vel capitis grauedini, vel catarrhis vel fluxui ventris vel febribus putridis, vel debilitati & sudori, atque huiusmodi obnoxij;

consulo, vt huiusmodi præcepta non spernant.

Præce.

Præcepta.

1. *Primum* est, quod quoniam effectus australes solent afflatu Boreali curari (nam Boreas comprimit putridos humores, & eos retinet, corpora indurat, quæ Auster mollia reddit, humorem purificat & aerem pestilentialem rectificat) ergo suadeo vt qui subiectus est flatibus Australibus, illam domus suę partem habiter quæ flatus Boreales suscipit, & quod flante Borea d u & libere inspiret eius flatus, nam mistione eorum cum spiritu & sanguine creaturę, ipse condietur & corrigetur, & mutabitur à natura dicta fluida in naturam firmiorem, ita vt diu possit tum postea resistere australibus insultibus.

2. Vt herbas & frumenta colligat & præseruet pro suo vsu in illo ipso anno in quo venti Septentrionales fuerint frequentiores, bono cælorum aspectu considerato: quoniam talia simplicia retinebunt naturam Aeris à quo occultam suam vitam susceperunt & eam communicauit cum sanguine siue sit nutriti siue medicati.

3. Vt arte emendetur & corrigatur Aer circumambiens vid. vel igne vel suffumigiis, atque etiam victus ratione quæ debet esse contraria flatibus Meridionalit s: & quæ corruptum Aerem in melius alterare queat, suadeo. Porro exercitio nimio corpora agitare in sudores copiosos propter aeris circumfusi dispositionem diaphoreticam, minime decet.

Denique flatus Boreæ, aerem reducit in naturam & conditionem ^{Terræ.} terrestrem, nam videmus ipsum vndique in pruinas, niues glaciemque mediante isto flatu transmutari, quod etiam ex arborum & herbarum candido pruinæ condimento ornatarum intuitu tempore hyemali videre liceat: Huius ala Occidentalis vid. non est ita sicca vt illa Orientalis, Aquilo nempe, qui de siccitate tam cardinis Orientalis, quam illius occidentalis participat. Nec quidem est aquilo ita intense frigidus ac est Circius: quoniam ipse de frigore tam cardinis occidentalis, quam Septentrionalis participat. Flantibus ergo illis natura terrea in Mercurio isto regionis sublunaris vasto dominatur: quare & obest nonnullis complexionibus. Nam vt Cholericis prodest, atque istis, quorum constitutio est corruptioni prona: ita quidem sanguineis est male gratus istiusmodi flatus, & melancholicis admodum graue, quia auget humorem: & ab omnibus propter eius frigiditatem extremam, non ita facilis est ad tolerandum. Quoniam vt creaturę vita ex calido & humido constat: ita quidem flatus istiusmodi omnimodo ei opponuntur, vt pote qui sunt frigidi & sicci, & de natura Saturnina, cuius est naturam humanam destruere. His ergo consideratis, præcepta ista, ad sanitatem in tali casu tuendam minime sunt contemnenda.

Præcepta ad Sanitatem pertinentia.

1. Primum & generale vnico hoc carmine comprehenditur.

Et gelidus cum sit, tepeat prunis sine foco.

Secundum: Quod si complexio eum tolerare nequeat, ad illud domus spiraculum se conferat, quod Australem halitum respicit, nec non interea sint ignes & suffumigia humida.

Si quis adhuc sanus morbis Septentrionalibus vid. infirmitatibus pulmonum, tussi nempe, phthisi, asperitati contractionibus nervorum melancholię, & huiusmodi aliis (quos in Tractatu sequenti recensebimus) obnoxius sit, cum moneo, ummopere vt corrigat Aerem arte: atque etiam vt herbas conuenientes & frumenta atque huiusmodi alia colligat, dum flatus meridionales dominium fortius & diuturnius habuerint in spiritu sublunari.

Ee

CAP.

C A P. II.

*Quomodo Aer virtute Solari quotannis gubernetur, & in naturam
Elementorum, iuxta anni quartas redigatur. Et de præ-
ceptis salubribus in qualibet earum
obseruandis,*

Ecc. 1. 5.

S Alomon optime denotat obedientiam illam, quam Aer seu Spiritus mundanus soli tanquam Psyche Cupidini mundano præbere solet. *Oritur (inquit) Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersam in circuitu pergit spiritus sine aer, & in circulos suos reuertitur: &c.* Quo sermone solis motum non modo diurnum, verum etiam annalem, per Zodiacum: vid. à Libra ad Capri corni Tropicum & ab eo per Arietem ad Tropicum Cancræ colligere possumus, atque etiam denotat passuum medium, in quo mouetur ipse vid. spiritum mundanum, quem secundum maiorem vel minorem eius præsentiam alterare videtur. Hinc ergo quatuor producuntur variæ vnius anni Quartæ, iuxta dispositionem variam aeris, in quo mouetur & quem mouet ipse Sol. Nec quidem solummodo solis operatione mutatur aeris temperies, sed etiam ventis. At venti nihil etiam possunt, nisi à sole excitentur, & varie iuxta voluntatem Dei animentur. Hæc ergo est ratio, quod venti à Poetis, idque haud inconsulte dicantur *infantes Titanis Astrea & Aurora*: utpote, quatenus à calore solis geniti qui aerem recte condensatum reddit subtilem & rarum: hocque præcipue in Aurora. Atque huic opinioni astipulatur ipse Aristoteles. Hinc ergo dicuntur venti mandata Iunonis recipere, quippe qui minime nisi in Aere (qui Iuno nuncupatur) flare assolent. Et si altiore scala ad Deum ascendamus, in eodem sensu cum Reuelatore dicemus, quod *Angelus ille magnus, qui ab Oriente descendebat*, hoc est, Solis præses, imperium habeat in angelos illos quatuor, quibus datum est ventorum Cardinalium dominium: Sic Solem mundi quasi animam à Deo gubernatum, & aerem vniuersalem aut à sole per se, aut mediantibus ventis quos excitat, commotum & viuificatum habemus.

Apo. 7.

Et tamen hoc certum est, & experientia comprobatum, quod venti subitanei & fortuito contingentes, operationes nonnunquam producunt in aere aperto, quæ stas anni temporibus omnimodo qualitate opponuntur, atque istiusmodi venti contra solis constituta à quodam planeta violento in cælo prædominante procreari obseruantur: verbi gratia in calidissimis Æstatis diebus, pluuia cum grandine, immo vero & ipsæ grandines in abundantia in aere generantur, quæ ut plurimum in cælo imperante quandoque eduntur. Similiter in extrema hyeme fulgura seu fulgetra à ♂ dominio quandoque accidunt. Sed ad naturalem & consuetam anni constitutionem me hoc in loco conformabo: vid. ad 4. Anni quartas.

De earum ergo qualitate, quantitate, proprietate atque varietate, verba efficiemus per pauca ordine suo.

VER.

Illud quidem anni spacium quod sol suo motu ab initio ♀ ad Tropicum vsque Cancræ commetiri solet vid. 93. dies & 23. horæ & quarta pars horæ: hoc est à 10. die Martii vsque ad 24. Iunii, *Quarta anni vernalis* nuncupatur. In quo tria nobis obseruatu digna adueniunt: ipsius scilicet *Quantitas & mensura* de qua ante. Eius *Qualitas* seu temperamentum, quod est temperate calidum & humidum instar aeris: atque hæc est ratio, quod in ista Quarta Sanguis (quodammodo frigore Hyemali consopitus, in animali

animali

animali exagitur. Et per vniuersa corporis ipsius membra, de nouo quasi diffundi atque renouari notatur: & in eo complexionem æqualem & temperatam efficit: ac tandem *effectus* beneuolos tam in Magno quam Microcosmo proferre solet. In *Macrocosmo* dico: nam in eo corpora dulcescunt: aer mitescit, niues dissoluuntur, scaturiunt fontes. Humiditates in summitatem arborum fastigia ramorum scandunt, semina terræ insita & submersa, atque sepulta, iterum immergunt & resurgunt, hinc segetes crescunt & multiplicantur, prata ornamenta sua viridia induunt, floribus suis suauissimis exultant, arbores suis frondibus viridibus gaudent, animalia parturiunt, pascua cuncta resumunt vigores. Cantant aues hilariter, resonant Philomelæ. Denique, ipsa Terra ornamentis suis nuptialibus quasi induens facta est sicut sponsa pulcherrima, & speciosa iuuenula, omnibus suis genuinis coloribus & floridis ornamentis parata & ornata, vt hominibus brutis atque auribus in Festo nuptiali appareat.

In *Microcosmo* humores naturales & præcipue sanguinem auget & renouat, illumque per vniuersa corporis sui membra diffundit & dispensat: & ob istam rationem Temperamentum in eo æquale gignit. Hinc ergo ob humoris in eo exuberantiam *Ætati* pueritiæ assimilatur, quæ humore maxime abundat. Ob istiusmodi ergo temperiem corpus in sanitate naturaliter præseruare aptum est: Quæ vt melius tueatur, præcepta istiusmodi in primis ponderanda existimo.

Præcepta ad sanitatis tuitionem.

1. Vt (iuxta Hippocratem) *Ver est omnium temporum saluberrimum, ita* ^{Apho. 3} *nullum tempus ad prauorum humorum diminutionem Vere melius reperitur: quoniam complexio eius medicamina adiuuat: & humores boni, adiuumento naturæ Macrocosmicæ loco malorum facillime reponuntur. Hinc est quod potiones tam ad digestionis debilitatę correctionem, quam ad Ventrem purgandum, & superflua per sudores euacuanda hoc tempore fæliciter exhibeantur: itemque Balnea.*

2. Quoniam isto spacio pituita dulcis & saniosa quæ icor seu humor sanguinis recentis dicitur crescere animaduertitur, ideo succosis vt conuenit in hoc spacio: cuiusmodi sunt pulli gallinarum, cothurnices, hædi, caro vitulina, & huiusmodi alia: item lac caprarum & vaccarum: & ex herbis, lactuca, scariolæ &c. Et nota quod cibus vernalis debet esse Temperamenti medi, vt vult Galenus.

3. Diligenti labore & exercitio vtatur sanus hoc tempore: atque etiam in eo maxime conuenit coitus seu Venus. ^{Gal. de ali. fac. l. 1. c. 23.}

4. Finito vere, Spiritus postea sublunatis à dispositione aerea, in illam *Æstiualem* migrat, hoc est in conditionem igneam atque cholericam alteratur. In hac *Anni* parte consideramus ea quæ in tempore Vernali respeximus: vid. eius quantitatem, qualitatem & effectus.

Quantitas seu *spacium* eius metitur ab eo puncto in quo sol ingreditur primum gradum 69. & se extendit ad initium ☉ hoc est, à Solstitio æstiuale, ad *Æquinoctium* Autumnale, in quo spacio 93. dies numerantur, 23. horæ, & pars vnius horæ tertia, hoc est à 10. die Iunii ad 10. diem Septembris.

Qualitas, calida, sicca & ignea, vnde hoc tempore, calores in aere crescunt, venti inflammantur.

Effectus eius in *Macrocosmo* est noctes abbreviare, dies elongare, terram calore afficere: tranquillitatem mari afferre, serpentes & res venenosas

nenofas veneno suo armare, serenitatem in cœlo afferre: res crudas maturare, fructus & grana suo calore perficere.

Æstas.

In *Microcosmo* Aer in æstiuam naturam mutatus, Choleram rubram excitat, bilemque auget flauam, confert euidenter complexioni frigida & humidæ; vt viceversa calidæ & siccæ est opposita.

Gal. in Aph. 3.2.

Sic enim statuit Galenus videlicet quod in *Æstate* melius se habent humidæ & frigida temperaturæ, peius calidæ & siccæ: In *Hyeme* vero contrariū. At tam *Æstate* quam *Hyeme* temperies humida bene se habet. Sicutiam ait, quod *Æstate* senes & pueri sint magis sani. Porro in *Æstate* humores mouentur ad cutim.

*Aph. 3.3.
Apho. 3.18.
Aph. 3.6.
Aph. 3.2.*

Denique Hippocrates ait; *Naturarum alie quidem ad æstatem, alie vero ad hyemem, bene maleue se habent.*

Præcepta autem hoc anni spacio, ad sanitatem tuendam sunt hæc.

Præcepta salubria.

1. Commode in *Æstate* quicquid est frigida & humidæ complexionis, vt carnes vitulinæ cum aceto, pulmentum ex farina hordei, mala granata, pruna, cerasa, cucumeres, pepones, lactuca, & huiusmodia alia exhibentur. Quoniam igneam aeris interni corpore inspirati dispositionem obtundunt & morbum calidorum ortui obsunt.

Sit quantitas alimenti parum, quia in *Æstate* debilis est Virtus digestiua: at comedat sapius, sitque cibus bonæ digestionis: sæpe & large bibat vinum multa aqua dilutum, vel ceruisiam.

2. Alium suauitate cientia recipiantur, si necessitas cogat, & melius erit sursum quam deorsum mouere: iuxta Hippocratis sensum. Sed ne omnino vrgeatur venter, nisi vbi suadet ratio. Similiter ne moueatur nimis corpus exercitio; Balneaque sint parce in vsu.

Et tamen æstate lauare cum aqua frigida decet: nam hoc constringit & retinet calorem corporis & consequenter Digestionem adiuuat.

Corrigatur aeris æstus spiraculis apertis, irrigationibus, herbis & foliis refrigerantibus: vid. salice, rosis, frondibus, &c.

Autumnus.

Deinde successiuo anni progressu mutatur Aer in temperamentum Melancholicum & *Tempus* constituit *Autumnale*. In quo, vt in præcedentibus Aeris statibus seu mutationibus consideranda putamus tria: cum eius *quantitas* se extendit à puncto *Æquinoctii* Autumnalis seu ϱ vsque ad *Tropicum* Capricorni, hoc est, à 10 die Sept. vsque ad 10. Decemb.

Apho. 3.9.

Qualitate autem est hoc tempus frigidum & siccum: temperamento suo est inæquale; atque ob istam rationem Vernæ dispositioni omnimodo contrarium, quippe quæ est temperamenti æqualis. Quare vult Hippocrates cum consensu Galeni *loco supra citato*, quod in *Autumno* morbi oriuntur acutissimi & magnam partem exitiales: vid. ob inæqualem eius temperiem.

Ratio autem cur *Autumnus* sit tam male sanus, est quoniam Aer eius participat de duabus qualitatibus contrariis, de caliditate scilicet præeuntis *Æstatis* & frigore consequentis *Hyemis*, qui inter se pugnando, tandemque vincente frigiditate, obest naturæ animali quæ præcipue ex calido innato consistit.

Porro

Porro etiam in eo siccitas Æstiuæ humiditati Hyemali occurrit, & tandem eo magis vincit humiditas quo Hyems festinantius accedit. Hinc ergo ab effectu cognoscimus, quod in *Microcosmo* omni fere post maturationem Æstiuam ad corruptionem Autumnalem properant. Quare folia ab arboribus decidunt, fructus ad putredinem vergunt, & vniuersus Cæli sublunaris Spiritus, ad senectæ leges inclinare videtur, morbiq; à corruptione creaturis familiariter accidere animaduertuntur: vt in *Tractatu* sequente luculentius.

In *Microcosmo* etiam choleram nigram procreat & educit, atque ob istam rationem Melancholicis obest. At vero ad talem admodum pronus est Aer autumnalis infauus & male sanus. Porro in eo pituita & tenues fluxus abundare dicuntur propter concursum illum qui factus est inter calores æstiuales & frigora hyemalia. Aph. 3. 10.

Quare credimus necessarium fore ad Aeris istius Autumnalis correctionem hæc obseruare præcepta.

*Præcepta ad sanitatis tuitionem tempore
Autumnali.*

1 Quoniam Aer iste Autumnalis & frigidus est siccus vt medici & Astrologi volunt, victus ideo ratione ad caliditatem & humiditatem tendente vti monent cuiusmodi sunt pulli Agni, vix dulces, Vinum vetus & subtile & similia. Similiter dulcia quæ humectant & refrigerant, & bene olent, valde conferunt: Et Diocles ad Regem Antigonum alimenta acerrima & succosissima, & quæ fluxionibus tenuibus opponuntur, hoc est, quæ constringendo vias obstruunt, & lapsus tenuium humorum impediunt summopere comprobare videtur.

Tempus comedendi sic describunt aliqui: vid. Quod quoniam Autumnus est inæqualis temperiei, ideo circa horam meridianam cum calefcit comedere suadent, non aliter in Æstate in qua nõ multum editur vna vice. At matutino & vespertino tempore ob frigoris dominium sit cibi quantitas hyemis more, copiosior, quoniam externa aeris frigiditas adiuuat digestionem, per Antiperistasin.

2 At quoniam corruptio & humores putridi solent non aliter in *Micro*, congregari quam in *Macrocosmo*, ideo tempus hoc ad pessimorum humorum euacuationem est aptissimum: Quare sæpius (ad præcautionem) euacuandus est sanus.

Alii vomitum laudare videntur: at Diocles vomitum hac tempestate, quam minimum fieri potest faciendum suadet. Aristoteles contra in *Epistola sua ad regem Alexandrum*, affirmat, vomitum hac tempestate sæpius esse prouocandum. Balnea etiam vbi requirit ratio, vsurpentur: necnon Phlebotomia vid. à Sept. ad Decemb. Diocles ad
regem Antioch.
Arist. epist. ad
Alex.

3 Coitus seu Venus non minus est parce vsurpanda, quam æstate: imo pro viribus est euitanda, nisi plenitudo vrgeat. At corpora exercitio agitare vtile est sanitati.

Denique vltima anni Quarta, in cuius fine Draco dicitur comedere caudam suam: nam vt Draconis naturalis & autumnalis caput est in ♃ seu Æquinoctio vernali: ita quidem eius cauda in ♄ finitur: hæc (dico) quarta, Hyems dicitatur: in qua Aer in *Macrocosmo* seipsum in qualitatem aqueam conuertit & quandoque terream & stypticam. Hyems.

Ec 3

Hinc

Hinc enim obiter est considerandū, quod Quarta anni quæcumque, siue sit Vernalis, Æstiuālis, Autumnalis vel Hyemalis à flatibus diuersorum Ventorum in varias Elementorum naturas mutatur: vbi gratia, flante in hyeme Austro ad aqueam, à septentrione constrictiuam & terrestrem: ab Euro igneam magis &c.

Huius *Quantitas* se extendit à Tropico Capricorni seu solstitio Brumali ad Æquinoctium vernale vid. à II . ad V hoc est à 10. Decemb. ad 10. Mar. ii.

Est autem naturalis huius in Macrocosmo *qualitas* frigida & humida, aquea & pluuiosa in Microcosmo: phlegmatica pituitosa, immo vero, in ea augetur humor pituitosus. Hinc ergo est, quod Cholericis prodest, at vero pituitosis obest eos humoribus aqueis repletiores, & dispositione hebetiores reddi.

Effectus eius in Macrocosmo, est nubibus implere cælum, aquarum multitudine submergere terras, niuibus camporum & montium faciem cooperire, glacie aquarū superficiem tegere: pruinis & roribus gramina ornare atque irrigare arbores & herbas quasi exanimatas reddere. In *Microcosmo*, morbos humidos procreare & quandoque putridos: Tusses, vertigines, apoplexias generare &c. Vt ergo mala istiusmodi præueniantur, obseruentur hæc.

Præcepta salutaria aduersus Hyemis insultus.

1. Quoniam obest Hyems frigidis & humidis hoc est pituitosis, vt cumque in sanitatis limitibus comprehensis: Ideo in ea victus ratio in primis est consideranda, quæ aerem hyemalem corrigere queat. In eo ergo tempore vsurpetur victus ratio ad caliditatem tendens, vt sunt pulli columbarum, caro arietina: & assata magis quam elixa profunt. Copiosior rem requirit cibum vno pastu quam vlla alia Quarta, quoniam calor natiuus intrinsecus fortificatus per externum frigus validior redditur, & in facultate sua digestiua, fortior. At vero parciior debet esse potus qui nihilominus debet esse operationis fortioris: qualis est vinum non ita aqua dilutum vt in æstate, aut ceruisia melioris & fortioris compositionis.

2. A Ventris purgatione abstinendum, nisi vrgeat necessitas. At si purgatio requiratur, vomitionem in eo culpate videtur Hippocrates si sanus sit gracilis. Et alibi ait: *Medicari æstate superiores magis, Hyeme vero inferiores.*

3. Si frigora insultant admodum, aerem loci bene calefacere conuenit: sitque ignis sine fumo: & fouendum est corpus vnguentis calidis, vbi adest debilitas.

4. Non multum hoc tempore à Coitu est abstinendum. Corporis exercitium multum prodest: & cibus sufficiens non nocebit, quia iam digestio est valida.

5. Suffumigia conferunt sanitati ex lignis Iuniperi, Aloes, cypressi, & ex Thure. Concludimus ergo quod hisce obseruationibus præseruare potest sanus calorem naturalem & humorem radicalem, quibus incolumibus sanitas facta tecta manebit.

Profundior de Anni Quartis Meditatio.

Vt aerem inter aquam & ignem situm esse videmus: Ita quidem ver inter hyemem & æstatem sedem suam habet. Et vt tempus vernale, videntibus & præcipue hominibus est gratum & salubre: ita credendum est iuxta Firmici sententiam, aerem in Mundi primordio induisse naturam & dispositionem. Deus enim ideo creauit mundum, vt Crea-

turæ

turæ (quarum homo est princeps) viuerent, & non vt vlllo modo corrumpere-
rentur. Nam teste Solomone, *Deus creauit omnia vt essent, & non ponebant in*
mundo modum corruptionis, aut exterminij. Hinc erat, quod dictus Firmicus cre-
diderit Mundum seu potius solem sui motus initium à principio Arietis
accepisse, idque haud iniuria: & consequenter apparet, quod Regnum æ-
reum & vernale aliis tribus loco & dignitate est præferendum. Atq; hæc est
ratio nostra in volumine nostro dicto, *Aer arca Dei thesauraria.* quod probaueri-
mus omnia alia elementa, ab aere initium suum duxisse, & aerem à ventis su-
um immediate. Hinc ergo in rerum vitæ & præcipue humanæ curriculo, ob-
seruamus vernalem istum statum, terminum sibi vendicare priorem, qui se
extendit à puncto infantia, ad iuuentutem vsque: Quæ quidem ætas com-
prehendit infantiam pueritiam, & adolescentiam, quasi tres in vere menses:
Nam vt in tempore vernali, calor magis magisque augetur, ita quidem &
siccitas paulatim in Oeconomiam humanam irrepit: Ita quidem fluidi in-
fantis artus eo magis licet pedetentim incalescunt, quo tenditur propius
ad iuuentutem quæ est status vitæ æstiuales, in quo Cholera gradatim crescit:
vti in ætate præcedente adolescentia nempe, sanguis & dispositio Vernalis.
Nec aliena erit ratio cur tempus vernale seu aereum, calidum vid. & humi-
dum, primum & principalem in Anno locum sibi vendicat, si sedulo mundi
conditionem considerauerimus: quippe quæ in calidis lucis effectibus &
massa tenebrarum confusa spiritu Mundi potentiali plena consistit. Nam
in tali actione, necesse erat quod lucis caliditas inesset simul & humiditas
copiosa in spiritu lucis virtute & actu producta. Nam spiritus tenebrofi con-
glomeratio in forma nubis obscurissimæ madido frigido & deformi com-
paratur Hyemi: cuius frigiditas lucis præsentia correctæ, locum paulatim
in creatione calori dare cogitur. Hinc ergo anni vita & Natiuitas seu pueri-
tia, hinc creaturæ humidum & calidum à quibus vita infantis. Nec tamen
in hæc complexione adeo abundat calor lucis diuinæ, quin frigore tene-
broso potentia diuinæ temperetur.

Porro vt lux calorem motu suo excitat, & calor in suo actu, siccitatis
gradum, ita Tenebræ frigore sua quiete proferunt, quibus calore excitatis
media mixtione humorem gignunt. Sequitur ergo quod in hac mixtione
fiat Temperamentum tam æquale caliditatis, humiditatis, frigiditatis & sic-
citatatis, vt multi Authores dubitent an vernum tempus sit frigidum an po-
tius calidum. Similiter in spiritus aerei temperamento hæsitant. Nam
Peripatetici eum faciunt calidum, Stoici frigidum, vt antea est declara-
tum.

Quibus consideratis percipiemus quidem, quod *Vernum* tempus par-
ticipet de frigiditate hyemali; vnde eius principium à frigore incipit: eius vero
finis quatenus ab igneo *Æstatis* gradu non longe distat, calidus est: ita vt opti-
ma veris temperatura in medio consistat.

In *Autumno* vero aer se habet vt terra inter aquam & ignem. Est enim
in circulo annali situm inter æstatem igneam, & hyemem aqueam. Nam in
Elementorum rotatione inueniemus terram inter ignem & aquam positam.
Atque hinc ex anni cursu, ætatem mundi colligere possumus: in qua ætas
aurea capit, dein, argentea; postea, plumbea: ac tandem finietur, vt more
anni noui, alter quasi mundus renouetur. Ex his manifestum est cur in Au-
tumno, putrefactio & corruptio sit tam frequens, vid. quoniam Martialis æ-
stiu temporis calor, & Lunaris hyemis frigus in putridam Saturni
temperiem tunc concurrere obseruatur. Sed quia de
his fuscè in præcedentibus, hæc hætenus:

CAP.

CAPUT III.

De Temperamenti Aeris mutatione, primum in quolibet Mense: deinde in qualibet diei portione.

IN *precedente capite*, qua ratione ad Luminaris maioris motum, Anni circulus in Quartas propter Aeris mutationem diuersas humanis ætatibus correspondentes distinguatur copiose recensuimus: Hic vero ostendemus quomodo eadem ratione lumen minus vid. Luna aerem in mense quolibet quadrifariam pariter mutare soleat. Non enim aliter operari videtur ☾ in Aere quam ipse sol, durante tempore in quo Zodiacum remeteri obseruatur. Ita ut 4. mensis cuiuslibet quartæ in sua conditione se habent ad 4 anni stationes: à puncto enim coniunctionis Luminarium seu nouiluni in quolibet mense, vsque ad terminum vnus Septimanæ, temperies aeris stationi Vernali refertur: nam ☾ in *prima sua quarta* reddit aerem calidum & humidum, quare in ea tempestate magis abundant humores menstruales, non aliter quàm in vere autumnales. *Secunda mensis septimana* (in cuius calce est pleniluniū) redditaerem caliditate & siccitate æstati Solari haud dissimilem. Quare in hac quarta adiuuatur fructuum maturatio. In *tertia Septimana* complet ☾ suam tertiam quartam, & ista sibi vendicat conditionem Autumnalem, estque frigidior & siccior: quartamque Septimanam occupat *Quarta vltima*, quæ Hyemis more est frigida & humida.

Hic tamen diligenter aduertendum, quod ut sol est caloris fons & Luna humorum Dominatrix: Ita quidem solis virtus magis propterea est calefacere, ut illa Lunæ est magis humectare. Quare in circulis suis variæ & diuersæ sunt ipsorum operationes. Nam manifestus solis effectus est calidus, ut est ille Lunæ humidus.

Pari quidem ratione in spacio 24. horarum, quod integrum constituit diem naturalem, Aer cæli conditionem sibi quadrifariam vendicare nos docet ipsa Experientia. Nam à puncto Auroræ seu Horizontis, ad angulum Meridionalem seu Zenith numerando, vnā statuimus diei Quartam, quæ habet naturam veris, calidam vid. & humidam Quare ab Aurora ad Meridiem vsque salubrior est totius diei status, utpote in quo recreantur corpora tuam sanorum quam morbosorum: nam experientia docet quod in isto spatio, tempore nempe matutino, Febricitantes alleuiantur maxime: Hydropici tumidi decrescunt, dolores Gallici mitigantur &c. Et ratio est: quoniam ut in Macrocosmo eo tempore exhalationes, à sole resoluuntur: ita vapores Microcosmici noctu infestantes dissipantur, & è corpore per subtiles exhalationes emittuntur. Quin & vitæ spiritus Aeris matutini æqualitate valde reficiuntur. *Secunda vero Quarta*, quæ tendit à Meridie diurno ad angulum Occidentis Æstati assimilatur: nam eius calor est magis intensus, quam vllius alterius in toto die. Illa vero diei quarta quæ tendit à puncto Occidentis, ad meridiem nocturnum seu Nadir, proprietatem Antumnalem sibi vendicat. Quare in hac Quarta nullum Medicamentum aut potionem dare ægrotis præcipiunt Medici nonnulli, nisi vrgeat necessitas: nam hoc tempus respondet illi, in quo sol à nobis declinat, brumalem versus stationem. Denique quarta illa quæ metitur à noctis meridie correspondet hyemi: Quare in hac statione dolores nocturni acerbescunt, quoniam frigiditas noctis condensando superficiem cutis occultam prohibet euacuationem seu euaporationem fumorum qui in corpore generantur. Atq; hæc est ratio, cur fluxus oculorum illis accidit, quibus oculi sunt male affecti. Hoc etiam tempore vexantur isti maxime, qui doloribus

loribus

loribus Gallicis grauantur: istis item qui intestinorum fluxu laborant, aut sanguinis profluuio: quia humores qui in vapores insensibiles dissolui debent & per corporis poros euaporari, iam propter externam noctis frigiditatem, poros obturantem; aut per vnum solum exitum egredi solent, vid. vel in forma eruptionis sanguinis, vel alui fluxus; aut nullum habentes exitum corpus vehementi dolore infestare obseruantur. Hanc etiam conditionem habet quarta noctis prima, sed non in tanta vehementia, quam ista quarta vltima, quæ Auroræ est vicina.

Quibus perspectis, sanis consultum est, vt corpora sua regulariter, vel secundum dispositiones Stationum anni, vel istarum Mensis, atque etiam ipsarum diem naturalem distinguendum disponant.

C A P V T I V.

In quo de varia variarum mundi plagarum temperie: & postea de salubri & insalubri aeris diuersorum locorum dispositione agitur, Denique quomodo Aer corruptus sit corrigendus.

QVod mundi partes aerem qualitate & temperamento diuersum habeant, nemo sanæ mentis ambigit: cum & hoc varia Zonarum & Climatorum dispositio quæ in varia eiusdem temperie consistit, nobis aperte indicat. Sic enim partes vltra circulum Antarcticum sunt frigore intolerabiles: at illæ inter Zonæ temperatæ margines iacentes non sunt ita inclementer frigidæ, vt & illa, torrida dicta, est omnium æstiuo calore intemperatissima. Atque hæ locorum seu plagarum terræ dispositiones iis sunt naturaliter insitæ. Sunt vero diuersa in mundo loca, quæ accidente quodam & præter naturæ leges aerem varie corruptum habent, vid. propter insanarum aquarum, vel stagnorum & paludum limosarum proprietatem, vt in terra Orientali iuxta Scanderone, aut propter halitum corruptum è terra vel specu vel lacu, vt in terra seu promontorio Puteolensi in Italia, sic etiam in Anglia nonnusquam, & vltra marinis regionibus iuxta flumina lutosa, & ea præcipue quæ salis maris aquam recipiunt, febribus morbisque corruptis affectum cernimus.

Præterea vnus loci aerem inuenimus Solaribus radiis illustratum, vt in locis planis & montanis; alium vero vmbrosus & radiis Solaribus minime ornatum aut purgatum. Qui autem de luce Solis participat, est magis calidus, & consequenter, purgatus atque rarefactus: Contra vero ille vmbrosus magis grossus & frigidus, cuiusmodi est ille ciuitatum vallium obscurarum & nemorum. Eodem etiam respectu habetur diurni & nocturni aeris dispositio. Aer ergo lucidus reddit magis viuax & agile propter operationem caloris Solaris, at vmbrosus & caliginosus illud tardum magis & segne reddit. Qualis enim est spiritus in Macrocosmo, Microcosmum ambiens, talis etiam erit ille in Microcosmo ad motum cuius mouetur localiter corpus: Rationemque huius Galenus reddit: In primis quoniam aer, vtpote corpus ambiens, ei quasi adnatus adhæret Vnde necesse est vt eius pars aliqua (licet minor) per nares ad cerebrum deferatur; parsque maior per asperam arteriam ad pulmones deuehatur. Similiter per poros cutis ab arteriis attrahitur, vt alibi testatur.

*Lib. 1. c. 3. de
san. tuend.
De caus. re-
spir. c. 2.
De diff. feb.
l. 1. c. 4.*

Dicimus ergo, quod diurno tempore aer campestris seu apertus sit longe salubrior quam vmbrosus, cuiusmodi est ille ciuitatum, & ille etiam diurnus quam nocturnus. Præterea, aer apertus varius est secundum loci vel eminentiam vel depressionem: Nam montanus & altus est purior & subtilior, vtpote à ventis assidue purgatus, & radiis solaribus peruius: contra vero ille profundior.

Ff

Quin

Quin & terra maritima aerem differentem habet ab illa mediterraneæ regionis: sic & paludosi se aliter habent quam ficci loci.

Infinita de hoc subiecto dici possint: sed iam ad scopum nostrum sanitatis tuitionem descendemus.

Concludimus igitur, quod cum tot modis aer diuersis regionis partibus corrumpi queat, opus est *vt sagaciter modum investigemus quo purgetur & corrigatur, atque ad aeris sani temperiem vel reducatur vel saltem appropinquet*: Præcepta ergo huc conducentia subnectere visum est.

Præcepta ad sanitatem tuendam, sano summe necessaria.

1. Aeris inæqualitas summopere vitanda: & aer ficcus, humido, & subtilis grosso præferendus; semperque fugienda est aeris inconstantia, ob rationes superius allatas. Locum etiam multarum exhalationum, & in quo diurno tempore excessiuus calor, aut nocte frigus intensum regnat, damnamus & improbamus.

2. Domus sita ad plagam Occidentalem non vsquequaque sanitati (secundum nonnullos) congruit: itemque iuxta locum paludosum, nisi ubi arenulæ naturaliter adsint, & aer pro salubri, probe sit cognitus. Situm meridianum minus probo, quia corruptionem vt plurimum afferre solet. Si habitatio sit in loco sterili; & aut super aut iuxta scopulos aut locos petrosos, non est admodum sana: quoniam radij Solares diurno tempore acriter feriunt & minis calefaciunt, & per contrariam proprietatem nox frigescit nimis: hæcque ratione aer nimis inæqualis in temperamento suo redditur.

3. Huiusmodi ergo locorum aer corrigendus est: locumque in primis fugere debemus in quo aqua dulcis & marina permiscentur, itemque locos palustres in quibus exhalationes solent in aere suspendi. Quod si iuxta talem locum habitandum est, ponatur domus super collem cum arboribus & plantis inter te & fumum; sintque fenestræ paludi minime oppositæ, vt hac ratione frequens exhalatio parum aut nihil habeat in habitationem istam potestatis: Sitque stagnum vel palus inter te & Solem, vt virtus maleuola à Sole attrahatur: & habitatio ista sit ab illa liberior.

4. Nonnulli in Italia, Gallia, & Hispania habitationes suas haud ita salubres, plantis odoriferis, vt Aurantiis, Limonibus, Cedris, &c. munire & ornare solent, quorum odores aerem sua sanitate corrigunt, & viriditas iucunda multum ad sanitatem facit. Vites ad hoc valde conferunt: folia enim earum æstate refrigerant, & flexibilitate sua per frontispicium aut circumquaque disponi possunt.

5. Aer priuatus igne flammante (at minime fumante) rectificatur. Hic præcipue laudantur vitium fascis siccata, plantæque odorifera vid. Rosmarinus, Iuniperus, Laurus & id genus alia. Suffumigia etiam multum valent, vt Olibanum, Thus, Carabas. Pestis tempore suffumigium ex ruta, pice liquida, sulphure & aceto, ordinaui; quod multum sanis commodi attulit, pluresque à pestis rabie seruauit.



Tom. I. Tract. I. Sect. II. Partis III.

LIBER SECVNDVS.

De

CÆTERIS REBVS NON-NATVRALIBVS, QVÆ SANITATI OBESSE SOLENT.

C P V T I.

De Motu; Exercitio: Venere & Vigilia.



Ompleto de Aere Discursu nostro (vitæ & saluti perquam necessario) ad res alias non naturales, quæ Sanitati obesse queât, descendemus. Consentiant quidem Sapientes quod qui non transgreditur modum & normam debitam, in Motu & Quiete, in Somno & Vigilia, in pleno & vacuo, in dissolutione vel detentione Ventris ægritudines & morbos vitare, suamque sanitatem diu præseruare poterit. Hæc enim hominem diutissime viuere faciunt, si recte obseruentur præcepta.

In primis ergo se offert humani corporis *Motus* consideratio. Motum autem facimus multifarium vid. in labore, Venere vigilia & c. Ad sanitatē tuendam summe necessarium est, vt motus & exercitium, refectionem seu cibum & potum præcedant, primum, quia calorem excitat naturalem, mediante quo, digestio commodior fit: aliud, vt corporis superfluitates dissoluantur, quæ per sudores aut insensibiles expirationes hoc modo consumuntur: & quod de ipsis reliquum est, ad expulsionem præparatur, vt cibi recepti facilius digerantur & concoquantur.

Notandum est quod motio istiusmodi debet esse ante Prandium, quoniam vt eo tempore iuuat concoctionem, ita post prandium quidem est incommoda & noxia, quia efficit vt cibus nimis cito & consequenter incoctus descendat in partes stomachi inferiores, vnde in quibusdam Conuulsiones, vel Singultus saltem procreare solet. Illis vero qui parce viuunt, non multum requiritur exercitium ante cibum, quoniam calor naturalis sufficiens erit, ad membrorum superfluitates (quia pauciores sunt) consumendas. Imo caloris natiui virtus in quibusdam est ita fortis, vt superfluitates paruo vel nullo labore præeunte vastare queat. Hinc igitur suadeo, vt modicum comedentibus modicum præcedat exercitium, ne plus euacuent, quam recipiant: & qui copiose reficiuntur, copiosius ante pastum laborent: Atque hinc Athletis copiosior & grossior attributa est victus ratio, ob grandem

Ff 2

eorum

eorum laborem & exercitium : nam nisi multum comederent in robore suo subsistere haud possent. Laborando enim & sudando plus perderent, quam comedendo acquirerent.

Vt vero exercitium secundum Naturæ leges rite fiat, obseruentur Præcepta sequentia.

Præcepta salubria in Exercitio.

1. Exercitium ante prandium & Cænam non sit violentum, sed moderatum æquale & vniforme.
2. *Moderatum* dico: utpote quo corpus efficitur alacrius & membra leuiora. Membrorum enim fatigatio & dolor arguit motum immoderatum, quare si istiusmodi symptomata percipiuntur, fiat cessatio.
3. *Vniforme & æquale* Exercitium dicimus cum membra superiora & inferiora proportionaliter & æqualiter agitantur: siue pedibus cundo siue saltando, siue equitando, seu pilæ ludo, luctaque temperata fiat, &c.
4. Denique ante consuetam comedendi horam vtere labore modico, vel equitando vel ambulando, aut istiusmodi aliquo Exercitio: sitque illud ad ruborem non ad sudorem (quod semper aduertendum) iste enim exercitii modus corpori multum prodest, fugat enim ventositates & corpus aptat corroborat atque alleuiat: calorem stomachi excitat, compages constringit, superfluos humores congelascentes pituitamque descendere facit supra stomachum calore nimis incensum, & desiccatum nimis.

Ad *Veneream motus speciem* quod atinet: in ea consideranda sunt sanæ ætas, complexio, vires, anni que statio. Senibus enim admodum parce vtendum coitu, debilitat enim virtutem natiuam, membra reddit inualida, calidum innatum consumit, seniumque velociter accelerat. Deinde, complexionem *cholericam* non multum conuenit, quia ob grauiorem suam compositionem, plus perdit, quam subito recuperare queat. Est enim sperma Spirituum vitalium plenissimum. Hinc ortum est tritum illud, *Cholera in Venere, multum vult, sed parum potest*. Et ratio est, quoniam Cholericus est in suo statu admodum ficcus & humoris natiui egenus. Sic & complexio *Melancholica* nullum debet vitare coitum: quoniam vt sperma abundat in calore innato & humido radicali: ita quidem complexio ista est admodum frigida & sicca: Quare eo magis contrahitur, tam siccitas quam caliditas istius, quo sperma copiosius ab eo effunditur. Talibus ergo sit Veneris vsus non ita frequens: iuxta enim vetus axioma, *Melancholicus parum potest & non multum vult*.

Denique *Autumno & Æstate* propter stationum istarum siccitatem abstinendum est à multo coitu, & *æstate* præcipue, quoniam ob nimiam in ea pororum dilatationem, spiritus & calores interni facile euolant & expirant, virtusque natiua debilitatur.

Præcepta salubria in Veneris vsu.

1. Confert Venus si tantum sit spatium inter coitum, vt nulla inde resolutio, viriumve sequatur debilitas.
2. Cum sit coitus, sit corpus nec nimis plenum, nec vacuum, nec in frigore, calore, humiditate aut siccitate excedat.
3. Melius est coire calido quam frigido corpore, & humido quam sicco.

Com. 1. Inl. 3.
Hip. de morb.
vulg.

Gal. lib. 6. c. 3.
de san. tuend.
De locis aff. 1.
6. c. 5.

4. Cum teste Galeno, ex Democriti sententia, Venus sit paruus morbus Comitialis, Scotomiæ, Vertigini, & Epilepsiæ pronos à multo coitu abstinere monemus.

5. Venus nimia ficcis temperamentis est inimica: cuiusmodi sunt Cholericæ & Melancholicæ.

Viri

Viri modesti, non ob voluptatem, sed vt semen quod nimis retentum molestat, excernant, haud secus quam egerendi stercotis aut reddendæ vrinæ gratia suapte natura mueri cōsueuerunt. Retentio enim nimia seminis, multa in corpore generat mala: vt neruorum distentionem: qua Vidua (teste Galeno) vexabatur.

7. Veneris vsus à prima Iuuentutis ætate immodicus, libidinem augere solet, quoniã vasa dilata, maiorem ad se seminis copiam alliciunt, magis ergo crescit coeundi cupiditas. *Gal. de loc. aff. l. 6, c. 5.*

8. Venere immoderata vtentes imbecilles redduntur, ob frequentem seminis attractionem. Symphorianus Martyr testatur quod melius est quadragies tantum sanguinis perdere quam vnicam seminis portionem, ob eiusdem spirituum vitalium copiam.

9. Venus morbis à pituita remedium est: modo vires sunt firmæ: imbecilles enim valde lædit. In robustioribus pituitæ copiam exsiccat, vt docet Galenus super locum in margine citatum. *Hip. l. 6. de morb. vulg.*

10. Omne corpus Venere exsiccati constat: & vt plurimum Alui Excrementa sicciora excerni facit. *Hip. ibid. l. 6, aph. 6, 28.*

11. Venus immodica stomachum labefactat, & podagram gignit. Ad Vigiliam autem (quam Motionem internam statuimus) quod spectat, Galenus illam facit extensionem animæ à principio ad omnes corporis partes & particulas: & è regione, somnum facit, Animæ à finibus ad principium secundum naturam, dilatationem. Nō ergo nimium est vigilandum quoniam hoc humana natura minime feret, & tamen vt in Vigiliis obseruetur consuetudo nos docet Galenus: nam vbi nimia adest Vigilia ibi sequi solet mala corporis dispositio, seu habitus. Nam teste Galeno, in vigilantibus redditur sanguis biliosior, ideoque eos febrili intemperiei vt plurimum obnoxios reddit, Concludit ergo alibi quod vigilia & Somnus modum excedentes sint quid præter naturam, & vigilia præcipue, quia corpus attenuat, & calores externos excitat propter bilis incrementum. Hinc igitur vrinæ in vigiliis, quam in somno fiunt intensiores. Hoc ergo præcipue obseruetur præceptum, vt vigilia in sanitate sit pro tempore & consuetudine solitis: vitenturque omnes longæ vigiliæ. *Finit. med. c. 4.*
Aph. 2. 50.
Aph. 7. 18.
Aph. 7. 68.
Aph. 2. 15.

De refectione: simulatque de Inanitione & repletione.

Sanita- ris præ- feruatio præci- pua iu- xta Sa- pietum normā in duo- bus cō- sistit: vid. vel in	} Refectio- ne	} Externa, in cibo & potu consi- stens: & in ea ob- seruan- tur, vel	} Substantia	} Liqui- da: in } Pulmento. } Poculento.
		} Complexi- nis. } Sani.	} Aetatis.	
				} Tempus secundum } Consuetudinem. } fani comedendi } Appetitum.
		} Preparatio quæ } Bene vel } mastican- } fit vel } male } do.	} Correctio erroris ventriculo accidentis, vel } Quantitatem. } ob Esculentorum } Qualitatem.	
} Interne, quæ fit Quiete & Somno: Nam mediante eo, nō modo mem- bra labore fatigata, sed ipsi etiam spiritus animales quiescunt & re- creantur.				
} Superfluorum euacuatione, & qualitatis complexionem periclitantis suppres- sione seu reformatione.				

Cum sanitatis conseruatio in duobus consistat præcipue: vid. in Refectione conueniente, & superfluitatum præternaturalium purgatione: de his ergo duobus ordine disseremus: Et primū de *Refectione duplici*. Nam vt cibi & potus refectio est corporis nutrimentū: Ita quidem illa animæ atque artuum etiam defatigantium alleuiatio est Somnus & Quies: Quies dico animæ in corporis membris & facultatibus: in se enim animæ radius nunquam quiescit: est enim *omnium rerum velocissimus*, Salomone teste. Relectio autem corporis magis eminens in edendo & bibendo consistit: Ab illa ergo incipiemus.

Vt exercitium per sudores & insensibiles exhalationes inanitionem & euacuationem in corpore facit; Ita exinanito corpore, Relectio requiritur ad illud statuminandū. Porro vt Labor inaniendo cibi appetitum gignit, qui Fames dicitur, quam quidam dixit *Præconem naturæ* ad refectionis necessitatem declarandam: ita quidem natura debitum requirit modum seu pabulum, quo dictæ naturæ cupiditati satisfiat. Quid autem ante refectionem est considerandum, breuiter expediam.

In refectione ergo priusquam aut rationaliter à Medico præscribatur, aut à sano admittatur, obseruanda sunt præcipue hæc: vid. Eius *Substantia, Qualitas, Quantitas, Tempus & Preparatio*. Ipsius in ventriculo *varietas & effectū*, quandoq; *insalubriū correctio*: quæ priusquam exponamus, sciendum est, quod iuxta omnium Sapientū sententiam, compositū ex 4. Elementis & contrariis humoribus semper indigeat alimentis & potationibus, quibus si careat, corrumpitur eius substantia. Nam quod simplex est, vel tenuissimo igne conflatū, & in quo non sunt contraria Elementa, cuiusmodi sunt Angel, nec comedunt nec bibunt; sed ex se constant: quemadmodū oēs testantur Philosophi. Quare istiusmodi substantia, nec alteratione generatiua aut corruptiua immutatur vnquā: Sed priusquam ad refectionis partes descēdamus, mysteriū repetitionis & inanitionis, paucis explicabimus.

Vt ergo corpora humana sunt ciborū & poculentorū receptacula, ita quidē istiusmodi refectionis substantia in substantiā recipientis trāsit. Nam calor... semper intendit ad ædificationem humiditatem corporū à qua postmodum ædificatur & pascitur. Sic et corpora quæ sunt Elementorum contentorū receptacula in aere recipiente resolui solēt per calorem Solis & Venti; qui ædificant humiditatem omnium corporū, & pascitur & nutritur calor Solis & Venti ex humiditate tam corporū ita resolutorū, quam fluminum: atque hæc est rerum vicissitudo, istiusmodi Elementorū Rotatio; vnus vid. in aliud. Nā si corpora insensibili expiratione omni hora non diminuerentur more nutrimenti in corpore, fames corpus nullo modo consumeret, nec à cibo & potu abstinentia gracile & macilentū redderet; nec tanta necessitate requireretur nutrimentum, sed vt ad corporis refectionem veniamus, & ipsius substan-

Fames quid.

substan-

substantiæ rationem inspiciamus: percipiemus quidem eam esse vel solidam vel liquidam: vbi autem corpus est calidum vaporale, ibi grossa cibaria valent: quoniam illud quod in eo dissoluitur & emittitur, est multæ quantitatis & grossæ substantiæ propter nimium calorem & vaporem corporis: at vero vbi corpus est densum & siccum, valent cibaria subtilia & humida, cuiusmodi sunt pulmenta & potiones, lac, &c. sed æqualis vt plurimum in pastu fit mixtio, hac tamen lege, vt corporibus siccioribus admittatur humectatio largior, humidioribus vero parcior.

Quantitas etiam tam esculenti quam poculenti est obseruanda: est enim vel pauca vel larga: Paucitas ab omnibus fere sapientibus laudatur. Fotentur enim omnes quod qui à nimia ciborum repletione cauet, & in refectione æqualitatem & modum obseruat, sanitatis & longæuitatis erit particeps.

Hinc Hippocratis discipulus abstinentiam eius videns, sic eum fertur allocutus: Doctor egregie, si velles bene comedere, non sustineres tantam corporis debilitatem: Cui Hippocrates, *Fili, ego comedam vt viuam, non viuam vt comedam*: inde arguendo, quod alimentum propter durabilitatem quærendum est, & non durabilitas propter alimentum.

Quin & experientia constat parsimoniam hanc multis dies longos & fælices contulisse: adeo vt, propter hoc remanserint suauissimi aspectus, leuissimi & agilissimi motus, diturnioris vitæ & boni appetitus.

Hæc vero Regula quandoque Exceptionem admittit: Vbi enim nulum & vehemens est Exercitium, ibi quidem copiosa requiritur Diæta: Labor enim nimius, cuiusmodi est Athleticus, carnes nimium consumit: quia aut per sudores aut euaporationes insensibiles, nimius fit in substantia fluxus. Quæ vt restauretur nouæ substantiæ appositione, ampla requiritur resectio. Nos vero de hominibus, æqualem & non violentam viuendi rationem ducentibus sermonem nostrum instituiimus hoc in loco.

Qualitas etiam cibi & potus, multo formiter est consideranda: nam imprimis sani complexionē respicere debent: Quare vt à poculentis incipiam, corporibus temperatis & sanguineis, itemque cholericis vina naturaliter debilia conueniunt cum pauca aqua: vel saltem vina fortiora cum aqua multa. Nam hac ratione obtundetur ignea in biliosis conditio, & Sanguinei ne in biliosam naturam facile transeant, præseruabuntur: Porro in æstiuâ anni statione, curandum est vt vinum non sit admodum acutum & igneum, aut grossum & dulce, sed sit claretum aut album, mediocris fortitudinis: In hyeme, colore subrubrum, & in substantia clarum & subtile, cuius odor & sapor sit bonus & iucundus.

Ex aliis poculentis vid. Ceruisia & Alla, sint ea in Æstate tenuia & debilia, sed matura & non recenter facta: hyeme vero, fortiora, & magis viuida. Quin & in ætate senili potus fortior & calidior requiritur: vtpote in qua calor natiuus est debilis, & frigus magis abundat, at iuuentus potiones debiliores & non acres, calidas aut igneas requirit, ne nimio earum vsu accendatur nimis.

Quoniam autem alii potant aquam frigidam, suadeo eos vt subito & præter consuetudinem, aquam in refectione nimiam, n. nime hauriant: Potatio enim frigidæ super cibum, stomachum refrigerat, & digestionis calorem extinguit, cibumque indigestum reddit: hepar etiam debilitatur, quod nihil deterius: Nam cum hepatis natura sit calida, qua sine, sanguificare nequit, & sine sanguificatione (quæ est primaria facultatis naturalis facultas) facultates secundariæ quæ in incarnatione consistunt, præstare nequeunt: naturalem istius facultatis calorem extingueret, pessimum erit.

Denique

Denique nutrimenti Qualitas, vbi conditio corporis est morbis obnoxia, haud iniuria est contemplanda: verbi gratia: Sanus qui naturaliter dispositus est ad fluentes hemorrhoidas, & reliquas earum species, vitare debet potiones acutas, dulces & res falsas. Huiusmodi enim seu potiones seu nutrimenta attenuant & calefaciunt sanguinem, eumque fluere aptiorem reddunt.

Ad ciborum qualitates quod attinet, idem fere quod de Poculentis est dicendum, vid. quod cibi in qualitate complexionis, anni Quartis (de quibus antea) ætatis, & morbis sanum minantibus contrarii, sunt in sani nutritione maxime eligendi. In primis vero sciendum est, quod corpori poroso seu vaporose calido cibaria grossa qualitate frigidiora & ad siccitatem tendentia sunt vtenda: at vero corporibus densis & siccis, cibaria subtilia & humida valent, nam contraria contrariis curari solent.

Ad sanitatis etiam conseruationem facit, vt sanus vtatur cibus complexionis suæ conuenientibus: vt si quis naturæ sit biliosæ & calidæ, conueniunt ei frigida temperata: & sic in cæteris.

Tempus etiam & *Hora*, in comedendo & bibendo obseruentur. De *Tempore* quidem variæ sunt Authorum sententiæ. Suadent enim alij, vt cibus & potus minime nisi hora consueta adhibeantur. In comedendi autem *consuetudine* non suadent, vt refectio præbeat, nisi vbi cum hora consueta voluntas comedendi aderit: nec est iterum comedendum, donec à refectioe præcedente euacuetur Stomachus: Quod quidem *Mysterium* nobis duobus modis detegitur vid. si adsit comedendi appetitus, & si saliuæ in ore obseruetur esse subtilis, faucibusque minime adhærens.

Eos vero qui cibum inuoluntarie sumunt, sequuntur hæc incommoda: Calorem eorum naturalem quasi gelidum & impotentem sentient: & cibus sine desiderio ita sumptus, ceu grauis naturæ sarcina feretur à Stomacho, & cæteris membris, in quibus corrumpetur potius, quam in ea conuertetur.

In consuetudine autem obseruent hæc. Qui solito, bis in die comederit, si postea se ad pastum in die vnicum subito astrinxerit, percipiet incommodum aliquod ei ad futurum. Si quis etiam vnicam in die refectioem conficere solet, si duplicem postea in die pastum sumpserit, par proculdubio inueniet incommodum. Et ratio est, quoniam natura præter consuetudinem plus nutrimenti decoquere nesciens, vel forte insufficiens, cibum in ventriculo indigestum manere finit.

Porro etiam, qui solet nutrimentum certa quadam diei hora accipere, & postea ad aliam transfert, percipiet quod hac consuetudinis suæ mutatione plus sibi oberit, quam proderit: quoniam *consuetudo est altera Natura*.

Quod si necessitas (quæ Legem non admittit) inæqualitatem in comedendo requirat, fiat illa consuetudinis mutatio sapienter, hoc est pedetentim, & vna vice post aliam.

Sunt autem nonnulli qui, nullo consuetudinis habito respectu, volunt quod sanis corporibus in qualibet anni Quarta nulla sit magis congrua comedendi ratio, nisi quandocunque naturalis appetitus incitat: inde concludentes quod vulgaris prandendi & cænanandi obseruatio sit inutilis & consequenter quod sumendus sit cibus secundum naturæ appetentiam (quandocumque acciderit) & non iuxta consuetudinis leges.

Mea

Mea vero sententia, consultissimum est, vt sanus consuetudinem potius obseruet quam appetitum contingentem. In Appetitu enim nulla est certa regula aut conformitas: Licet enim ventriculus satietur cibo; tamen viso pomo aut ferculo aliquo; iterum appetere incipit: & sic quandoq; accidit, vt repetito hoc appetitu in crapulam &c. incidamus. Præstat ergo cibum pro temporis consuetudine recipere, atq; ea moderatione, vt etiam cesset commessatio, dum adhuc est comedendi voluntas; ne ciborum superfluitate ventriculus oneretur.

Præterea consuetum tempus efficiet, vt esuriens eo magis refectionē suam affectet: & expectatio auida cibum & potum magis gratos & gustu suauiores constituto tempore efficiet.

De ciborum & ferculorum varietate, aliquantulum discrepant Authores. Quidam vult vt cibi multi in mensa ponantur, vt pro appetitu suo, vnum aut alterum eligat cum pane æqualiter leuato, qui erit perfecte fermentatus. Alius dicit istiusmodi ferculorum varietatem, ventriculo parere fastidium: porro ait; quod cum difformitas ciborum sit tanta, vt vnum ferculum sit facilis, aliud difficilis digestionis; debita membrorum nutritio impediatur: quia cum prius vnum quam aliud digeratur & ad inuicem cōmiscantur, aut cum digesto dilabitur indigestum, aut si vsque ad perfectam digestionem alterius remanserit, corrumpetur: vt si carnes hœdi aut pulli cum bubulinis permisceantur. Quare laudatur magis vnum vel alterum ferculum propinquæ dispositionis.

Quin & necesse est, vt cibus ipse masticatione & dentium contritione optime præparetur. Nam imperfecta masticatio, magnam facit Naturæ iniuriam, cibo non rite præparato secundum naturæ intentionem; quæ hac causa dentes animalibus assignauit, vt solidum & durum cibum triturarent & contererent. Nam res quælibet solida eo facilius dissoluitur in quolibet Menstruo, quo magis in pulueres reducatur: sic enim in re dissoluēdo melior fit ingressus: sic etiam Natura mediantibus potionib. materiam nutrimenti, dentibus partem melius dissoluet, quam si minime præparetur & in ventriculum quasi Balneum Mariæ cum suo menstruo poculento non includatur. Hinc est, quod voracioribus difficilior fit ciborum digestio: videlicet propter imperfectam cibi masticationem.

Denique si sumptis cibus, vel eorum copia, vel qualitatis prauitate aut decoctionis difficultate, seu ante somnum vel post eum, dolor & grauedo in ventriculo aut ventre sentiatur: tunc pone super ventriculum & ventrē pannum lineum duplicatum, admodum calefactum & super ventrem quandoq; jaceas, vt sic calor internus ad digerendum adiuuetur.

Quod si pastum amplum sequatur Eructatio acerba: indigestionem propter nimiam Stomachi frigiditatem, denotat: quo casu vomitus lenis est eliciendus, tempore debito, quo lentæ pituitæ fundum ventriculi refrigerantes diminuantur.

Quibus positis; Præcepta victus in ratione salubria, proponemus.

Præcepta in edendo & bibendo, obseruanda.

IN CIBO.

1. Qui cauet à superfluitate & indigentia conseruando æqualitatem & temperantiam, sanitate & longæuitate fruatur.

2. Temperata resectio sapientibus est gratissima; vtpote quorum est comedere, vt viuant; non viuere vt comedant. Quare, qui paucis cibus vescuntur ad maturam solent senectam pertingere. Qui vero ciborum ingurgitationi studet, aut ante senectutem extinguitur, aut eius senectus erit immatura admodum.

3. Qui sanitatem curat, cibis ætati, complexioni, consuetudini & naturæ suæ, atq; etiam anni tempestatu conuenientibus utatur.
4. Quando stomachus est fortis bonus & in calore validus, ei maxime conueniunt alimenta grossiora & fortia: nam ubi ignis est fortis, ibi ligna grossa combuere potens est. *Signa boni stomachi* sunt corporis agilitas, lenitas in motu, bonus appetitus &c. At vero stomacho debili & frigido, Cibaria subtilia & leuia conferunt: ignis enim paruus non nisi parua ligna comburere queat. *Signa vero debilis stomachi* sunt digestio difficilis, corporis grauitas, pigrities, oculorum grando, faciei inflatio, mala eructatio vel fœtida, vel acris, vel amara: ventositates, inflatio ventris cum deiectione appetitus.
5. Ante prandium vel horam cibi consuetam uterè labore modico uel equitando uel ambulando. Exercitium enim corpus aptat, ventositates fugat, stomachi calorem accendit & corroborat: constringit compages & liquefacit humores superfluos, qui post ultimam concoctionem resident.
6. In prandio & cœna cessa à comestione, dum adhuc sit aliqua comedendi uoluntas.
7. Si quis in prandio, uel cœna sumperit pulmentū uentrem emolliens & aliud constringens; sciendum est, quod si molle utpote ex hordeo, uiolis, &c. præcesserit facilius & lenius facit digestionem. At si astringens prius hauriatur uid. ex oriza & herbis uel aromatibus siccis; retinet nimis alimentum in fundo uentriculi; in qua parte fieri solet concoctio; propter eius cavitatem & ad Hepar uicinitatem.
8. Si quis bis in die comedere solet, ne rumpat ipse consuetudinē suam, nec item, qui semel in die reficiebat se; suam, sub pœna futuri mali nisi urgeat necessitas: & cum cautela antea expressa: quia consuetudo est altera natura.
9. Cauendum est ne cibus multus (utcumq; hora consueta sanum moueat) recipiatur, nisi cognouerit sanus stomachum suum esse uacuum; hoc est, cum appetitus ad comedendum suadet.
10. In comedendo mensurari debet Stomachus: ne tensione grauetur, signum enim est quod immoderate sumatur.

I N P O T U.

1. **F**requentis in prandio uel cœna potatio digestionem impedit, ac si aqua ollæ bullienti frequenter infundatur, impedit eius feruorem. Sumatur ergo potus sobrie, corpori & tempori conueniens.
2. In *estate* cauendum est à uino acuto & ualde calido, atq; etiam à dulci: sed sit Claretum non nimis forte, aut album, in substantia clarum. In *Hyeme* uero sit magis forte & calidum. Eadem est ratio ceruiciæ: nam poculenta fortiora requirit *hyems*; *æstus* uero debiliora.
3. Complexioni temperatæ sanguineæ & cholericæ poculenta debilia conueniunt: ob rationes antea allatas.
4. At si quis aquæ gelidæ potu uti solet, ne nimium eiusdem super cibum hauriat, ni consuetudine ad hoc ducatur. Stomachum enim refrigerat & calorem concoctionis extinguit, præsertim si multum sumatur.


C A P. I I I.

*De Somno & Quietē: & quomodo salubriter sint
usurpanda.*Ars med.
cap. 85.

Quoniam Galenus agnoscit somnū & Vigiliam esse causas præcipuas corpora nostra alterantes, ideo de somno hoc in loco agemus.

Somnum

Somnum autem ideo fecimus quandā refectionis speciem, vtpote, quo non modo membra fatigata recreantur, ipsiq; Spiritus animales quiescere obferuantur; verum etiam & corpus humectatur & pinguius redditur: cum è re- Gal. in lib 6.
Hipp. de mor.
vulg. 10. gione, Vigilia, corpora exficcare notatur. Nec mirum: cum ista duo non modo qualitate, verum etiam natura & essentia omnino differre solent. Nam vt *Vigilia est extensio Anima à principio ad fines*, vid. omnes corporis partes & particulas, hoc est, *lucis vitalis à Centro corporis interno* (in quod erat per somnum contracta) *ad eius circumferentiam emissio seu emanatio*: Ita quidem Somnus est *remissio seu contractio radij vitalis acti à finibus seu circumferētia ad centrum suum principium*. Quibus admirandas intueri possumus inter has duas in vno corpore proprietates & illas lucis & tenebrarum. Nam Tenebræ, quæ sunt Quietis & frigoris simul & humiditatis sedes; fiūt contractione lucis diuinæ in se, quasi in Centrum seu Punctum, vt & Lux, quæ est motus & caloris, itemq; siccitatis origo; est Emissio siue Dilatio radiorum lucidorum à Centro ad circumferentiā, sed de isto myſterio *alibi* fusius (Deo benedicēte, agemus quod somnus sit tam corporis Spiritibus quam partibus solidis refectionis quædam, declaratur; quoniam in eo melius fit concoctio materiæ quatenus caloris natiui radios ad intra magis alliciendo corroborat & adiuuat vim concoctricem: hoc autem habet à sua natura, cuius est radios vitæ, à Circumferentia ad Centrum retrahere, vel vt Galeni verbis vtatur, *remittere animam secundum naturam à finibus ad principium*. Aphor. 4. 65. At quatenus refrigerat & humectat, ita quidem non solo alimento corporeo, sed etiam condensando aerem per respirationem introductum, eum ita inspissatum conuertit in pinguedinem. Nam necesse est, vt si caloris radios Centrum versus contrahat, vt etiam cum iis Aerem abundanter per omnia corporis spiracula introducat: qui inspissatione in nutrimentū conuerti obseruatur: vt in vrſis Borealibus videre est; qui per totam Brumam terra niuibus cooperta in speluncis viuunt semper dormiendo & nihil edendo: præterquam quod vngues suos quandoque lambere & sugere dicuntur: qui tamen pingues admodum in niuibus egredi obseruantur. Quare haud iniuria eum Refectionem *in præcedentibus* appellauimus. Sed ad Sanitatis nostræ propositum.



Tempus nocturnum est somno salubri conuenientissimū; in primis quia *nox* temperie frigida & humida gaudet: At frigidum externum calorem naturalem corroborat & auget, quoniam per Anteperistasin & pororum obturationem non finit eum è corpore exhalare: porro repellit frigus nocturnum calorem à Circumferentia, vnde fit, vt eo tempore perfecta fit digestio: deinde quia status nocturnus, Spiritus defatigati, itemque animæ & corporis tranquillitati est magis expediens. Tunc enim cessant Meditationes & Actiones diurnæ. Deniq; quia somnus, nec strepitu, nec clamoribus interrumpitur; nec luce oculos ferente abbreviatur. Et quoniam somnus est *Contractio lucis & vitæ radiorum à Circumferentia ad Centrum*: quæ quidem est tenebrarum proprietas: ideo somnus in tenebris est ei magis naturalis: vt viceversa, Vigilia lucem diurnam lubentius ex natura sua complectitur.

Somnum autem *diurnum* quod attinet, sciendum est, quod dormitio matutina seu ante meridiana seu ante prandium reddit corpus macilentū & deficcet humiditatem sani: summopere ergo cauendus. Loco ergo eius excitetur calor nativus exercitio moderato. Somnus autem pomeridianus, hoc est, post prandium propter varias rationes laudatur; quia replet & corroborat facultatem tam digestivam & ipsum stomachum quam attracticē. Nam in somnitali spatio, attrahitur calor naturalis (vt dictum est) ad Centrum & Stomachi interiora, qui antea per vniuersum corpus diffusus erat. Et in hoc conueniunt Philosophi, quod comestio vespertina debeat esse in maiori quantitate quam meridiana; quoniam tempus meridianum recipit calorem diei, cum siccitate & radios Solis perpendiculares: Quare huic tempestati *Vigiliae* magis conueniunt quam somnus, qui in frigido & humido versatur. Quarum somnum nocturnum, vt concoctioni magis aptum, illi diurno præponendum volunt; & consequenter cœnam vberiorem sumendam esse quam prandium. Et tamen somnus pomeridianus & post prandium laudatur, vbi digestio est debilis; at inducatur talis somnus loco noctis temperiei aptato videlicet frigido, obscuro, & tranquillo: cum cautelis infra explicatis. Deniq; dicimus, quod somnus pomeridianus plurimis corporibus biliosis conuenit, quoniam sua dispositione humida obest siccitati, & prodest humido radicali: vnde corpora tenuia quandoq; incrassare solet: At vero complexionem phlegmaticam obesse deprehenditur, quoniam superfluitates pituitosas multiplicare dicitur. Hinc iuxta Scholam Salerni, apparet, quod somnus pomeridianus non nisi à Phlegmaticis sit fugiendus.

De sympt.
caus. l. I. c. 8.

Hip. l. de salu.
diæt. 29.

Proportio somni quantitativa debet esse mediocris, nec superflua, nec curta nimis, nisi ratio idonea præcedat: nam si quis liberius se excitauerit, non est mirum, si eum altior somnus premat: (teste Galeno) tum propter virtutis, quam transmittit absorptionem: tum propter fatigationem. Nec tamen negamus quin diuturnior somnus iis quibus ob ventriculi imbecillitatem dura est cibi concoctio, competat; quoniam (vt dictum est) concoctio plenior fit dormiendo.

Qualitatem somni in præcedentibus explicauimus, videlicet quod sit frigidus & humidus, vt contra, *Vigilia* est calida & sicca: atq; hinc est quod in pituitosis somni sint profundiores. Quare testatur Galenus quod somni profundi sunt signa pituitæ. Atque hinc est, quod nec Melancholici: nec Cholericis nimis dormiant propter suam siccitatem: Sic etiam *Æstate* & *Autumno* somnus solet esse breuior: & magis turbidus & inquietus propter temporis siccitatem: quod etiam natura præuidit, quando noctes in æstate breuiiores effecerit; & dies longiores: inde arguendo; quod propter æstiuæ temporis siccitatem & caliditatem, *Vigilia* magis, quam somnus regnare debeat. At quo magis crescunt noctes, eo maius dominium habere solet somnus.

Præterea in somno haud contemnenda est *Somniantis* in lectulo *situs* & *positio*. Disposito ergo corpore super lectum mollem, requiesce vna hora vel diutius secundum commodum tuum super *latus dextrum*; deinde ad *latus sinistrum* conuerte te, & super illud somnum tuum perface: cuius ratio in promptu est: nam cum egregius in concoquendo calor ab hepate profluat, præstantior in digestionem vis, atq; virtus in dextro consistit latere: Quare tota in concoctione difficultas, virtuti hepatis est attribuenda; & consequenter super illud latus jacere debet sanus, quo cõpleatur maior concoctionis portio: qua finita, conuertendum est ad latus sinistrum: nam quia lien est multo frigidior hepate, ergo minor labor est ei referendus. Super ventrem autem sanis dormire non conuenit, ob ceruicis contorsionem; & stomachi compressionem.

At

hoc enim constringit capitis faciei que poros, quo melius retineatur calor tam corporis quam capitis. Hæc est excitationis species quædam ad comedendum, moderato exercitio præeunte.

3. Induenda sunt postea *Vestimenta* satis nitida & ornata, sintque panni linei ad ornationem tuam requisiti, mundi, & non sordidi. Anima enim humana, quæ in se est pura & incoinquinata, puris, mundis, & purgatis gaudet & delectatur.
4. *Fricabis dentes* & gingiuas cum cortice vel roris marini, vel alterius odoriferi ligni, natura calidi & sicci, & amari saporis: dein mundatos dentes sicabis. Istam enim operationem hæc sequentur commoda; Liquefiet in ore atque auribus pituita grossa & congelata, linguam absterget, & à limo tam eam, quam vniuersum os clarificabit. Præparatum est hoc ad appetitum comedendi, haud exiguum.
5. Sano valde erit vtile, *suffumigiis* vti, temporibus consuetis, & congruis: matutino præcipue & diurno tempore. Suffumigationes enim aptæ, clausuras cerebri aptant; & colla; brachiaque grossiora reddere dicuntur. Qui morbum metuit, fumos adhibeat conuenientes: vt si quis ad catharrum prior, vtatur suffumigiis ex Succino, Laudano, Stirace Calamitæ, &c. Si memoria sit debili, vtatur suffumigiis memoriam iuuantibus: Similiter pestis tempore pesti aduersis vtatur: & sic in cæteris.
6. *Odorifera poma & Vnguenta*, spiritus admodum recreant. Anima enim odoratu reficitur. Odor iuuauis est animæ cibus: & cum resecta & confortata est Anima; se facilius dilatat, in cuius dilatatione corpus solatio afficitur, & congaudet cor. Imo & Sanguis venas & arterias implens, ex animæ lætitia, & spirituum recreatione exultare videtur. Licebit etiam Electuariis vel cor confortantibus, vel flatum discutientibus vel ventriculum corroborantibus, vel spiritus animales cõsopitos excitantibus, si placeat, vti. Et si alius sit nimis stricta, leniens quiddam suaue nihil nocebit.
7. Post illa denique, *Exercitio* ante horam refectionis vttere, modo & forma præscriptis: In quo vt æqualiter artus & membra tua extendas, necesse est: hoc enim corpus corroborat.

C A P. I V.

De illis quæ animam sequuntur passionibus, seu accidentibus.

Cum tota corporis salus & fœlicitas in Animæ Quiete & Tranquillitate consistat (quis enim ignorat corporis perturbationes vt plurimum se qui passionibus animi?) ergo de ipsius Accidentibus pauca dicemus, quatenus ex iis corpus efficaciter alteretur. Hæc vero Pathemata seu accidentia, ab iis quæ sunt secundum naturæ leges, distinguuntur; Quare *Animi Accidentia* dicuntur. Vt enim Actionum vitalium quædam obseruantur consistere vel in cordis dilatatione tantum vel in eius contractione tantum, tanquam extremis, & in cordis tam contractione quam dilatatione simul, quasi inter duo extrema, medio. Ita quidem primum Extremum inueniemus ex parte Lucis, & proprietate & conditione vitæ atq; sanitatis: Imo excellit illum vitæ statum, qui constat solummodo in viuendi ratione, hoc est in actione media, contractione scilicet, & dilatatione simul, qua Actione mixta pulsus in Systole & Diastole moueri percipitur. Nam in hoc vitæ statu tam ægrotare, quam sanescere potest quis: at in illo vbi cordis dilatatio præcipue se exercet, nunquam ægrotare potest Anima, sed passionibus piis salutaribus & placidis delectatur: hæc ergo passionibus sunt supra communis Naturæ leges: In hoc enim statu lætatur & exultat Anima: Anchora spei fixatur in Bonitate suprema, secura confidentia quiescit, amore & charitate accenditur, & per eam; in conspectum ipsius Veritatis ascendit & pene-

Gal. de symp.
diff. c. 3
Gal. de puls.
c. 1. de diff.
puls.
Auic. secund.
1 doct. 3.
Auic. de medic.
cord. c. 7.

pēnetrat, misericordiæ opera exercet, corq; ad obseruādas Dei leges molle & flexile reddit: humanitate humilem reddit, suumq; fratrem quemuis reputat, vtpote qui communē habeat Patrem, & ex vna & per vnam Lucem æternam viuat, spiretque, &c.

Quibus videre liceat, quod *Passiones* hæ sanctæ, Mentis nempe sanæ actiones, ad sanitatem tam diuinam quam mundanam conducant. At *accidentales* illæ *passiones* quæ corpora traduntur mutare, in sola cordis contractione seu constrictione, ex parte Tenebrarum sunt. Nam in *Tristitia* maceries quasi est cōstructa inter Lucis aspectum & Animam: Spiritus inuoluitur tenebris: curis & sollicitudinibus, gaudium, & voluptas dispellitur, ingenium incrassatur: Iudicium obscuratur, Memoria obtunditur, Corpus deniq; (more tenebrarum terrestrium) in frigidatur & exsiccat. Anima etiam desperatione in tenebrarum voraginem mergitur, omnis in ea spes occiditur, metu huc atque illuc omni momento agitur & confidentia in exilium pulsa, periclitatur. *Odio* item extinguuntur clarissimi Charitatis radij: *Inuidia* misericordiam ferociter persequitur. *Ira* & *furore* dilaniatur Anima: vnde Salomon: *Stultus furore dilacerat animam suam*: Imo & ipsa verecundia haud parū patitur Corpus.

Hæc ergo sunt *Accidentia*, seu *Passiones*, quæ Spiritum & Animam præter Naturæ Leges afficiunt: ad quas euitandas, Præcepta sequentia obseruentur.

Præcepta salubria aduersus accidentia & passiones animæ.

Generale præceptum est vt ea vitentur *Obiecta*, quæ aggrauantes Animæ *Passiones* nutrire solent: vid. vbi adest ad *Tristitiam* inclinatio, ibi decet se in societatem iocosam insinuare & contra propensionem suam ea insequi quæ risum & voluptatem procreare solent: ita tamen vt modeste illud fiat, & cum vitij notabilis euitatione.

In passionibus tristibus & Melancholicis excludi debēt omnia, quæ curis & sollicitudinibus distrahunt, & si fieri possit, gaudio & honestis voluptatibus & deliciis seu solatiis refloreat animus, & more temperato in cibo potu suffumigiis odoribus conuenientibus, & musica symphonia recreentur spiritus.

Vbi vero Furor vel ira animā perturbare prompta est, ibi Cholera (præcautionis gratia) est euacuanda, & biliosi insultus sunt obtundendi: & potiones cibiq; sumendi, qui tam alterandi quam nutriendi virtutem habēt. Porro, obiecta omnia Choleram aut iram excitantia sunt summopere fugienda. Et sic in cæteris.

C A P V T V.

De rebus non naturalibus externis, Corpus non necessario alterantibus.

Et de illis, quæ corpus interne solent mutare.

In precedentibus abunde de rebus non naturalibus externis, quæ necessario corpus alterant, sermonem fecimus: Iam de externis non necessario corpus alterantibus, & post, de rebus internis pauca differemus. Vt ergo res necessario alterantes eas (cum Galeno) intelleximus in *Discursu precedente*, quæ nobiscum congenita sunt & nullo modo vitari possunt: Ita quidem res cæteras nō necessario accidere dicimus: vitarique possunt vtpote, à nobis minime orta. Cuiusmodi sunt omne vulnerans, contundens, & percutiens.

Ad res autem non-naturales internas quod spectat, quæ corpora nostra mutant, à Galeno tria numerantur, videl. *Siccitas*, *defluxus substantiæ*, & *Excrementorum prouentus*. Sic omnibus partibus plus iusto siccescentibus, non solum cuiusq; officium minus probe administratur, sed & corpus macilentius graciliusque quam antea, redditur: & consequenter rugosius, quatenus vltro siccatum.

Ars med. 43.

San. tuend. lib. 1. c. 2.

Sub-

Substantiæ vero fluor in animalibus fit à Calore insito, hoc enim mediante cunctis animalibus, nonnulla substantiæ portio defluit: *Tota enim animalium moles in perpetuo est fluore* (vt Galeni verbis utar) quod in famelicis facillime cernitur. Necesse est ergo vt cibus & poculentis, restituatur illud quod è corpore effluerit, videl. cibus; vt quicquid siccioris corporis substantiæ restauratur: & potione, vt portio corporis humidior quæ effluerit siue in forma sudoris, siue insensibilis exhalationis restituatur: hac enim ratione ambæ illæ defectiones in pristinam symmetriam reducuntur.

*Tueu. fact.
lib. 1, c. 2.*

Quod ad *Excrementa* denique attinet, cum Galeno dicimus, quod cum edere & bibere sint animalibus necessaria, opus est vt Excrementorum generatio subsequatur. Quo ita se habente credendum est, quod Natura prouida Organa in animali idonea, ad istiusmodi Excrementa excernenda ordinauerit: quæ suis dotibus ad tale officium destinatis ornare minime est oblita: Facultatibus scilicet, quibus incitata sunt Excrementa: nam ipsarum quædam ad se trahunt per fibras rectas, quædam aliis transmittunt & retinent medianibus fibris obliquis, & quædam Excrementa expellunt vi fibrarum transversalium. Fit etiam Excrementorum cum diaphoreticorum, diuretica Expulsio.

His ergo facultatibus corpus assidue ab Excrementis emundatur, atque hac ratione in sanitate sua consueta diu conseruatur.

C A P. V I.

De Medicamentis nonnullis Sanitatem præseruantibus: & primum, de purgantibus.

IVxta omnium Sapientum consensum, Sanitatis tuitio non modo in debita pleni & vacui, somni & vigiliæ, motus & Quietis obseruatione, verum etiam in dissolutione vel retentione versari solet: Non enim in cibo potusque sumptione, verum etiam in *temperata superfluitatum euacuatione* atque *excretionne* consistit Sanitas. De hoc ergo vltimo Sanitatis tuendæ modo hic paucis agemus.

Multæ sunt rationes corpori humano accidentes, quibus ad Ventris euacuationem, vel Excrementorum nimis fluentium retentionem moueamur: Si enim ætatem obseruemus senilem, percipiemus in ea calorem naturalem esse debilem, corporisque meatus, ob frigoris dominium, angustiores, quam in Iuuentute. Hinc est quod superfluitates crudæ & pituitosæ Indies in ipsa magis magisque crescant & coalescant: quarum multitudine paulatim extinguatur calor natiuus, & digestio obtunditur, ventriculusq; debilitatur per frigidam subiecti superflui dispositionem. In quo casu optime conuenit frequens horum superfluatorum euacuatio: sic enim adiuuatur natura & minime læditur. Sed obiter notandum est, quod istiusmodi superfluatorum purgatio fiat *Medicamentis lenibus* seu *minoratiuis* & non *robustis* seu *eradicatiuis*: nam eradicatiua & robusta quatenus à corporis Centro humores euellunt, tam bonum quam malum educunt, & consequenter vires nimium labefactare solent.

In corporibus *biliosis* & *Melancholicis* propter humorum illorum siccitatem astrictus solet esse Venter: & istiusmodi quidem homines aluum stipatum habentes in multas solent infirmitates incidere: videl. Biliosi in febres & intemperies calidas: *Melancholici* in status hypochondriacos, vehementer diaphragma pulsantes, & phantasticas Cerebri imaginationes sæpissime incidunt. Similiter *Phlegmatici*, vtpote pituita superflua turgentes, purgatione leui indigent ad humores inutiles euacuandos: Et sic in cæteris.

In his igitur casibus suauiter lenientia sunt amplectenda & eligenda; Et quoniam in Medicamenti purgantis formula *Questio* sæpissime habetur (aliis enim

enim

enim hæc, aliis illa, cōplacere videntur) ergo eam diuersimode: vid. in formâ vel pillularum, vel Electuarij, vel Syrupi vel Tabulæ, vel brodij seu iusculi, vel allæ seu ceruifiæ, vel potionis condendam & componendam suademus.

Vbi ergo venter est nimia ficcitate stipatus, ibi pillulæ ob suæ compositionis ariditatem, non ita conueniunt, sed iis magis, qui more superfluo turgent. Et tamen in quibus Melancholicis laudantur *pillula Mastichinæ Fernelii*: sumendæ per integram vel dimidiam horam ante Cænam: vt sic pillula vna vice in ventriculi fundum iniecta, & cibo tum postea cooperta, immediate ante quam in tempore concoctionis agat, excrementa in visceribus emolliat & dissoluat: Tarde tamen operetur, ne sanus nocturno tempore, & in dormiendo perturbetur. Ego millies pillulam talem olei thymi imbutam, prædicto tempore administrandam præcepi, in casibus allegatis, idque successu satis fælici. Sed præ omnibus aliis (vt vere & libere loquar) laudo *Pillulam Benedictam* à nobis inuentam, cuius compositionem in capite *De Antimonio, in Tomo sequenti* (annuente Deo) exprimemus: quoniam ipsius natura est in parua quantitate, vid. granorum septem sumi, quæ assumpta, clementer, sine offensione, & more naturali purgare, ventriculum corroborare, meatus ad hepar obstructos, operire, hepar nimis calidum temperare, & si ad frigora vergat, ad officium suum excitare, actum eius corroborando. In tota certe mea praxi, huic pillulæ parem non comperi.

Ex Electuariis clementer purgantibus, hoc laudamus.

R. Diapruni Caruicostini Bayeri, Conseruæ rosarum Damascenarum an. ℥j. misceantur fideliter.

Dosis huius erit pro solutione Ventris à ℥j. ad ℥ij. tempore matutino: Et si primo die aluum non reddit lubricam, iterum crastino: vel in eadem, vel maiori Quantitate adhibeatur, dicitur hoc confortare stomachum, hepar iuuare, cordique prodesse.

In *Tabula* etiam ex saccharo cum cordialibus conuenientibus gran. 9. vel 10. Mannæ nostræ Mineralis (quam in capite *Tomis sequentis*, de Mercurio, detegemus) sine fastidio in assumptione, aut perturbatione aliqua in operatione administraui, idque tempore matutino, fælici successu. Nam aluum laxat, vermes interficit, pruritus obest, Gonorrhæis & menstruis albis laborantibus confert: &c.

Sunt & alia Medicamenta alterantia & ventriculum roborantia, flatumque discutientia: inter quæ vnum hoc in loco describam, quod post pastum in formula pulueris, iis præberi admonii qui debilem habent digestionem, fumosque post pastum ad caput ascendentes, sentiunt.

Præparatio eius talis est.

R. panis Biscocti. ℥.ij. Coriandrorum præparatorum ℥.j. S. Ventriculi Galli in furno exsiccati ℥.j. Caryophyllorum Cinnamomi Foliorum rosarum rub. Santalorum alborum. an. ℥.ij. Sacchari triplum ad omnia.

Misceantur & diligenter puluerizentur, & per Cribrum subtile transeant, & in Pixide conueniente, ad usum conseruentur. Huius pulueris cochlear vnū, immediate post quemlibet pastum, recipiendum est & parumper in ore tenendū, vt paulatim liquefiat & dissoluatur. Sicque (Diuino assistente Numine) *Catholicum Salutis mysterium, seu Quadrangulare Sanitatis Propugnaculū*, pro exilibus ingenii nostri viribus descriptum habetis. De morborū vero Cardinalium castratione & de violenta eorū à quatuor mundi angulis in Propugnaculum nostrū irruptione, seu salutis humana inuasionem, copiose in *Tractatu sequenti* dicere proposuimus.

Tractatus primi

Finis.

DEO GRATIAS.



INDEX MATERIARVM ET
RERVM, MAXIME MEMORABILIVM,
quæ hoc Rob. Fulddi D. volumine con-
tinentur,

A.			
A damus secundus	57	Angeli omnes in Christo eorum reges ter-	75
Adonai	63	minantur	75
Aer perpetuo homini necessarius	47	Angelus quandoq; Iehoua dicitur	82
Aeris uniuersa temperies in ventorum fla-	101	Angelorum bonorum officium	85
tibus consistit	108	Angeli quatuor, in quibus quatuor vento-	66
Aer elementum	ibid.	rum potestas consistit	66
beneficia		Angelus quid	83
Aer microcosmicus, siue Spiritus humanus		Angelica natura	74
110		Angeli ventorum authores	71
Aer sanguis humanus	109	Angeli subalterni	72
Aeris quæ mutatio in quolibet mense	224	Planetarum	72
in Aere captando quid spectandum.	215	Angeli sunt rami quasi unius trunci, seua-	73
Aer à luna gubernatur	112	dicis	74
in Aere quæ consideranda	213	Angelus salutis creaturarum præsides	46
Aeris natura uniuersalis	213	Angelorum regnum	47
sequitur motum & dispositionem qua-	215	Angelici præsides	49
tuor ventorum	58	Angeli virtutes Dei	218
AEsculapius	59	Anima mundi	219
an Saluator	220	Anima mundi quid	26
in AEstate quæ obseruanda	5	Anima mundanae compositio	quis ib. officium
AEternitas siue Verbum		Anima Spiritus dicitur, & vitæ spiraculū	ibid.
à monade radicali, quasi filius à Patre	ibid.	Anni quatuor quarta	ibid.
procedit	2	Apollone sue Dionysius	ibid.
Aleph tenebrosū 2. Lucidum	81	eius	ibid.
Alzazel Satanae angelus	86	Apollone ens omnium radicale	97
Amaymon angelus cardinis australis	200	Apollone unde dictus	72
Amicitia & inimicitia Planetarum, in-	186	Apollyon	19
ter se	25	Aqua profunda, cur oculis non possit pene-	117
Angelus magnus	67	trari	ibid.
Angelus Sapientiae	67	Aqua uniuersalis	ibid.
Angeli substantia	67	Aqua elementum 108. beneficia	60
Angelus Malach, Hebr.	68	Arbor Sefirotica	94
Angelorum nomina & officia	69	Arbor Planetarum	81
Angelorum robur	ibid.	Archangeli, seu angelorum quidam ante-	92
cuius conditionis & constitutionis	ibid.	signantur	104
numerus	ibid.	Astrologia medico necessaria	103
Angeli septem 69. coram Deo astantes	ibid.	Auster omnium ventorum maxime sanita-	220
Olympici, ibid. Elementares	70	ti aduersus	81
Angeli agalmata	ibid.	Austri venti beneficia	ibid.
Angelorum essentia	ibid.	in Autumno quæ obseruanda	81
Angeliqui vitæ & sanitatis influxus diri-	ibid.	Azael Satanae Angelus	Beati-
gunt à fontibus caelestibus in inferioribus			

Index.

Diabolus tenebrarum princeps	23	Filij tenebrarum 25. quid differant	ibid.
Dies mala à Deo 23. & bona	ibid.	Frigiditas innata massæ deformis & tene-	
Dierum obseruatio in medicamentorum		broſæ proles	16
exhibitione	207		
Dii, qui apud Hermetem	74		
Dimensionum & numerorum omnium		G Abriel Angelus	69
principia		Gebura	62
Dionysius, siue Apollo 26. quis	ibid.	Generatio nulla sine luna & solis assisten-	
officium eius	ibid.	tia	98
Diuina dispositio in tenebris occultata, &		Genius cuiusq; hominis	88
delitescens			
Diuitiæ à Deo		H Anael	71
Dyadis natura		Hanael Veneris Angelus	79
		Hercules	58
E.		Herba & planta quando colligenda	203
E gyn, Angelus cardinis Septentrionalis	86	Hochma Sapientia	69
Elchai	63	Hod	62
Electiõnis hora in administrandis medici-		Homo ex omnibus creaturis inferioribus,	
nis obseruanda	92	primum locum sibi vendicat	48
Elementa & elementata gubernantur &		Hominis potestas, & virtus	165
ordinantur ab anima mundi		Homo ad imaginem mundi factus	40
Elementa quatuor		Hominis productio siue generatio 33. ut fa-	
Elementa Microcosmica	109	cta.	ibid.
proprietates eorum salubres	ibid.	Homo cur mundi filius, & imago dicatur	53
Elementaris mundus	107	templum Spiritus sancti dicitur	ibid.
Elementa 107. quid	ibid.	Homo quilibet habet Angelum custodem	88
Elementorum rotatio inter se	108	Humani corporis virtutum generatio	201
Elementa non nisi Spiritus unicus, vario		Humidi radicalis initium	49
ventorum modo, vel condensatione præ-		Humilitas erga Deum	162
paratus	108	eius effectus	ibid.
Elementa ex massa aerea, mediantibus ven-		Humores in homine	111
tis generantur	215	Hyeme qua obseruanda	222
Elementa an habeant colorem	148	Hyle quid	2
Elementa omnia esse in homine	110		
Elohim, cognomen Dei	61	I.	
Elohim gibbor	62	I ah cognomen Dei	61
Eloah	62	Iesus nomen ineffabile	185
Elohim Sabaoth	62	in eo Angeli boni exultant	ibid.
Emanatio primogenita		Christus dicitur	ibid.
Emanatio diuina	10	Identitas diuina	77
Ens entium	66	Iesed	63
Ensofh fons diuinitatis	21	Iehoua cognomen Dei	61
Ethnicorum de Saluatore opinio	75	Iehoua nomen comprehendit integrum trun-	
Eurus	57	cum sephiroticum 87. rami.	ibid.
Euro auster ventus	104	Ignis destructiuus	40
Excrementorum prouentus	103	Ignis clementum 108. beneficia	ibid.
Exercitium hominis, & quid in eo obser-	239	Impiis cur Deus sanitatem tribuat	157
uandum	227	Inanitiõ & repletio	230
Experimentum, quo naturarum frigidita-		quid in iis obseruandum	ibid.
tis & caliditatis oppositio indicatur	17	Infortunium maius 62. minus	ibid.
		Initium quale rei, talis & finis	11
F.		Intelligentiæ, orbium cælestium motri-	
F ilij Elohim	61	ces	79
Filij mundi	26	Intelligentiarum nomina	68
Filij lucis	25	Iouis proprietates	95
		Iustus	

Index.

<i>Iouis Angelus</i>	79	<i>Medicamenta nonnulla sanitatem præfer-</i>	
<i>Iudicium seu mali futuri, ex vera nati-</i>		<i>uantia</i>	280
<i>uitatis horæ observatione præueniendi</i>		<i>Medicamentapurgantia</i>	280
<i>ratio</i>	210	<i>Melancholicus humor</i>	199
<i>Iustus an mandata diuina exacte obseruare</i>		<i>Mens, seu anima hominis intellectualis quid</i>	
<i>possit</i>	159. & seq.		77.
L.		<i>Mensis cuiuslibet temperamentum, eiusq̃</i>	
L <i>Apidem non esse, cui non stella præsi-</i>		<i>uariatio</i>	224
<i>deat</i>	93	<i>Mensium & dierum pro rebus ad sanitatem</i>	
<i>Liberi arbitrii fons</i>	41	<i>pertinentibus electio</i>	207
<i>Linea quid</i>	3	<i>Mercurij proprietates</i>	99
<i>Locus vacuus an detur</i>	81	<i>quæ in homine regat</i>	ibid.
<i>Lunã non modo agris, sed & sanis, dies qua-</i>		<i>Metatron Angelus</i>	25
<i>les sint futuri posse præmonstrare</i>	98	<i>Metatron, sapientia, caput & princeps om-</i>	
<i>Luna in generatione recte mater dicitur</i>		<i>niũ Angelorum & virtutum in hoc mun-</i>	
	98	<i>do 76. eius radius primus ibid. alij radij</i>	
<i>Luna humorum gubernatrix</i>	112	<i>octo. ib. siue porta intelligentiæ</i>	ibid.
<i>Luna proprietates</i>	98	<i>Metatron Messias</i>	67
<i>Luna potestas in viuentibus</i>	99	<i>Michael dictus</i>	ibid.
<i>Lux pro quibus non raro sumatur</i>	27	<i>Meteoron 116. quid</i>	ibid.
<i>Lux & tenebræ mundi principia</i>	37	<i>Met Zeth, porta, triumphum notans</i>	79
<i>& quomodo</i>	ibid.	<i>Michaelis cum Satana bellum</i>	82
<i>Lux & tenebræ principia</i>	5	<i>Michael Angelus</i>	69
<i>Lux caliditatis parens</i>	28	<i>Microcosmus ad macrocosmi imaginem</i>	
<i>Lux omnia reuelat</i>	29	<i>factus</i>	48
<i>Lux an colorum omnium subiectum for-</i>		<i>Monas omnium principiorum radix</i>	4
<i>male</i>	150	<i>Monas aternitas 5. aternitatem: aternitas</i>	
<i>Lucis filij</i>	15	<i>mundum, mundus tempus, tempus gene-</i>	
<i>effectus</i>	ibid.	<i>ratiõem continet</i>	5
<i>Lux & tenebræ quomodo ad mundi creatio-</i>		<i>Monadis radicalis potentia</i>	22
<i>nem concurrant</i>	20	<i>Monas paternalis</i>	9
M.		<i>Monas in proprietate, seu emanatione luci-</i>	
M <i>agnetis & ferri antipathia</i>	92	<i>da.</i>	24
<i>Maha Zeel Satana Angelus</i>	81	<i>Monas sacrosancta 1. consideratur</i>	23
<i>Malum à Deo</i>	23	<i>Monas occulta</i>	25
<i>Mala turpia, & imperfecta, non semper ta-</i>		<i>Morborum crisis lunæ quartas sequitur</i>	99
<i>lia sunt, quæ nobis talia videntur</i>	22	<i>Morborum causa vera iniustitia</i>	156
<i>Malum pœnæ</i>	23	<i>Morbus futurus ex astrorum & natiuitatis</i>	
<i>Martis Angelus</i>	79	<i>horæ cognitione præuisus, quomodo de-</i>	
<i>Martis proprietates</i>	100	<i>pellendus</i>	211
<i>influxus</i>	ibid.	<i>Mors a Deo</i>	23
<i>Massa humana</i>	109	<i>Moses quomodo lepram sororis suæ curarit</i>	63
<i>Materia informis</i>	21. & 28	<i>Motuum cordis effectus</i>	43
<i>Materia informis per inane & vacuum no-</i>		<i>Motus cordis inuoluntarius</i>	83
<i>tatur</i>	121	<i>Mundus monadis diuinæ imago</i>	5
<i>Medico astrorum cognitio necessaria</i>	92	<i>Mundus increatus 6. archetypus & intelli-</i>	
<i>Medici officium, si mali quidpiam sani facul-</i>		<i>gibilis</i>	ibid.
<i>tati animali vitali, & naturali futurum</i>		<i>Mundi in tres regiones diuisio</i>	8
<i>præuideat</i>	201	<i>Mundus formalis, seu archetypicus materia-</i>	
<i>Medicamentorum astrologica administra-</i>		<i>lis & sensibilis</i>	8
<i>tio</i>	205	<i>Mundus ab Hermete Deus appellatus</i>	8
<i>Medicamenta nonnulla sanitatem præfer-</i>			
<i>uantia</i>	240	<i>Mundus quomodo creatus</i>	19
		Hh 3	<i>Mundum</i>

Index.

<i>Mundum non esse bonum, nisi participatio-</i>		<i>Orationis mysterium</i>	164. 167
<i>ne cum bonitate diuina</i>	35	<i>Orationis definitio</i>	167. virtus <i>ibid.</i>
<i>in Mundo omnia gradatim facta</i>	46	<i>Orator qualis esse debeat</i>	168. & seqq.
<i>Mundi Spiritus</i>	47	<i>in Oratione an hymnis, characteribus, can-</i>	
<i>Mundus an ex informi materia creatus</i>	2	<i>ticis, & organis utendum</i>	168
<i>Mundus qua ratione Deus secundus di-</i>		<i>Oratio vocalis</i>	169. mentalis <i>ibid.</i> & 177
<i>catur</i>	74	<i>ad Oratorem fidelem quot requirantur</i>	169
<i>Motus, & quid in eo considerandum</i>	227	<i>quomodo in precando se gerere debeat.</i>	169
<i>Mundi anima</i>	46	<i>Orandi officium quibus magis conueniat</i>	171
<i>Mundus Planetarius</i>	94	<i>per exempla demonstratur</i>	<i>ibid.</i>
<i>Mundi animam in sole sedē suam habere</i>	97	<i>Oratio quotuplex</i>	173. quo in loco pera-
<i>Mundus secundus Deus dictus</i>	94	<i>genda</i>	<i>ibid.</i> an in congregatione, an pri-
<i>Mundi regionum variarum temperies</i>	225	<i>uatim</i>	<i>ibid.</i> & 175
<i>Mundus sensibilis</i>	6	<i>Orantis ad mundi cardines dispositio</i>	173.
<i>Mundus filius Dei</i>	47	<i>& seq.</i>	
<i>Mundus archetypicus</i>	4	<i>in Orando, qua obseruanda</i>	177
<i>Musica vocalis</i>	169	<i>Orandi methodus</i>	178
N.		<i>Orationem vocalem breuem esse debere</i>	178
N <i>atiuitatis cognitio</i>	208	<i>& seq.</i>	
<i>cognita quid conferat</i>	<i>ibid.</i>	<i>per exempla demonstratur</i>	<i>ibid.</i>
<i>Natiuitatis reuolutio</i>	<i>ibid.</i>	<i>Oratio mentalis</i>	188
<i>quid ea cognita faciendum</i>	<i>ibid.</i> & seq.	<i>in Oratione quantitas & qualitas obser-</i>	
<i>ubi verus gradus & hora haberi non pos-</i>		<i>uanda</i>	180
<i>sunt, quid faciendum</i>	209	<i>nexus & relatio</i>	181
<i>Natura humida, vel aquea ut facta</i>	33	<i>Magnificatio Dei</i>	181
<i>eius consistentie causa</i>	34	<i>Humilitas & charitas orantis</i>	<i>ib.</i>
<i>Natura humida est fundamentum mate-</i>		<i>Omnipotentia & dominium illius ad quem</i>	
<i>riale fabrica vniuersalis, qua in caelo &</i>		<i>fit oratio</i>	<i>ibid.</i>
<i>terra consistit.</i>	29	<i>Oratio Dominica explicatur</i>	<i>ibid.</i>
<i>Natura diuina inest & operatur in rebus</i>		<i>Orationis finalis effectus</i>	183. & seqq.
<i>creatis</i>	60	<i>Orationum varia formule</i>	189
<i>Ne Zeth</i>	62	<i>Oratio pro sanitate conseruanda</i>	189
<i>Nigredo omnium colorum vnicum extre-</i>		<i>pro misericordia & praeseruatione sani-</i>	
<i>mum</i>	151	<i>tatis</i>	190
<i>Nihil quid</i>	28	<i>Oratio Sara</i>	190
<i>Niuis color vnde</i>	161	<i>Oratio ad tuitionem salutis, aduersus ini-</i>	
<i>Nolle diuinum quid</i>	14	<i>micos</i>	191
<i>Noluntas Dei</i>	13	<i>pro liberatione & conseruatione salutis,</i>	
<i>Nomina Dei 38. decem</i>	<i>ibid.</i>	<i>contra calumniatores</i>	192
<i>ibid. vnde</i>		<i>Orationis congratulatoria methodus</i>	192
<i>Nomen Dei essenziale</i>	60	<i>Oratio congratulatoria pro victoria</i>	193
<i>alia eius nomina</i>	<i>ibid.</i>	<i>pro praeseruatione contra calumniatores</i>	193
<i>Nortel, siue Vriel cardinis australis domi-</i>		<i>pro sanitate tempore pestis</i>	194. Eucharis-
<i>nus</i>	86	<i>stica pro sanitatis conseruatione & vita</i>	
<i>Notus ventus</i>	103	<i>prolongatione</i>	194
<i>Numerus denarius</i>	38	<i>Orientalis ventus</i>	104. Passiones animae 238
<i>Numerorum & dimensionum omnium</i>		<i>aduersus eas precepta</i>	239
<i>principia</i>	1	P.	
O.		P <i>atris officium</i>	60. Pan Deus 43
O <i>ccidentalis ventus</i>	105	<i>Peccatores quomodo a peccatis purgan-</i>	
<i>eius temperies</i>	<i>ib.</i>	<i>di.</i>	161
<i>saluberrimus</i>	<i>ibid.</i>	<i>Phlebotomia quando administranda</i>	204
<i>Omnia ex lite & amicitia fuisse conflata</i>	44	<i>quando prohibita</i>	205
<i>Omnia in mundo esse gradatim facta</i>	46	<i>Pius</i>	

Index.

<i>Piis diuinitatis fores patent, impiis occlusæ</i>		<i>Sanguineus humor</i>	198
157		<i>Sanguinis missio quando prohibita</i>	205
<i>Pius & iustus quis</i>	159	<i>Sanguinis prohibitio quota cuiusq; mensis die procedat</i>	207
<i>Plagarum mundi variarum temperies</i>	225	<i>Sanitas quid 52. & 56. quomodo tollatur à Deo</i>	52
<i>Planetaria arbor</i>	94	<i>Sanitatis mysterium</i>	51
<i>Planeta fausti ad hominis prosperitatem facientes</i>	95	<i>Sanitas humana precipue à Spiritu ex trib. cardinibus flante prouenire videtur</i>	89
<i>Planetarum amicitia & inimicitia inter se</i>		<i>Sanitatis tuenda ratio supercælestis</i>	156
200.		<i>Sanitatis tuenda ratio generalis ex cælesti obseruatione</i>	195
<i>& quod circa huius rei considerationem Medici officium</i>	ibid.	<i>Sanitas quomodo ex debita complexionum cognitione, & ipsarum stellis fixis & erraticis applicatione, aduersus influxus cæli malos præseruari queat</i>	196
<i>Pænitentia</i>	161	<i>Sanitatis præcepta</i>	217
<i>nihil præstare potest sine humiliatione</i>	162	<i>Sapientia cuncta tribuit</i>	184
<i>Porta lucida</i>	62	<i>Sapientia diuina sedes</i>	88
<i>Porta septem lucida</i>	70	<i>Sapientes antiquiores</i>	26
<i>Porta lucis</i>	81	<i>Sapientia diuina</i>	59
<i>Præcepta in somno obseruanda</i>	237	<i>Sapientia diuina effectus</i>	32
<i>Animæ passiones</i>	238	<i>Sapientia 9. quid.</i>	ibid.
<i>Præcepta ad sanitatem pertinentia</i>	217	<i>Saporum ortus & procreatio</i>	145
<i>Principia in natura</i>	5	<i>Satanae Angeli antesignani</i>	81
<i>Progressio non potest fieri ultra numerum denarium</i>	38	<i>Saturni Angelus</i>	78
<i>Proprietates decem à fonte diuino emanantes</i>	78	<i>Saturni proprietates</i>	100
<i>Proprietates binæ Dei quomodo se exercent in motu regionis vitalis</i>	42	<i>influxus</i>	ibid.
<i>Proprietates negatiuæ Dei</i>	27	<i>Sephirotica arbor</i>	60
<i>Punctus Geometricus</i>	4	<i>Sephirotæ septem</i>	62
<i>Puncti Geometrici consideratio</i>	1	<i>Siccitas quid.</i>	34
<i>Purgantia medicamenta</i>	280	<i>Sol centralis</i>	26
		<i>Sigillum cæli</i>	85
		<i>Sol uiuentiu amicus 96 cor cæli dicitur ib. & cur. ibid. in eo omnium rerum inferiorum & superiorum vegetatio & conseruatio</i>	96
		<i>Sol caloris natiui genitor</i>	98
		<i>Sol cælestis lucis fons</i>	97
		<i>Sol cur Apollo dictus</i>	97
		<i>Somni consideratio 234. in eo quæ obseruanda. 235. eius tempus</i>	ibid.
		<i>Somni qualitas</i>	236
		<i>proportio quantitatiua</i>	ibid.
		<i>Somnus quibus reprobetur</i>	237
		<i>in quod latus incumbere debeat somnum capturus</i>	237
		<i>post somnum præcepta obseruanda</i>	ibid.
		<i>Soter, verus Iesus</i>	59
		<i>Sphæra humiditatis</i>	118
		<i>Spiritus humanus</i>	110
		<i>Spiritus sanctus</i>	24
		<i>Spiritus</i>	
Q.			
<i>Qualitates secundum Philosophos</i>	115		
<i>Qualitates primariæ 16. quæ ortus & origo</i>	ibid.		
<i>cur tanta inter eos diuersitas</i>	ibid.		
R.			
<i>Raphael Angelus</i>	69		
<i>Regionū mundi variarū temperies</i>	225		
<i>Regiones vniuersitres 116. quæ</i>	ibid.		
<i>Res omnes inferiores representatiuæ superiorum</i>	91		
<i>Res non naturales 213. quæ</i>	ibid.		
<i>Res non naturales externæ</i>	239		
S.			
<i>Sagittæ Dei Spiritus maligni</i>	88		
<i>Saluatio quid</i>	56		
<i>quando fiat</i>	ibid.		
<i>Saluator quid</i>	56		
<i>Saluator Ethnicorum</i>	57. 58		
<i>Samael Satanae Angelus</i>	81		
<i>Samael Angelus Martis</i>	79		
<i>Sanguis humanus</i>	109		

Index.

<p><i>Spiritus sublunaris diuisio</i> <i>Spiritus mundi</i> <i>Spiritus Sapientiae simplex</i> <i>Spiritus malus Saulem possedit</i> <i>Spiritus maleuoli</i> <i>Spiritus elementorum</i> <i>Spiritus mundi quid</i> <i>Spiritus ventose agitantes à Deo</i> <i>Spiritus Imperialis</i> <i>Stellæ Angelis secundi ordinis, non aliter,</i> <i>quam ipsi archangelis primi ordinis sub-</i> <i>iciuntur</i> <i>Stellarum iudicium in sanitatis tuitione</i> <i>non negligendum</i> <i>Stella polaris</i> <i>Stellarum influxus</i> <i>Stellæ fixæ aliæ vitæ & salutis hominum pro-</i> <i>pitia</i> <i>aliæ aduersæ & contrariæ</i> <i>Stellis omnibus luna excepta esse proprium</i> <i>lumen & splendorem</i> <i>Subsolanus ventus</i> <i>Sulphur</i> <i>Sulphur à sulphure coloribus distingui</i> <i>Summum bonum</i> <i>Superiora in inferiora agere</i> <i>Sydyus quodlibet Angelico præside gaudere</i> <p style="text-align: center;">73.</p> <p style="text-align: center;">T.</p> <p>T<i>Au character cæli sigilli</i> <i>Temperamenti aeris mutatio in quoli-</i> <i>bet mense</i> <i>Temperamentum</i> <i>Tempus & astrorum positus in medicinis ad-</i> <i>ministrandis necessario considerantur</i> <i>Tempus somni</i> <i>Tempus in phlebotomia spectandum</i> <i>Tenebræ palpabiles in AËgypto</i> <i>Tenebræ pro quibus non raro sumantur</i> <i>Tenebræ & lux principia</i> <i>Tenebrarum nulla cum luce communio</i> <i>Tenebrarum filius quis</i> <i>Tenebræ à luce diuisæ</i> <i>Tenebræ AËgyptiæ</i> <i>quæ Abrahamum inuasertint</i> <i>Tenebræ radicaliter homini insitæ</i> <i>mortis & morborum causæ</i> <i>quomodo</i> <i>palpabiles</i> <i>Spirituales</i> <i>Tenebræ quid</i></p> </p>	<p>107 <i>Tenebrarum filij</i> 47 <i>effectus</i> 70 <i>Tephoreth</i> 72 <i>Terra elementum</i> 87 <i>Tetragrammaton</i> 81 <i>Thesaurus Dei quid</i> 83 <i>Trias perfectionem notat.</i> 84 <i>Truncus Sefhiroticus</i> 84 V.</p> <p>V<i>Alitudinis definitio</i> <i>Venus planeta</i> <i>eius proprietates & effecta</i> <i>quales homines reddat</i> 91 <i>Veneris usus & quid in ea obseruandum</i> 92 <i>Veneris Angelus</i> <i>ibid. Ventorum authores, & actus sunt Angeli</i> <i>Ventorum præsidet Archangeli boni</i> 93 <i>Ventorum proprietates salubres</i> <i>ibid. Ventum nihil aliud esse, quam elementum</i> <i>Ventus quid</i> 97 <i>Venti principales</i> 104.105 <i>Ventorum proprietates 127. & aliq. seqq.</i> 151 <i>Ventus meridionalis</i> 155 <i>Verbum viuificans</i> 183 <i>quid</i> 91 <i>in Vere quæ obseruanda</i> <i>Vita à Deo</i> <i>Vitæ & sanitatis ratio astrologica</i> <i>Vitæ prolongatio ex Dei benignitate</i> <i>Vitæ præseruatio à Deo</i> 85 <i>Vita & anima tota à Deo.</i> <i>Vita Angelica & intellectualis</i> 224 <i>Vnitate nihil prius</i> 115 <i>ex Vnitate an omnia consistant.</i> 92 <i>Vnicus in homine motus</i> 235 <i>Vnitatis consideratio & mysterium</i> 204 <i>Vnitas omnem numerum sua simplicitate</i> 24 <i>penetrat</i> 27 <i>quibus aliis nominibus dicatur</i> 5 <i>Vnitaseadem primum tam tenebrarum</i> 25 <i>vitij, & mali principium, quam lucis,</i> 159 <i>virtutis, & boni</i> 29 <i>Voluntas Dei</i> 29 <i>Voluntas monadis radicalis</i> <i>ibid. Votum nullum ultra summum bonum ex-</i> <i>tendendum</i> 10 <i>Vultus huius seculi elementaris vultibus</i> 30 <i>cæli subiecti</i> <i>ibid.</i> 31 Z. <i>Zadkiel Archangelus</i> <i>ibid. Zadkiel Angelus Iouis</i> 3 <i>Zaphkiel Saturni Angelus</i></p>
	<p style="text-align: right;">5 <i>ibid.</i> 62 108 60 87 51 79 56 95 <i>ibid.</i> 96 28 79 83 84 101 114 114 12 103 6 <i>ibid.</i> 219 23 90 33 50 47 49 1 7 42 3.4 11 <i>ibid.</i> 26 13 40 183 91 71 79 78</p>

F I N I S.

14. Sep. 1979

①

Encycl. med. 46
(R.P.)

